Liber de fide

ЦОНА

upna

Autor Navarro
Este tratado 50
No figura en
Palau

upna
Universidad Pública de Navarra
Nafarroako Unibertsitate Publikoa

upna
Universidad Pública de Navarra
Nafarroako Unibertsitate Publikoa

# TRACTATVS QVINTVS DE VIRTVTE FIDEI.

Ex libro de Fr. Raym. de Santa Fe.

PER REVERENDISSIMVM P. M. Fr. Raymundum Lumbier, Navarrum, Sangosanum, in Vniversitate Cæsar-Augustana Philosophiæ Magistrii, Sacræ Theologiæ Doctorem, eiusdem Primarium Professorem; Archiepiscopatus ipsius Synodalem Examinatorem; Aragoniæ, & Supremæ Inquisitionis Qualificatorem; Concionatorem Regium; & Carmelitanæ Familiæ, semel, & iterum Aragoniæ Provinciæ Priorem Provincialem.

✠ ✠ ✠

CVM LICENTIA:

Cæsar-Augustæ, Apud Paschasium Bueno, Typog. Anno 1678.

upna Universidad Pública de Navarra Nafarroako Unibertsitate Publikoa

upna

# PRÆTORI, RECTORIBVSQVE PRÆCLARÆ VRBIS SANGOSSÆ PATRIÆ MEÆ.

*MAGISTER Fr. RAYMVNDVS Lumbier perpetuam fœlicitatem.*

*SVBLIMEM Fidei Divinæ tractationem, in Scholis Cæsaraugustanis à me elaboratam prælo subijcere cogitanti, non diu mihi deliberandum fuit, cui potissimum destinarem. Occurristi enim protinus, Vrbs præclara, Divinæ humanæque fidei exemplar perillustre. Ipsoque libri mei argumento gratissimum tibi futurum munus non temerè suspicatus sum. Quid enim tibi gratius quam quod ad Fidem spectat? Quam à primordijs illatæ in Hispanias Christianæ Religionis,*

& intra fines Navarræ nostræ à Magno illo Saturnino Tolosatium Præsule invectæ, & à Beatissimo Antistite nostro Firmino, longius propagatæ, & vtriusque sanguine consecratæ, gratis amplexibus excepisti, fovisti gremio, & quod amoris maximum argumentum est, temporibus difficillimis, circumtonantibus vndique Barbarorum, ac perfidorum armis, invicta semper strenuissimè retinuisti. Infudere se initio octavi sæculi per Herculeum fretum per omnes Hispaniæ Regiones, victores Syriæ, Ægypti, Africæque vniversæ Arabes, Mahometicæ perfidiæ, vtpotè dominatæ, primi, & incitatissimi assertores: trahebantque, non minus quam in societatem belli, imperijque proferendi, in ruinam Religionis Christianæ, inter victas, pollutasque perfidia sua gentes, Nomades, Afros, Mauros, solatij loco, exitij alieni auxiliares copias, postquam suum pertulerant. Mira dictu res, sed visu miseranda: Noeticæ eluvioni par, & merito comparanda inundatio, nisi funestior esset, quindecim mensium spatio propè vniversæ Hispaniæ Provincias omnes pervasit.

Iam

Iam per planas Navarræ nostræ regiones ingruebat, parumque aberat vt superato Pyreneo se in Gallias infunderet. Tu inter primas eius gloriæ Vrbes, obstitisti Sangossa, in confinio montosæ, planæque regionis sita. Et beneficio veteris tui situs, saxosi, ac prærupti, validisque cincti mænibus, quod & ruinæ ostendunt, ex quo te loco in amæniorem, quo nunc frueris, deduxit intra milliares Alfonsus Rex, cognomento Bellator, obiecisti te tanquam ingruenti mari firmissimum aggerem, primumque victoriæ signum dedisti, quæ victoriam ipsam stare, ac pedem referre coegisti. Hoc vetus fama prædicat. Nec alio sensu consistere posse video quod Sanctius ille Rex, non merito minus, quam cognomine Maior, de Vicino tibi Legerensi Cœnobio, Sanctimonia illustri, sed inermi, & iniuriæ obnoxio, pronunciavit; servatum videlicet divina ope in ea funestissima Hispaniarum devastatione. Huius tu Cœlestis auxilij ministra fuisti, quæ ad septimum ante milliarium impavida contra irruentes Barbaros occurristi, pro Fide, pro aris, ac Religione loci armata stetisti &

imminentem Legerensibus, ac cæteris tractu tuo versus Pyrenæum regionibus cladem mænibus tuis excepisti, ac repulisti. Huic spectatæ Fidei, ac Religionis ardentissimo studio tanquam præmium cælitus attributum duco, quod præcipua Regni nostri Sacra, & Sanctimonia illustria loca, sub tua velut vmbra sita conspiciantur: in tua nempè præfectura, murisque tuis proxima. Ad septimum milliare Legerense Cœnobium, per omnem retro antiquitatē & fama Monasticæ disciplinæ, magnis divorum reliquijs, ac veterum nostrorum Regum sepulchris clarum. Propius adhuc, & ad tertium milliare, Xaverium Castrum, Divi Francisci Xaverij natale solū, sacellumque eius nomine dicatum: ibidemque miranda effigies pacientis Christi, atque in obitu Xaverij rursus patientis, & per integrum annū, & vitæ eius supremum, per singulas sextas ferias, ne miraculo diei honor deesset, sanguineo sudore stupente Navarra nostra, vicinisque regionibus, eius in Oriente mortem præsignantis, seu dolentis. & si ita fas est loqui, instar consanguinei domesticum

lu-

*ductum agentis. Hunc tu Divum Maximum, qui iudicio Apostolico;* nihil minus à magnis Apostolis egit, *vix non inter natos, Civesque tuos numeras. Alumnum certè numeras citra vllius iniuriam. Quippè à teneris annis in te educatum, & primoribus litteris instructum, missisti vltra Gangem, & Indum, scrutaturum naturæ, & auroræ secreta, ac tot* Barbaras *atque efferas gentes* Evangelij *iugo subditurum. Et quanti temporis victoria tanta? Decennium ad vnam Vrbem* Troiam *vniversa* Græcia *hæsit;* Non anni domuere decem, non mille Carinæ. *Pari temporis spatio, quas, non dicam Vrbes, quas gentes,* Provincias, Regna Christo *non subiugavit vnus* Xaverius? *Congestim, & acervatim prædicat fama: Scriptorum monumenta integrè non capiunt; & cum parcissimè loquantur, opprimente copia, laboraret Annalium fides, nisi de* Xaverio *loquerentur. Hunc tu maximum* Christianæ Fidei *propagatorem tuum tot titulis numeras.*

*Sed cum ea, quæ ad* Deum, *& Divina pertinet* Fides, *incorruptæ etiam erga hos*

*mines Fidei fons, & origo, hanc tu erga Reges nostros per omnem retro antiquitatis memoriam egregiè coluisti, ac duris pariter temporibus probasti. Quippè in confinio exterorum posita, ac Regni nostri Limitanea Vrbs ingẽtes bellorum fluctus mænibus tuis tanquam obiecta rupes sustinuisti, ac demum repulisti: vt iure merito Alfonsus Rex, qui te transtulit, honorificentissimis privilegijs decoravit: quæ Sanctius Rex, cognomento Sapiens, confirmavit, & auxit, commemoratis egregijs tuis erga Reges, & Rempublicam meritis: Vterque Teobaldus agnoverit, & donarijs testatus sit: Philippus apud nostrates Secundus, nova immunitate concessa, Cives tuos collaudarit;* Quod pro tutela Regni se tanquam murum defensionis semper exposuerũt. *Tertius itidem Philippus aucta immunitate, te;* Murum Regni inexpugnabilem contra omnes hostes, *appellaverit. Nec minus clausa solum eam gloriam peperisti. Erupisti sæpè in patentes campos. De multis pauca perstringã. Ad Fileram magnam pugnam pugnasti, & devicisti, Civibus tuis primam aciem du-*

*cen-*

*ientibus. Mox ad Vadum, quod Sancti Adriani vocant, clariorem aliam, & ex integro tuam, victoriam obtinuisti. fussis longè maioribus hostium copijs. & Regio eorum Labaro capto, quod in symbolum, atque insigne tuum, veteri omisso assumpsisti, hodieque gestas, clarum de hoste victo trophæum, & vincendi incitamentum. Si reliquias gloriosas bello partas persequar eo prolixus videbor, & parcus: Prolixus, qui multas ingesserim, parcus, qui plures omisserim, superante materia.*

*Hanc militarem gloriam, multis, maximisque pacis, ac togæ ornamentis decorasti. Ex te enim tanquam ex equo Troiano Græciæ Principes, prodiere doctrina, & sapientia præstantissimi viri, Sacrarum concionum Oratores clari, Theologiæ, ac Iurisprudentiæ Doctores illustres, qui per celeberrimas Hispaniæ Academias, sapientiam, quæ de occultis trahitur, lucubrationibus suis, & egregijs scriptis publicam fecere. Regiã nostram Curiam, ac Supremum Navarræ Concilium testes advoco, cum possem & exterarum Provinciarum testimonio vti, in qui-*

*quibus tot ſapientia, & integritate conſpicui, omniumque laude notiſsimi viri, aut patroni clientum cauſas magno cum plauſu protexere, aut è Regijs ſubſellijs iura dixere, non aliter excepta, quam Themidis oracula. Numera bone?* Sed præſtat tacere, quam pauca dicere, *vt Salluſtius aiebat. Et parcendum præſentium pudori: & eorum, qui præceſſere, numerus ſtylum non premit modò, ſed opprimit. Suffecerit ex Caſsiodoro mutuari communem cunctis à te editis viris ſententiam*; Tot probati, quot geniti.

*Talem ergo ſortitus patriam, magnorum virorum generoſam matrem (quæ prima, ac maxima patriæ laus eſt) ſitu inſuper, & vicorum eleganti ſtructura, camporũque amænitate pulchram, Cœli temperie, vbertate glebæ, exteris etiam, non commodam modò, ſed gratiſsimam, Aragonio flumine in mille vſus, & vitæ commoda famulante, iam in Sylueſcentes inſulas ſecto, iam per irriguos campos demiſſo, & quaſi patriæ ſalus curæ ſit, nati vã foſſam præbente, muroſque lambenti: & quaſi parum ſit, in aperto & extra*

*tra mænia beneficum esse, quædamque sit furtim, & non cogitantibus benefaciendi voluptas, per subterraneos cuniculos toto anno vitæ commoda & per æstatem delitias summas, saluberrimis, & frigidissimis aquis singulis domibus quasi per miraculum inferenti, non possum non magnoperè gaudere, cunctaque mea tuo nomini devovere tanquam parenti optimæ. Nec enim minus parens patria, quia plures filij; sed potius aucta inter plures fratres charitate, magis parens. Liber verò hic meus eo insuper tibi nomine debetur, quod de ea Divina Fide agit, quam in te hausi infans sacro fonti admotus* in Templo, insignique Paræcia Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ frequētibus miraculis clarescit: quodque in te etiam Carmelitanæ militiæ nomen adscriptus dedi, in tuo, non minus quam nostro Cænobio, quod ante trecentos annos ê vicino suburbio, quod Noram ex irrigua rota vocant, valdeque celebre fecit miraculosa Beatissimæ Virginis Imago pro periclitantibus in flumine, asiduis conspicua porcentis (vbi per annorum supra Incolarum

me-

memoriam curricula, situm permanserat) intra muros tuos transtulit eiusdem clarissimus inter multos filius Sanctius Dull, Ecclesiarum Albarracinensis, & Segobricensis, pariter, & eodem tempore Illustrissimus Præsul. *Debetur insuper, quia quæ ex illa Divina, originem trahit humana fides & erga homines exercenda, singulari titulo Patriæ obstricta evadit. Dicam ergo cũ Paulo Æmilio*: Patriæ, â qua omnia accepimus, omnia redonemus. *Vale præclara Vrbs, ac pro mensura voti mei fœlix, fortunataque perdura. Cæsaraugustæ*, Kalendis *Augusti, anni à partu Virginis M. DC. LXXVIII.*

Filiorum minimus, sed observantia, & pietate nemini secundus.

*Magister Fr. Raymundus Lumbier.*

CEN-

## CENSVRA R.P. ORENTII ARDANVY, SOCIETATIS Iesu, Sacræ Theologiæ in suo Collegio Cæsaraugustano gravissimo Vespertini Moderatoris.

OPus ad vnguem castigatum, & numeris omnibus absolutum mihi committitur. Panegyri, an Censuræ? Subdubito, si iussum spectem Perillustris Dñi D. Michaelis Hieronymi Martel, in Cæsaraugustana Metropoli Sanctæ Mariæ Archidiaconi, & pro Illustrissimo Archiepiscopo Dño D. Didaco del Castrillo, Vicarij Generalis; ad ærisim vocatur. Si librum, ad encomium. Si autorem ipsum; ad jure debitum commendationis apicem. Prodit enim è Musæo RR. P. M. Fr. Raymundi Lumbier, quem vel nominasse, laudasse est. Prodit, inquam, non, vt ajunt, è prælo ad prælium; sed ad plausum. Iam olim commissum calamis mandatur typis, vt non vnam doceat Vrbem, sed litterarium Orbem. Intricatissimos difficultatum nodos non abscindit; sed Macedone fælicior dissolvit. Fidem, quæ caligine gaudet, claram exhibet; quæ enim delitescere solitæ in abdito, abstrusoque tractu, se se palam offert videndam in hoc quinto tractatu, in quo veritate nixæ nexæ coeunt brevitas, perspicuitas, vtilitas. Fides virtutum prima, & spiritualis ædificij basis profundissima; eam tamen altè refossam, atque cæmentis eruta propalat Elianus Author in hoc climacto opere, quod cedro dixeris digrũ, & cælo. (*Apoc.* 21.) Quintus Empyrei fundamenti Lapis Sardonyx, qui, testante Isidoro, ex geminæ vocis societate nomenclaturam subit; quippe vt onyx albicat; vt sardius purpurascit. Librum hunc quintum adumbratum credideris, qui gemmeum doctrinæ candorem rubescenti suffundat murice; ijs enim argumentis Catholica firmat dogmata, infirmat hetherodoxa, vt Martem accendat in monstrum hæreseos, & eruoris pro fide fundendi instillet animos. (*Cant.* 5.) Hinc candet, & rubet, & ex millibus electus splendescit. (*Apoc.* 6.) Consonat Patmæus vates,

qui

qui aperto quinto sigillo (obscuram fidei materiem dilucide explicatam subintelligit Eminentissimus Hugo) vidit ex templo animas interfectorum propter verbum, & testimonium Dei. Et bene res habet, vt qui tot annos è suggestu sancta sanctè tractavit, & energico rationum pondere peracutè discussit, vt moribus, & sensibus Christianæ Fidei dignis auditores orthodoxos, & Theologiæ candidatos imbueret; idem impræsentiarum de Fide disseret, & sub Typographia perennitati vivat, & scribat. Tot & tanta volumina edere (nam præter quinque, alia, atque alia speramus in dies avidissimè) viro vel huic vel intento curæ, ingenti iure vertereetur laudi; at in homine multimodis curis addicto, & gravissimis rebus implicato, sit instar miraculi. Sed vt imperanti morem geram censoriam pennam assumam. Librum ad libram accersij, totum percurri inoffenso pede; nec quidquam est legere rigidiori obnoxium Censuræ; singula enim, & rectis moribus consulunt, & orthodoxis dogmatibus consentiunt. Nam qui Fides pugnaret in Fidem? Myrtes religiosissimus in pietatem? Aut in sanam Magister celeberrimus doctrinam? Liber ergo luce donetur publica, teratur manibus, excipiatur oculis: dignum enim censeo, qui semel, iterum, atque millies sudet sub prælo. Actum, & subscriptum Cæsaraugustæ in Societatis IESV Collegio, die 16. Iulij, anni 1678.

*ORENTIVS ARDANVY,*
*è Societate IESV.*

IMPRIMATVR.

*Martel Vic. Gnl.*

CEN-

# CENSVRA R. P. DOMINICI TVYO, ORDINIS Prædicatorum, in Sacra Theologia Magistri gravissimi, & Sanctæ Inquisitionis Aragoniæ Qualificatoris.

EX commissione Perillustris D.D.D. Francisci Martini Clemente, Regiam Cancellariam Regni Aragonum Regentis; attentè vidi, & attenta mente perlegi *Tractatum de Fide Divina à RR. P. Fr. Raymundo Lumbier in florentissima Cæsaraugustana Academia Primaria Cathedra Regente, ac Moderatore clarissimo, rerum Fidei æquissimo Censore, Regio Concionatore celeberrimo, Ælianæ Religionis in Aragonia Provincia semel, atque iterum Provincialis dignissimo, elaboratum, ac conscriptum*, & nihil in eo Catholicæ Fidei dissonans, nihil à sana doctrina devium reperi, imò omnia, & singula in eo contenta eximium, & Catholicum redolent, ac prædicant Doctorē, quem ex tribus commendat Angelicus Magister 1. 2. q. 111. art. 4. Ex plenitudine cognitionis, ex ponderosa probationum efficacia, & ex convenienti claritate, ac facilitate docendi, quæ omnia, & quam plurima alia cumulata in Auctore, ac redundanti stagnatione vnita reperies, vt proprium locum hic habeat illud Claudiani. Quæ sparguntur in alios in te mixta fluunt. Et si pleno ore in sacra pagina, Eccl. 59. Sapiens prædicatur, qui antiquorum scripta æditaquè excussit, quid sentiendum fatendumque de viro laboriosissimo, qui, & antiquarū, & recentiorum omnium dicta vraditaquè, & in ætate Scriptorum Scribentiumquè feracissima, indefessa investigatione percalluit? In probationum pondere, & efficacia, tam in concludendo, quam in arguendo, & diluendo quis clarissimi viri profunditatem, ingenij acrimoniam, inevictabilemquè nervositatem non miretur? Gravissima adversantium tela, argumentorumquè nubi-

bila, brevi, succinctaquè distinctione confringit, & clarificat, vt mysteriorum Fidei credibilitati novam lucem, novumquè splendorem addidisse, hucquè inter alia merito dirigendum illud prophetieum Psalmi 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, affirmare non verear. Iam in facilitate docēdi aliorumque instructione, tanta dexteritate, tanta perspicuitate est præditus vir, vt nemini secundum esse non dubitem: res enim difficillimas, & obscurissimas quales hic pertractantur, talibus, tam tritis, tam manualibus, tamque palpabilibus proponit similitudinibus, & exemplis, vt & rudioribus, & quantumvis imperitis, & inexpertis facilia capiu reddantur, iuxta illud D. Cyrilli lib. 10. in Ioannem, cap. 9. Similitudines quamvis minimæ sint, sæpè numero tamen maximas, supernaturalesquè res clariores quodam modo faciunt. Tantus igitur splendescit Auctor in hoc Tractatu, tam plenus acuminis, ponderis, & eruditionis, vt opinioni omnium de se conceptæ, non solum respondeat, sed & longè superet, & sit eruditorum decus; & omnium admiratio. Opus ergo & Tironibus, & Provectioribus, & consummatis vtilissimum iudico, dignumque vt in lucem celeriter prodeat. Sic subscribo in hoc Cæsaraugustano Prædicatorum Conventu, die 9. Maij 1678.

*Fr. Dominicus Puyo.*

IMPRIMATVR.

V. Clemente Reg.

upna

# TRACTATVS V. DE FIDE DIVINA.

## DICTATVS

*A Reverendissimo P. Magistro Fr. Raymundo Lumbier, Anno 1673.*

### PROEMIVM.

1 EGERVNT de ea Magister Sententiarum *in 3. à distinct. 23 vsque ad 25.* Item Divus Thomas 2.2. *à quæst. 1. vsque ad 16.* & communiter Scholastici, qui eos suis Commentarijs illustrarunt. Cùm enim Angelicus Doctor 1. 2. egisset de Virtutibus in communi, rectus ordo postulabat, vt ageret de illis in particulari. Exordium autē sumpsit à Virtutibus Theologicis, vtpotè natura & dignitate, alias Virtutes superantibus: nituntur enim Theologicæ, tanquam obiecto formali specificativo in ipso Deo, & in aliquo intrinseco illius, cum aliæ Virtutes non nitantur Deo, sed motivo creato, (licèt aliquando relato ad Deum, vt indirectè se habentem ad talem virtutem, vt patet in Virtute Religionis.) Cæpit autem à Fide, quæ est vasis & fundamentum totius ædificij spiritualis.

2 Summitur autem hic Fides strictè pro habitu, vel actu assentiendi & iudicandi rem ita esse, quia alter dicit: Si dicens est Homo, vel Angelus, assensus propter tale dictum est Fides humana, vel Angelica. Si autem Deus ipse, est divina; & de ista hic. Pro maiori autem intelligentia nota, nomen *Fidei* esse æquivocum, vel valdè analogicum; diversimodè enim sumptum convenit & operationi intellectus, & operationi etiam voluntatis. Summitur enim Fides à verbo *Fido*; intellectus autem dum credit, assentitur illi, fidendo veracitati & dictis alterius, & sic talis assensus de re à Deo revelata, fidit dicto Dei.

3 Quia verò Fides aliquãdo summitur pro materia ipsa revelata & credenda, iuxta illud Symb. Athanasij: *Hæc est Fides Catholica, quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.* Advertendum est totam materiam revelatam vocari Fidem, quia est obiectum adæquatum extensivum ipsius; sicut artificium domus vocari solet Architectura. Insuper nomen *Fidei*, prout conveniens operationi intellectus, summitur pro credulitate, conscientia, & dictamine rationis proponente, rem esse licitam, vel illicitam. Et in hoc sensu dixit D. Paulus: *Quod non est ex Fide, peccatum est*; id est quod fit, non præcedente credulitate, sive bona Fide, dicẽte rem esse licitam, peccatum erit. Sed ista significatio non est pro Fide de qua hic, quia bona Fides non est aligata dicto Dei prout dicto Dei, sicut Fides divina: sed potest dirigi per quodlibet motivum prudens, etiam authoritatis humanæ, cui intellectus fidat.

4 Altera datur Fides, quæ sit voluntatis operatio: *Hæc autem est fiducia*, qua quis fidit promissioni, vel bonitati alterius, sperans accipere ab illo. Vadè Christus sæpè in Evangelio, petentes ab eo aliquod beneficium, examinabat de fiducia. Huius defectum reprehendit in Petro in mari vacilantem, dum dixit: *Modica Fidei quare dubitasti?* Solet etiam Fides voluntatis sum-

summi pro fidelitate, quasi dicatur Fides quod sit ex promissione. Fidelitas autem licèt in se non sit fiducia, est tamen quasi materia & obiectū (sicut nuper dicebamus de materia revelata) cui Fidens innitatur & fidat. Solemus enim Fidere promissioni alteriùs atque constantiæ & fidelitati promittentis, & sic fidelitas est materia Fidei, sive fiduciæ. De Fide divina intellectuali hic sermo est.

## QVÆSTIO I.

## DE OBIECTO FORMALI FIDEI.

### ARTICVLVS I. & §. I.

### ALIQVA PRÆNOTANTVR.

1 EGimus de natura & speciebus obiecti vt sic, varijs in locis. Nempè à *num.651. de Attributis.* A *num.132. de Visione.* A *num.144. de Voluntate.* A *n.1395. & 1401. de Incarnat.* Et fateor, quod materia hæc licèt tàm communis, semper mihi est difficilis & intrincata. Pro explicatione.

6 Nota 1 Duplex obiectum Fidei, sicut & cuiuslibet scientiæ, materiale nempè & formale. Materiale est obiectum quod attingitur, non per se & ratione sui, sed ratione formalis. Vndè creationem mundi in tempore non credimus ratione suæ veritatis nec propter ipsam, sed quia Deus revelat. Formale verò est id, quod per se, & ratione sui attingitur, vt Deus revelans.

7 Materiale etiam potest esse subiectum & obiectum. Subiectum est id de quo aliquid prædicatur, significaturque per modum incomplexi. Obiectum verò est tota propositio obiectivâ significata per modum complexi, nempè quod *Deus est Trinus.* Vndè subiectum Fidei est Deus, Christus, Gratia, Sacramenta, peccata,

& quælibet res de qua affirmatur aliquod prædicatum revelatum, credendo illud de tali subiecto, quia Deus dicit: *Omnia illa simùl sunt subiectum Fidei adæquatum.* Quodlibet verò est subiectum partiale. Inter partialia autem, præcipuum & Attributionis est Deus Trinus, eo quod ad magis cognoscendum illum, omnia alia revelata noscuntur & creduntur, ex ordinatione & intentione Dei infundentis Fidem.

8 Nota 2. Obiectum formale sive *per se*, dividi in formale *quod*, & formale *quo*, sive *propter quod*. Illud est quod attingitur per se à scientia ratione ipsius. Illud verò est ratio illa sub qua, sive propterquam formale, *quod* attingitur à potentia, sive id *quo mediante*. Communiter explicari solet in obiecto visus sic. Etenim obiectum materiale est quodlibet corpus informatum colore; nam absque isto nequibat attingi; color verò est formale *quod*, quia per se attingitur à visu: Lux verò est *quo*, sive *ratio sub qua* attingitur, quia color non videtur, nisi prove illuminatus, & lux est qua constituitur in ratione proxime visibilis.

9 Ego ex dictis in materia de Visione rationem formalem & per se sic distinguerem, ita vt obiectum formale *quod*, sit obiectum per se potentiæ vel habitus à ratione formali *quæ*, & à ratione formali *sub qua*. Ratio *quæ* est illa ratio se tenens in obiecto expressata, & intentionaliter tacta per actum ipsum vitalem. Ratio *sub qua* est illa ratio, quæ non expressatur per actum, (vel saltùm ex genere non est necesse vt expressetur;) tamen se tenet ex parte obiecti, vt constituat obiectum, attingibile à potentia, & à tali actu, prove est talis potentiæ.

10 Dat autem ratio sub qua specificationem actui essentialem, quia actus licèt non exprimat eam in obiecto, petit essentialitèr, quod in obiecto illa sit: v.g. Visio ocularis coloris illuminati & visibilis, specificatur essentialitèr, vt est actus potentiæ visivæ, non à colore illuminato vt cumque; (nam etiam intellectio & volitio

pos-

possunt versari circa colorem illuminatum ) sed specificatur ab illo vt visibili, sive sub ratione visibilis, & à visibilitate vt à ratione *sub qua*: quæ tamen ab oculo, nec expressatur, nec videtur; diversificat autem visibilitas visionem ocularem ab intellectione, aut amore de illo.

11 Vndè visio ocularis potest considerari quando versatur circa albedinem illuminatam, vel generalitèr vt est actus potentiæ visivæ, & sic specificatur à colorato vt sic & à visibilitate obiecti non expressata, reperta tamen in illo; & potest considerari secundum speciem athomam, & vt differt à visione nigredinis illuminatæ: & sic specificatur essentialitèr à formali *quod*, nempè albedine illuminata. Lux autem cum sit expressata per visionem, licèt ab aliquibus dicatur ratio *sub qua*, potiùs videtur dicenda complementum essentiale rationis formalis *quæ*.

12 Quia tamen actus Fidei assentitur obiecto revelato, *quia Deus dicit*, ita vt obiectum de se nihil habeat ad obscuram creditionem, nisi ponatur sub revelatione divina: ideò communitèr docetur, illam esse rationem *sub qua* specificativam. Potest autem differre à luce respectu oculi; nam lux est ratio *quæ* immediatè visa, & obiectum strictum expressatum. At revelatio licèt regularitèr sit expressata, sed non vt obiectum creditum, sed potiùs vt motivum & ratio credendi. Trinitas enim v.g. est quę creditur, quia Deus dicit.

13 Ego vel omnem rationem expressatam reducerem ad rationem formalem *quæ* vel ad complementum ipsius, vt sæpè insinuavi: vel potiùs duas distinguam rationes *sub qua*. Vnam strictam vltimo & completè diversificativam potentiæ, vel habitus, vel actus prout est talis potentiæ vel talis habitus. Aliam minus strictam. Illa communitèr loquendo, nec expressatur per actus cognoscitivos, nec per volitivos: talis est visibilitas, veritas, bonitas, supra quas actus vitales non reflectunt, dum sua attingunt obiecta. Sic Architectura

dicit: *Hæc domus est valdè artificiosa*, & voluntas illam amat vt talem, quin intellectus dicat, *quia vera*, nec voluntas exprimat *quia bona*. Talis etiam est respectu scientiæ per se infusæ veritas creata superne attingibilis, vt diximus *Tomo de Incarnatione*; & talis tandem est respectu Fidei divinę attentibilitas obscura proxima divina per creditionem. Istæ enim rationes *sub qua* sunt formaliter correlativæ ad potentias vel habitus; & dicuntur ad convertętiam cum illis, tanquam specificativæ ad specificata: sic oculus est visivus coloris illuminati, quia visibilis, & iste est visibilis ab oculo, quia visivo.

14 Item Fides divina credit Trinitatem revelatam, quia eo ipso est obscurè proximè & divinè credibilis, & ista est sic credibilis, quia Fides divina est sic creditiva. (Dixi quod ratio *sub qua* fidei est credibili as divina proxima. Datur enim alia credibilitas in Mysterijs, quæ est credibilitas prudens, de qua infra Deo dante. Prudens enim non est attingibilitas & ratio *sub qua* Fidei divinæ, sed est quid prævium ad iudicium evidens dictans prudenter posse credi.) Alia datur ratio *sub qua* minùs stricta actus in ratione talis. Et dico minùs strictam, quia licèt sit motivum actus, & ratio attingendi expressata, & non sit per talem actum credita, iudicata, vel tacta tanquam obiectum strictum (in quo differt à luce respectu oculi;) at non est completivè specificativum talis actus, quia hoc est proprium rationis *sub qua* strictę, sive attingibilitatis.

15 Patet in actibus voluntatis. Etenim qui procurat numos vt sublevet pauperem, habet pro obiecto stricto talis actus numos volitos, licèt motivum volendi sit sublevatio, quam Theologi reducunt, non ad obiectum strictum volitum, sed ad circumstantiam finis, quia est motivum & ratio volendi. Attinguntur ergo numi per talem volitionem, non secundum se, sed prout induuntur ratione sublevationis, tanquam ratione *sub qua*

misericordiæ, expressata per volitionem. Et in hoc sensu est ratio *sub qua* actus, sicut revelatio respectu Fidei; non tamen est stricta, quia non est vltimata, atque vltimo completiva in ratione specificandi. Ista enim est amabilitas & honestas obiecti, quæ non expressatur. Dum dixi, rationem *sub qua* strictam non expressari, intelligi debet communiter loquendo, & per actus directos nobis frequentissimos, non tamen est contra conceptum rationis *sub qua*, aliquando expressari per actus reflexos, & præcipuè comprehensivos; dummodo sit vltimata.

## §. II. *ALIÆ ADVERTENTIÆ.*

16 EX dictis nota 3. Actum posse triplicem habere specificationem, summendam ex triplici capite. Prima, vt est actus talis potentiæ, vel habitus. Secunda, vt est talis actus in specie sive huius speciei athomæ inter alios actus. Tertia, est specificatio ordinis, nempè superni, vel naturalis. Prima summitur à ratione *sub qua*, quæ est vltimo specificativa, v.g in actu misericordiæ superno habente pro obiecto sublevationem miseriæ honestas, sive amabilitas sublevationis non expressata, est ratio *sub qua* eius vt virtutis. Secunda specificatio in ratione speciei athomę, summitur à sublevatione expressata, nam per istam differt specie ab actu Iudicię.

17 Ex quo sequitur, quod habitus coarctati ad determinatam honestatem specificam; & potentiæ etiam coarctatę (quales sunt materiales & sensus corporei) nõ specificantur à sola ratione *sub qua*: vt oculus à visibilitate, sed ab ipsa prout in ratione *qua*, sive à visibilitate in lucido colorato, vt tali: & Auditus ab audibilitate prout in sono. Tertia ordinis, summitur ab ordine rationis *sub qua* strictę. Et enim talis misericordia superna, non est superna à sublevatione expressata, quia ista est naturalis, sed ab attingibilitate superna per principia

superna, quatenùs ex eiusmodi à tali actu attingibilitas superna, vt sit in obiecto.

18 Vndè quando Theologi docent, actus supernos specificari ab obiecto superno vt superno, meo videri, & iuxta dicta *in Tract. de Visione*, non sunt intelligendi de obiecto formali *quod*, vel *quæ*, nec de ratione *sub qua* minus stricta, sed de ratione *sub qua* stricta. Etenim hæretici pluries assentiuntur aliquibus Mysterijs, quia Deus illa revelavit in Scriptura; & alijs non assentiuntur, quia censent, Deum non revelasse ista; talis autem assensus licèt innitatur divina revelatione, non est supernus, sed naturalis: quia totum illud attingit sub attingibilitate naturali, & per media naturalia. *Vide me omnino à num. 131. de Visione Dei.*

19 Pater Gaspar Hurtado *Tract. de Fide, disput. 1. de Obiecto materiali Fidei*; ponit discrimen quoad obiectum formale attingendum, inter potentias cognoscitivas & appetitivas: quod cognoscitivæ, sive sint intellectuales sive sensitivæ, generaliter loquendo, per suos actus non attingunt motivum formale, sed solum obiectum materiale. Appetitivæ autem attingunt. Excipitur actus Fidei, qui attingit motivum formale; assentitur enim quia Deus dicit; sicut voluntas amat obiectum, quia bonum.

20 Sed in primis hoc discrimen non placet, nam vel sermo est de ratione formali *quæ*, vel de *sub qua* stricta? Si de prima, tàm ab intellectu quàm à voluntate exprimitur, licèt sine reduplicatione communiter. Sicut enim intellectus iudicat, domum esse artificiosam, ita voluntas afficitur erga illam propositam vt artificiosam, tanquam in ratione *quæ* cognitam & amatam. Si sermo sit de *sub qua*, nec intellectus nec voluntas communiter loquendo attingunt motivum formale, exprimendo & reduplicando supra illud, quia nec intellectus repetit ly *quia verum*, nec voluntas ly *quia bonum*,

*num*, licèt exigant vt sint in obiecto. Secundò displicet, quod cognitio solum attingat obiectum materiale. Visio enim ocularis attingit formale nempè colorem & lucem: & quævis scientia vel ars attingit formale, vt sit actus talis scientię: v. g. domus est artificiosa habens fundamentum solidum inferius & tectum superius.

21 An autē Fides debeat semper expressare Deum revelantem sic: *Assentior Incarnationi, quia Deus dixit*, differatque in hoc ab alijs cognitionibus vt vult Hurtado; infra dum sermo sit, an assensus attingens Mysterium & non revelationem sit Fidei. Si alicui minus arrideat, quod lux non sit ratio *sub qua*, moto à cortice locutionis communis, quod color non videatur, nisi positus sub luce; reducat illam ad rationem *sub qua* latam: sed advertat, quod nec paries videtur, nisi *vt sub colore*, nec propterea color est ratio *sub qua* adhuc lata; stricta autem debet esse ratio vltimatè specificativa essentiæ adæquatæ actus, modo explicato hic à num. 16.

## ARTICVLVS II.

### *AN OBIECTVM FORMALE FIDEI SIT ALIquod intrinsecum Dei?*

22 SVpponit quæstio contra Guillermum *in Tract. 2. de Fide*, eam habere obiectum formale: & merito. Tùm quia divina Veritas asseritur à Theologis ratio assentiendi per Fidem. Tùm quia est virtus Theologica & diversa ab alijs ob motivum. Tùm quia non est minus sufficiens testimonium Dei ad formandum assensum Fidei divinę, quàm humanum ad humanæ: ergo sicut assensus humanus nititur testimonio hominis vt sit Fides humana; ita & assensus divinus testimonio Dei.

Vndè

23 Vadè malè ait Guillermus, Fidem sine obiecto formali attingere materialia ex solo imperio extrinseco,& affectu obediendi Deo. Contra, nam hæc obedientia non est motivum virtutis Theologicæ intellectualis, sed solius moralis affectivæ. Etenim licèt imperativè & directivè, ideò intellectus assentiatur Deo dicenti, *quia voluntas vult*: formalitèr non est ita, sed quia verum credibile est: ergo debet dari motivum ex parte intellectus. Nec obest, quod laudabilitas Fidei sit in eo quod credat difficilia absque vllo motivo. Nego enim, sed in eo quod credat purè propter dictum obscurum Dei.

24 Ait ergo difficultas; an in obiectum Fidei intret aliquod prædicatum Dei? Affirmo cum communi sentent. & probatur.1 ex Script. & Patribus credibilitatem proximam Mysteriorum Fidei reducentibus ad authoritatem Dei loquentis, tanquam ad rationem credendi. Etenim Prophetæ, vt Fides daretur dictis ipsorum, sic Deum introducebant loquentem: *Hæc dicit Dominus*. Item: *Factum est Verbum Domini ad me*. Et Christus, Matth.16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus*. Item Ioann.1. *Vnigenitus, qui est sinu Patris, ipse enarravit*. Paulus ad Galat.4. ait de prædicatione sua vt credatur; se non ab homine accepisse Evangelium: *Sed per revelationem Iesu Christi*. Hæc & alia Scripturæ loca intelliguntur à Patribus, de Deo dicente, tanquam de motivo Fidei divinæ.

25 Probatur 2. ratione, quia vt Fides tanquam Virtus Theologica differat à morali, debet niti vt motivo aliqua perfectione intrinseca Dei. Vt autem sit Fides, niti debet testimonio dicentis. In hoc enim differt Fides à scientia, vt ait D. Bernard. *Serm. de Cœna Domini*, (sive quisquis sit eius Author) quod scientia ratione & intellectu adquiritur: Fides verò, sola dicentis authoritate ducatur: ergo vt sit Fides divina, niti debet divino testimonio, sive Deo dicente,

26 3. Fides divina vt sit infallibilis, debet firmari, & niti authoritate Dei testificantis; atqui authoritas est quid intrinsecum Dei: ergo nititur aliquo intrinseco Dei. Minorem declaro cum Granado *hic disp... num...* Etenim authoritas divina stat in aggregato ex summa Sapientia Dei, quę nihil potest ignorare, & summa rectitudine suæ veracitatis & voluntatis, quæ cum nemineni possit decipere, semper dicet quod sentit, & semper sentit quod ita est. Licèt enim quis omnia sciret, si tamen non esset inclinatus ad dicendum quod sentit, vel è contra; licèt esset inclinatus ad dicendum quod sentit, si tamen nesciat quod dicit, ex quolibet horum defectuum, eius testificatio parum haberet ponderis & authoritatis: ergo vt eius authoritas sit infallibilis ratio assentiendi, & debet scire quod dicit, & inclinari ad dicendum quod scit, & ad neminem decipiendum; stat ergo ratio assentiendi in prædicato intrinseco Dei.

27 Ad maiorem intelligentiam, nota, quod veritas in Deo est triplex, nempè in essendo, in cognoscendo, & in dicendo. Prima, est veritas transcendentalis omne ens transcendens, & Deus per illam est verus Deus, atque non falsus, nec apparens, sed habens omnia prædicata essentialia Dei, eiusque esse concordat cum apparientia. Secunda nempè in cognoscendo, est essentialis conformitas cognitionis cum obiecto, quin de illo possit aliter sentire, ac in se est. Et propterea à nemine potest falli. Tertia in dicendo, & est intrinseca determinatio divinæ voluntatis ad conformandam suam locutionem cum mente. Hæc autem inclinatio appellatur veracitas. Quælibet harum veritatum dicitur in suo genere prima Veritas, sicut & Deus dicitur primum ens. Cum igitur divina authoritas dicat veritatem in cognoscendo & dicendo, manifestè sequitur, aliquam Dei perfectionem intrinsecam intrare in obiectum Fidei formale.

AR-

## ARTICVLVS III.

### *ARGVMENTA CONTRARIA SOLVVNTVR.*

28 OBijcies 1. Potest quis credere Mysterium revelatũ propter miracula: dicebat enim Christus incredulis: *Alioquin propter opera ipsa credite* ergo quin interet aliquid intrinsecum Dei. Confirmatur, qui determinaretur ad credendum, visis miraculis, verè diceret: *Credo Incarnationem quia est confirmata per miracula.* Nota in responsione nos non loqui de miraculis, prout sunt locutio Dei: in hoc enim sensu dicendum de illis, quod argumento sequenti de testimonio Dei. Distinguo ergo antecedens: propter miracula tanquam rationem formalem, nego si sermo fit de Fide Theologica: tanquam propter conditionem impulsivam, concedo antecedens, & nego consequentiam.

29 Etenim licèt miracula possint esse, *quare* quis credat: tamen ly *quare* habet latitudinem: miracula ergo in Fide Theologica non pertinent ad *quare* rationis formalis obiectivæ motivæ, sed ad *quare* requisiti applicativi, sive conditionis. Sic ignis dicitur comburere stupam, quia applicatus; sed ly *quia* non sonat virtutem comburendi, sed conditionem approximationis requisitam. Similitèr ly *propter miracula*, signat suasionem & applicationem motivi stantis in eo, quod Deus revelaverit: non tamen sonat rationem formalem assentiendi. Sicut cibus commeditur formalitèr, quia sapidus & comestibilis: Sæpè tamen dicimus quod pauper comedit, quia dives dat. Istud *quia* non est rationis formalis, sed applicationis.

30 Obijcies 2. Fides Theologica potest assentiri propter testimonium Christi; atqui istud est purè creatum: ergo sufficit motivum purè creatum. Maior constat ex illo Ioann. *Creditis in Deum, & in me credite,*

(id est in Christum) Min. probatur, quia testimonium Christi, sive vt hominis, sive vt Dei, est locutio creata. Et sive sit externa & sensibilis, sive interna & ad cor audientis, semper est signum productum & operatio ad extra. Confirmatur. Credere propter testimonium tale vt est testimonium Dei, est verè Fides; atqui non humana: ergo divina, atqui nititur motivo purè creato, nempè testimonio creato Dei, quod vt tale licèt respiciat Deum non respicit illum vt inclusum intra se, sed indirectè; & vt volitantem circa se, modo iam explicato hic in Prœmio, loquendo de virtute morali Religionis.

31 Respondetur, dictum Dei summi posse dupliciter. Primo, quoad prolationem, sive productionem signi significantis Mysterium. Secundo; quoad infalibilitatem & provt involuit Deum ita sentire, sicut testificatur. 1. Modo fortè est quid purè creatum respiciens Deum quasi transcendentalitèr & vt terminum talis respectus: secùs secundo modo; nam involuit divinam authoritatem, vt formam prædicamentalitèr inclusam infalibilitatem dictum Dei, & non dicit eam vt volitantem circa se. Sicut *in Tract. de Incarnatione*, actus meritorius Christi communitèr dicitur, quod licèt entitativè & productivè sit opus purè creatum humanitatis, vel Christi; vt meritorius autem includit intra se Verbum ipsum, vt formam moralem valorantem tale opus. Propter infalibilitatem autem dicti Dei, isti assensus suos æquipolentes: credo Trinitatem, quia Deus dicit: & credo Trinitatem propter dictum Dei: semper ergo includitur in obiecto formali aliquid increatum.

32 Replicabis: ergo iste actus vt verus: credo existentiam Dei, quia Angelus dicit, etiam erit Fides, & Fides divina, atque Theologica, siquidem in obiecto includitur Deus, & hoc sufficit. Nego consequentiam, quoad secundam partem: Verè enim est Fides, sed Angelica, non autem divina. Probas inclusionem in obie-

cto sic. Etenim veritas iudicij est conformitas prædicamentalis cum obiecto includens tanquam formam, quod obiectum ita se habeat in re, sicut actus repræsentat, quod iam verificatur de existentia Dei: ergo Deus includitur in tali assensu vt vero & conformi, eritque Fides divina & Theologica. Nego vltimam consequentiam: Licèt enim includatur in obiecto materiali talis assensus, secùs ex parte obiecti formalis: & solum ab inclusione in isto summitur; quod Fides sit divina & Theologica, non ab obiecto materiali credito.

33 Objicies 3. Finis Fidei est animę salus, quæ quidem est creata; atqui finis & obiectum formale est idem in actibus: ergo istud in Fide est creatum. Maior constat ex 1. Epist. D. Petri, cap. 1. reportantes finem Fidei vestræ salutem animarum vestrarum. Hoc argumentum est Durandi, *quæst.* 5. Prologi, docentis meritum salutis æternæ esse principale obiectum Fidei. Sed facile resp. negando de fine intrinseco Fidei, sive de obiecto formali. Petrus enim loquitur de extrinseco fine Fidei, intento à voluntate credentis: intendit enim credens salvari per Fidem. Sic acquisitio aliarum scientiarum est finis extrinsecus Logicæ intentus à Logico, cum tamen intrinsecus sit artificium formale modi differendi.

34 Objicies 4. Fides potest esse Theologica, quin innitatur aliquo intrinseco Dei. Probatur. Theologia dicitur talis, non quia eius obiectum formale sit Deus, nam potiùs est Mysterium revelatum vt sic: sicut enim Fides habet pro obiecto materiali Mysteria quęcumque revelata, & pro formali authoritatem revelantis, sic Theologia habet pro obiecto materiali conclusiones objectivas, & pro formali Mysterium revelatum; quatenùs ex illo deducentur, vt docent communiter Doctores *in Tract. de Sacra Doctrina*: ergo Fides erit Theologica sine aliquo intrinseco Dei incluso in suo obiecto formali. Respond. nego assumptum & paritatem, quia

Theo-

Theologia dicitur talis, vel quia derivatur à Fide Theologica, & mediatè fundatur in Deo, dicente: vel dicitur talis ab obiecto attributionis, quod est Deus, & non ab obiecto formali & essentiali totius Theologiæ, cum plura attingat sub ratione deducibilium ex Mysterio, quæ non includūt Deum; at Fides est essentialitèr Theologica, & sic omnes actus eius debēt immediatè specificari à Deo incluso in suo obiecto.

35 Obijcies vltimo: Authoritas Dei non est credita per Fidem, sed evidentia naturali nota: ergo nec tangitur per illam. Consequent. probatur: quia Fides solum tangit, quod credit. Respond. 1. nego antecedens: quia etiam est revelata in Scriptura, & à pluribus creditur Fide, sicut existentia Dei; licèt fortè non credatur ab habentibus evidentiam naturalem, nisi dum possint istam suspendere. Respondetur 2. Authoritatem secundum se nosci naturaliter, secùs ipsa vt testificans, quo pacto specificat Fidem. Tandem permisso antecedenti, nego consequentiam, & probationem. Licèt enim Fides attingat obiectum materiale credendi illud, formale tamen attingit, tanquam ratione credendi, sicut contritio peccatorum propter Deum, attingit peccata detestando illa: Deum autem expresè attingit, non detestandi illum, sed potiùs vt rationem detestandi peccata; non enim actus eandem tribuit denominationem omnibus obiectis, quæ tangit.

36 Infero, non fore Fidem divinam assensum Mysterij revelati, si assentiatur propter dictum hominis. Talem solent habere pueri, quando à Magistro, vel Parrocho docentur Deum esse Trioum, si credant ita esse, quia Magister dicit. Erit autem Fides divina, si assentiantur, quia Deus dicit; propositione Magistri tantum se habente vt occasione, seu approximatione, excitante vt credant, quia Dominus Deus dicit.

ARTI-

## ARTICVLVS IV.

### QVODNAM SIT HOC INTRINSECVM DEI.

37 REvocanda est in memoriam ex *artic.2.* Triplex illa Dei veritas. In essendo. In cognoscendo. In dicendo. Est ergo multiplex sententia. Prima, asserit hoc intrinsecum esse Deum sub ratione Deitatis, & veritatis transcendentalis, sine in essendo. Ita Aureolus apud Capreolum *in 3. distinct.24. artic.2. quæst.1.* Secunda ait, esse veritatem in cognoscendo, connotando veracitatem. Tribuitur Bonaventurę *in 3. & alijs.* Tertia veracitatem, præsupponendo veritatem in cognoscendo. Ita aliqui suppresso nomine citati à Suarez *disputat.3 de Fide, sect 4.* Quarta esse authoritatem coniunctam ex vtraque veritate. Ita communis sententia. Tenet Suarez citatus, & ex nostris Magister Bonæ-Spei, & Pater Lezana *disput.2. de Fide.* Quinta, ponit Deum esse obiectum formale *quod* sub ratione Deitatis; formale vero *quo*, sive *sub qua* esse veracitatem, connotando veritatem in cognoscendo. Ita Pater Gonet *disputat.1. de Fide, Artic.1. §.2.*

38 Vltima sententia, distinguit inter actus Fidei, ponitque in Deo duplicem locutionem, nempè assertoriam complectentem veritatē in dicendo & cognoscendo, & aliam promissoriam, sive decretoriam. Differunt istæ locutiones, in eo quod assertoria supponit in Deo iudicium præconceptum ex parte intellectus de re testificata vt est in se. Decretoria verò supponit ex parte voluntatis affectum præconceptum vt res sit, nempè promissionem, decretum, sive propositum faciendi rem. Cum autem Deus sit in sua volūtate, & propositis constans, fidelissimus, & Omnipotens ad exequendum, sufficit ad assensum Fidei Theologicæ infalibilitandum,

quod

quod Deus promiserit, vel decrevit, præscindendo ab authoritate assertoria. Ita ingeniosus Pater Ripal. *de Fide, disputat. 2. section. 9. à num. 74. Et insuper sect. 11.* docet, Deum sub præcissa ratione Deitatis in essendo, sufficere (omni alio attributo præcisso) ad movendum, atque infallibilitandum aliquem assensum Fidei.

39 Assero 1. Authoritas assertoria vt claudens veracitatem, (id est veritatem in decendo) & veritatem in cognoscendo, est obiectum formale Fidei, & requisita essentialitèr pro omni actu Fidei Theologicæ. Ita communis sententia. Probatur prima pars: quia authoritas vt claudens vtramque veritatem reddit divinam testificationem incapacem erroris & deceptionis, & omninò infallibilem, qualis necessaria est pro Fide divina. Etenim ideò formalitèr credimus Deo dicenti aliquam rem, quia nec fallere, nec falli potest. Verumque enim includitur in ratione assentiendi firmitèr; atqui quod non possit fallere consistit in veracitate: quod non possit falli consistit in veritate cognitionis: ergo vtraque est essentialitèr inclusa in ratione formali assentiendi.

40 Respondent primo, testimonium Dei infallibilitari sufficientèr à divina veracitate. Si enim divina est, dictum ipsius imbibere debet omnem conformitatem, & cum mente & cum obiecto & oppositionem cum dicto falso; non enim repugnat veracitas includens totum hoc, & sic concedendum divinæ. Contra, quia veracitas, vel summitur præcisè in sua linea, & sic est virtus solius voluntatis inducens conformationem cum mente in dicto, non curando de conformitate cum obiecto, nam hæc est de alia linea; sicut mendacitas solum habet ex se difformare dictum à mente, & ire contra illam. Vt autem veracitas in sua linea sit transcendentalitèr divina, sufficit si sit increata & à se, dicens, omnem perfectionem conformitatis cum mente. Vel dum summitur veracitas vt divina, summitur secundum

totam perfectionem *conformitatis*, & hoc est summere illam in consortio alterius lineæ, nempè cognoscitivæ; cuius conformitas cum obiecto est proprietas iudicij, quo pacto iam includit veramque veritatem.

41 Respondeo 2. Ista probare quidem requiri ad Fidem veritatem in cognoscendo; non tamen probare quod includatur in forma infallibilitate, sed tantũ quod connotetur. Contra. 1. quia hæc solutio apperit viam adversario vt defendat, dum assentimur propter dictum Dei infallibile, divinam authoritatem necessariò præsupponi, non tamen includi in motivo, istudque esse dictum vt purè creatum. Contra 2. Quia licèt hæc quæstio (an veritas in cognoscendo connotetur præsuppositivè, vel includatur) videatur potiùs Summolistica, quam Theologica, dummodo constet, requiri proximè ad specificativum Fidei; conformior tamen videtur in Iudio, quam connotatio. Probatur, quia ratio essentialitèr diversificans, (nisi obstet aliquod magnum inconveniens,) potiùs est censenda inclusa, quam connotata: talis autem est veritas in cognoscendo, quia ab illa habet testimonium falsùm partialitèr, quod sit infallibile, opponaturque fallibili, vt iam probo.

42 Contra 3. Testimonium est infallibile essentialitèr ex eo quod testificans nec fallere, nec falli possit. Ergo vtrumque includit essentialitèr infallibilitas testimonij. Sicut autem, quod Deus fallere non possit sumitur à veracitate vt forma, ita quod falli non possit sumitur à veritate in cognoscendo vt à forma: parum enim prodesset, quod essemus certi de eo quod Deus determinatus est essentialitèr ad dicendum quod sentit, si essemus dubij, an sentiat de rebus aliter ac sunt. Etenim si vir determinatissimus semper ad dicendum quod sentit, diceret nobis, se habere in corde propositum vel internum promissionem de facienda aliqua re in beneficium alterius, & esset apud nos in conceptu

tantę

tantæ simplicitatis, vt fortè ipse nesciret, quid sit propositum, vel quid sit promissio, non possemus firmitèr testimonio ipsius assentiri, eo quod licèt non falleret, fortè fallebatur.

43 Hinc affero 2. contra P. Ripalda, (& est 2. pars, cum Patre Oxea, *disputat 2. de Fide*;) quod non sufficit Authoritas promissoria, sed essentialitèr requiri pro motivo vtramque simul veritatem, ita vt nullum Dei attributum possit sufficientèr sine isto complexo Fidem specificare, etiam dum credimus fore certissimè ea quæ Deus promisit, vel quotiescumque credimus Deo promittenti. Etenim cum nos non possimus credere Fide Deo promittenti, nisi ipse testetur de sua promissione interna, promissio solùm vt testificata à Deo poteit firmare nostram Fidem; atqui promissio vt testificata non poteit Fidem infallibilitare, nisi quatenùs testificatio est talis, quod in ea Deus, nec fallere nec falli possit, & hoc proveniat formalitèr ab illo complexo, nullus erit assensus Fidei, nisi specificetur à tali complexo.

44 Fateor ergo, præcisa & seclusa veracitate & scientia Dei, quod iste assensus potest esse certus: assentior futuritioni gloriæ Beatorum, quia Deus decrevit absolutè & promisit illam decreto & promissione interna. Etenim tale decretum & promissio se ipsis connectuntur essentialitèr cum tali gloria, supposita in Deo fidelitate & constantia, atque immutabilitate, Omnipotentiaque ad exequendum, & tollenda obstacula. Sed id solum est verum respectu Dei, & Beati, qui noscunt illos affectus internos in se ipsis, & propterea non indigent ad assentiendum propter illos testimonio Dei infallibili: sed non est verum respectu nostræ Fidei, quæ de illis affectibus certificari nequit, nisi Deus testetur illos testimonio quod sit infallibile quoad nos. Non autem erit apud nos infallibile, nisi certificemur de illo complexo veritatis.

45 Ex his confirmatur amplius nostra sententia:

Dum credimus gloriam promissam & decretam, esse futuram, vel credimus, quia Deus testatur de decreto & promissione, & futuritione; vel credimus præcisè futuritionem, quia decreta, & internè promissa. Si primũ, est verè Fides, sed ob testimonium Dei. Si secundũ, fortè non est Fides, sed Theologia, quia est assensus gloriæ propter decretum, tanquam propter Mysterium revelatum.

46 Si dicas, non esse Theologiam, quia hæc deducit effectum ex decreto, & promissione per modum illationis; iste autem assensus assentitur gloriæ per modum fiduciæ fundatæ in promissione, & sic est Fides. Sed contra: nam si est Fides & per modum fiduciæ in promissione, debet esse immediatè in promissione vt testificata, nam de ea in se nobis non constat; alio enim pacto non est certa quoad nos, nec infallibilitans Fidem immediatè, licèt sit certa quoad se. Si autem vt testificata: ergo vt infallibili à prædicto complexo.

47 Adverte, in locutione divina sicut & humana, præter rem dictam, prĕire in loquente cognitionem in intellectu, (pro qua substituitur locutio) & affectum dicendi iuxta mentem, in voluntate. Vndè quando Deus loquitur de suis actibus internis, sive voluntaris sive intellectus, & isti sunt materia locuta sive dicta, sive quando dicit, v. g. *Ego iudicavi de hoc*; præter iudicium locutum, (quod est res dicta & manifestata) præcedit in Deo illa alia cognitio quasi reflexa repræsentans iudiciũ manifestatum, & pro illa & non pro iudicio locuto supponit locutio illa externa dicens: *Ego iudicavit*. Vt igitur locutio sit infallibilis, conformitas ipsius in ratione veracis debet esse cum cognitione illa quasi reflexa: at in ratione verę, (quo pacto summitur à conformitate cognitionis cum obiecto) summitur ab obiecto, nempè à iudicio cognito & dicto per talem locutionem. Sic hæc secunda conformitas est cum obiecto; & prima cum mente. Vtraque autẽ simul conformitas, est quæ certificat & infallibilitat

lo-

locutionem. ¶ Confirmatur: quia etiam si Deus diceret se de tali re, ita iudicasse, vel talem rem promisisse, vel decrevisse, prudens non assecuraretur de re, (licèt esset securus de existentia promissionis,) si esset certus solum de veracitate; posset enim dubitare an benè iudicaverit, vel an scriverit quod promettebat.

## ARTICVLVS V.

### *ARGVMENTA CONTRA PRIMAM PARTEM Conclusionis.*

48 PRimum est contra explicationem divinæ Authoritatis sic. Dum credimus plebeio, quia est notitiosus & verax, non dicitur quod credamus ob eius authoritatem, sicut dum credimus viro magnę dignitatis: ergo authoritas non stat in illo complexo, sed in alia dignitate. Distinguo antecedens: si sermo sit de authoritate testificativa, nego antecedens: si de vulgari, concedo antecedens: quia vulgaris summi solet non à solo constitutivo formali authoritatis testificativæ, sed etiam à radicali, nempè ab obligationibus sciendi res, & dicendi eas iuxta mentem, quæ obligatio nascitur ex dignitate. Responderi etiam posset, quod non quęvis scientia & veracitas, etiam si sit ratio assentiendi, sortiri solet nomen authoritatis, sed quando est eximia.

49 Secundum argumentum: Authoritas divina est principium loquendi ad extra infallibilitèr: ergo claudit præter illud complexum, Omnipotentiam, quæ est principium ad extra. Distinguo antecedens, loquendi qualificativè sive qualificandi locutionem infallibilitando eam, concedo antecedens; loquendi productivè & efficientèr, nego anteced. Hoc autem pertinet ad Omnipotentiam; illud verò ad authoritatem, quod præ-

fiat complexum illud in genere causæ formalis obiectivę specificantis Fidem.

50 Tertium argumentum: Obiectum formale debet attingi formaliter immediatè & ratione sui, sed authoritas divina non sic attingitur à Fide: ergo non est obiectum formale. Minor probatur: quia nullum Dei prædicatum attingitur à nobis nisi mediatè & per creaturas. Hoc argumentum omnem Virtutem Theologalem destruit. Concessa maiori, distinguo minorem: Prædicatum divinum sive authoritas non attingitur immediatè à nobis per omnes actus, qui ipsam attinguntur, concedo; per actus Fidei subdistinguo: non attingitur immediatè originaliter sive immediatione faciali, vel originaria, cōcedo: Primi enim actus attingūt illam media creata, vt fiat transitus ad Fidem: immediatione terminativa, nego; quia per speciem relictam ex alijs cognitionibus, iam immediatè & per seipsam terminat assensum Fidei, tanquam ratio immediata assentiendi Mysterio.

51 Pro cuius maiori intelligentia nota, nos dum per creaturas noscimus Deum, noscimus illum mediatè; ex tali autem cognitione resultat in nobis species impressa de ipso Deo originata ab illa priori cognitione, & sæpè per hanc speciem noscimus Deum immediatè terminativè, v.g. sic: *Deus est existens*; *Deus est Omnipotens*: Quin per istas cognitiones recordemur creaturarum, quæ fuerunt medium ad primum assensum de existentia Dei, à cuius primi assensus specie relicta, iste secundus tanquam à principio originatus est. Ea propter ea causaliter semper est mediatus. Sic sæpissimè, postquam de aliqua re formavimus assensum per præmissas tanquam per medium assentiendi, posteà recordamur sæpè rei iudicatæ, & obliti omninò summus motivi. Similiter ergo postquam nobis constat de divina authoritate mediate per creaturas, remanet species per quam authoritas immediatè terminat, & ratione sui specificat assensum Fidei.

52 Ex his infertur 1. Deum Omnipotentem & Auxiliantem solum materialitèr vel remotè requiri ad Fidem, quatenùs producit obiectum, de quo summa Veritas testatura est, & producit efficientèr testificationem. Vt Omnipotens autem & Auxilians influit causalitèr in ipsum assensum Fidei, quin sic proximè pertineat formalitèr ad obiectum formale Fidei. Infero 2. Cognitionem veram, quæ ingreditur divinam authoritatem, non esse necessarium quod sit determinate scientiæ visionis, vel determinate scientiæ simplicis intelligentiæ, sed erit illa, per quam Deus attingit obiectum illud, quod intendit revelare, vel potiùs cui correspondet locutio.

53 Quartum argumentum: Veritas prima testificans & veramque claudens, non est vltimum in quod resolvitur Fides: ergo non est obiectum formale. Antecedens probatur: quia ideò credo, quod Deus revelat infallibiliter, quia in se est verus Deus in essendo. Item credo Trinitatem, quia Deus dicit; tamen credo dicere illam, quia Ecclesia proponit: ergo authoritas Dei dicens, non est vltimum. Nego anteced. loquendo de vltimo in linea Fidei. Vltimum enim est prima authoritas dicens. Ad probation. Respond. illa, quæ adduntur, non addi intra lineam Fidei, quia hæ sistit in Deo revelante. Sed in alia linea proponente obiectum Fidei, de quo infra: sicut in combustione linea Virtutis comburendi & linea approximationis, sunt diversæ lineæ.

54 Quintum argumentum: Deus vt verax est prima veritas in dicendo: ergo eius veracitas est tanta veritas, vt nulla sit excogitabilis maior veritas: ergo non solum ipsa est conformitas cum mente sed cum obiecto, ita vt falsum nequeat subesse. Maior enim esset veritas, veramque claudens conformitatem. Concesso antecedenti, distinguo consequens: veracitas est tanta veritas, vt nulla sit maior, quantum attinet

ad conformitatem locutionis cum mente, concedo; quantum ad vtramque simùl cum mente & obiecto, suddistinguo. Ex propria linea præcisè, nego; ex propria & ex consortio cognoscitivę, quam petit ad plenè infallibilitandum, concedo.

55 Sextum argumentum: Ergo Fides non differt à prophetia, quæ etiam innititur primæ veritati revelanti. Vndè omnes Christiani erimus Prophetæ. Nego consequentiam. Tùm quia prophetia præter assentiri ob primam veritatem, pendet à multis alijs, de quo *Quæst. 25. de Incarnatione, Artic. 6.* Tùm quia licèt veraque attingere possit idem, sub prima veritate, adhuc differunt in tribus. Primum, quantum ad obiectum formale, quia prophetia nata est nitti in prima veritate revelante, quin ex se dicat determinationem sicut dicit Fides, ad innitendum in dicto ipsius per modum dicti, & non per modum connexi: potest enim esse de prima veritate visa, sicut erat prophetia in Christo Domino nostro.

¶ Secundum, quantum ad obiectum materiale, quia prophetia determinata est ex se ad obiectum, prout in quadam differentia temporis, nempè prout futurum: secùs Fides, quæ est de obiecto quasi æterno, id est; quod æterne est verum, v. g. *Christus natus est.* Tertium, ex parte attingibilitatis, quia Fides assentitur sub attingibilitate permanenti, id est regularitèr per lumen permanens. Prophetia, saltùm quando est obscura, est regularitèr sub transeunti.

ARTI-

## ARTICVLVS VI.

### *ARGVMENTA EX P. RIPALDA CONTRA secundam partem Conclusionis.*

56 SEptimum argumentum, ex P. Ripalda contra secundam partem: Assensus quo credo effectum futurum, quem Deus decrevit, est Fides Theologica; atqui iste non movetur ex sapientia Dei, sed præcisa sapientia, movetur ex veracitate dicente in Deo esse tale decretum, & coniuncta constantiæ & potentiæ Dei: ergo datur Fides, quæ non moveatur, sed præscindat à veritate in cognescendo. Mai. constat, quia talis assensus est Theologicus cum nitatur aliquo intrinseco Dei, nempè decreto. Minor vero probatur: quia etiam si non apprehendamus, Deum habere notitiam futurorum, adhuc effectus noscitur vt impotens non esse, si apprehendamus Deum esse veracem in dicendo, dicentemque se habere tale decretum. Si autem apprehendamus constantem atque simul Omnipotentem, certum nobis erit quod non mutabit decretum, & quod ponet effectum in executione: ergo talis effectus eo ipso noscetur à nobis vt infallibilis, ex sola veracitate coniuncta constantię & Omnipotentię.

57 Confirmatur: quia dictum Dei connectitur cum re dicta infallibilitèr medio decreto faciendi illam: cum ipso autem decreto, à quo mutuatur connexionem, sufficientèr connectitur tale dictum media veracitate asseverante in Deo esse tale decretum: ergo præscindendo à scientia Dei, adhuc manet sufficiens infallibilitas Theologica, & connexio cum effectu in tali dicto divino ad infallibilitandum assensum Fidei.

58 Respond. ad argumentum, distinguo maiorem: Assensus quo credo, effectum quem Deus decrevit facere, est Fides Theologica distingo: si credo propter testimonium Dei testantis de tali decreto, concedo; si

propter

upna Universidad Pública de Navarra Nafarroako Unibertsitate Publikoa

propter cōnexione n futuri cum decreto interno sumpto præcisè & secundum se, nego; quia iste assensus potiùs est Theologia inferens effectum ex causa determinata & ex Mysterio revelato: non enim assentitur tunc immediatè propter revelationem, sed propter decretum internum connexum revelatum. Nego insuper min. nempè Fidem moveri à sola veracitate, supposita constantia, si Fides sit propter testimonium Dei testantis de decreto: Ex veracitate enim benè sequitur, quod Deus revelans decretum, existimet se illud habere. Ex constantia autem sequitur, quod si decretum habeat sicut existimat habere, non mutabit illud, & quod Omnipotentia exequetur rem decretam. Ex his tamen non constat, quod illa existimatio divina de decreto sit vera, & in Deo verè supponens decretum, quousque constet nobis de veritate divina in cognoscendo, & quod sciat verè, quid sit decretum?

59 Ad confirmationem nota, aliud esse quod effectus decretus à Deo sit infallibilis quoad se; aliud quod sit infallibilis quoad Nos. Quoad Nos non erit, nisi per testimonium Dei, infallibile ab veraque veritate. Vadè distinguo antecedens, & concedo veramque partem de connexione & infallibilitate effectus quoad se & quoad Beatos, summi sufficientèr, in vno ab interno decreto efficaci, & in alio à veracitate. Quoad Nos vero, sive quoad nostram Fidem, nego antecedens: quia quousque nobis cōstet de testimonio Dei vt infallibili ex veroque capite, nō erimus certi per Fidem, de futuritione effectus: Veracitas enim ex se probat solum quod Deus, non diceret rem esse à se decretam, nisi existimaret se decreviſse; quod verò res sit verè decreta, & existimationi addatur veritas, ex veracitate non probatur nisi addatur vlteriùs veritas in cognoscendo, & sic nego consequens.

60 Octavum argumentum contra eandem partem. Assensus quo credo futurum esse quod Deus promisit se facturum, est Fides; sed talis assensus potest non

nitti vila ex his veritat.bus:ergo. Mai pates, quia est assensus propter testimonium Dei promissorium. Min. autem probatur. Eo ipso quod ponatur tale testimonium,& apprehendatur Deus vt fidelis in suis promissis,& vt potens ad exequendum certificamur (omni alio per rationem sublato,) quod erit res. Etenim fidelitas in promissis certificat Nos, de eo quod Deus habeat voluntatem efficacem faciendi rem; Omnipotentia verò certificat de executione rei per talem voluntatem decretę; atqui fidelitas, (si sit distincta à veracitate) & Omnipotentia, est quoddam complexum omninò prascindens à complexo vtriusque veritatis: ergo qualibet ex his præcissa, est dabilis aliquis assensus Fidei Theologicę. Confirmatur: quia in illo complexo ex voluntate efficaci, ex fidelitate & Omnipotentia est certissima Deo futuritio effectus: ergo & potest esse certa nobis. Si autem homini, quem fidelem novimus in promissis, & potentem facere rem, eo ipso credimus illi, si promittat; multò magis Deo ex his capitibus præcisè.

61 Respondetur concessa maiori, si credam propter testimonium promissorium Dei, & nego minorem: quia eo ipso quod concipiam testimonium, & dictum Dei, concipio dixisse quod sentit, & sentire quod verè est. Ad probationem minoris, concessa maiori nego minorem, nempè quod cognita à nobis externa promissione,& Deum esse fidelem & Omnipotentem, simus per hoc pręcisè certi de effectu futuro. Si enim per impossibile stantibus his suboriatur dubium in nobis, an sit sapiens, vel non,& an promisserit ex sola existimatione, non penetrans rem promissam, nec penetrans, an sit efficax, vel ineffieax propositum internum faciendi rem promissam, dubitare poterimus de effectu,& de applicatione efficaci Omnipotentiæ ad illud producendum. Numquam ergo Fides nostra ex Dei externa promissione concepta, erit certa quousque nobis constet, eum benè noscere interni affectus efficaciam, quam exce-

ipus

rius exprimit, & in his quæ dicit promissorie motum fuisse ex certa scientia, & non ex falsa existimatione.

62 Decretum ergo efficax Dei se solo certificat de effectu, si summatur per modum medij visi: secùs si per modum testificati, quia cum tunc non videatur connexio, supplet istius vices infallibilitas dicti, quæ concipi nequit vt certificet, sine vtraque veritate. Ad confirmationem respond. fidelitatem & Omnipotentiam, si addatur voluntas efficax, se ipsis esse medium certificativum pro Deo & Beatis, quibus patent; secùs pro nobis, nisi Deus testificetur testimonio infallibili, quale non est absque scientia. Ad illud de Fide homiliis respond. eam non debere esse certam ab eius testimonio, & ob id non quærenda in illo tot securitatis capita. Adde etiam vtramque veritatem requiri, saltèm prudentèr existimatā, vt prudentèr licèt fallibiliter credamus propter dictum ipsius, rem fore.

63 Contra hæc replicabis. 1. Deus non solum est fidelis in promissis internis, sed etiam in verbis suis, vt Scriptura clamat: *Eo ipso enim quod locutus est rem, & procedit de labijs suis, nō poterit fieri irrita*: Ergo independentèr à promissione interna, in solis eius Verbis promissorijs datur plena securitas. Resp. concesso anteced. de Verbis suis, nego consequentiam. Etenim Deus est fidelis in Verbis suis, & quatenùs concipiuntur vt sua: non ergo eo modo quo à nobis in nostris Metaphysicis nugis voluntariè pro disputatione concipiuntur, excludendo per rationem illa capita veræ promissionis, & scientiæ de illa; à quibus verba sua accipiunt securitatem quoad Nos. Sic enim, & non aliter concipiuntur à nobis vt verba sua.

64 Ex quibus sequitur ex decreto efficaci absoluto sufficientèr proposito, firmari plenè assensum de futuritione rei decretæ, sed pro illo intellectu cui sufficientèr proponatur, v.g. pro Beatis illud videntibus,

nobis autem non proponitur sufficienter, nec per fidelitatem, quia hæc solum infert futuritionem sub conditione quod decretum, aut promissio interna sint absoluta & efficacia, & noscantur vt sunt, secùs si conditionata aut inefficacia, nec per testimonium Dei præcisè vt veracis, quia hoc solum probat in Deo existimationem decreti efficacis, non verò realitatem ipsius. Constantia autem, aut Omnipotentia non probant realitatem talis decreti: proponitur ergo sufficienter nobis per testimonium Dei veracis, simùl & veri in cognoscendo. Tunc enim talis testificatio ex vtroque latere vera, proponit certissimè quoad Nos tale decretum efficax vt verè existens in Deo; & sic certificamur de futuritione effectus.

65 Sed contra doctrinam propositam occurrit mihi alia replica satis difficilis. Positis verbis promissorijs, & fidelitate atque Omnipotentia Dei, necessario erit effectus externè promissus, etiam secluſa veritate in cognoscendo: ergo possum illi assentiri Fide certa. Antecedens probatur, quia si Deus existimet se promisisse absolutè, licèt non promiserit sic, necessario tenetur ex dictamine suæ conscientiæ exequi promissionem, quia ad ita faciendum obligat illum fidelitas: ergo tenetur per novam voluntatem efficacem applicare Omnipotentiam ad executionem effectus externè promissi; nam non potest Deus operari contra dictamen obligatorium: ergo licèt Deus falleretur in illa existimatione decreti efficacis, adhuc futuritio effectus erit nobis certissima, eo præcisè quod Deus cognoscatur à nobis vt existimans promisisse, & vt fidelis & potens. Consequentia probatur: quia licèt Deus per decretum inefficax, non moveat Omnipotentiam ad executionem, hic iam datur decretum efficax inductum ex promissione externa & fidelitate, secluſa veritate in cognoscendo.

66 Respond. nego antecedens sive sequellam, loquendo quoad nostrum assensum. Ad probationem distin-

stinguo antecedens: Deus necessariò tenetur exequi talem effectum necessitate quoad se vera, concedo; vera quoad nos, nego. Etenim semel exclusa à Deo ipsius scientia verissima, dubitare possemus, an detur in Deo talis conscientia, sive dictamen de obligatione efficacitèr applicandi Omnipotentiam ad futuritionem effectus: sicut enim dubium nobis esset, an falleretur in illa existimatione de promissione interna, etiam posset suboriri in nobis aliud dubium, an exclusio dictamine de obligatione, posset formare dictamen oppositum de non obligatione, & quod Deus ob suum supremum dominium & libertatem non poterat obligari, etiam ex fidelitate. Numquam ergo quoad nos erit plena securitas de effectu ex Dei testimonio, nisi concipiamus veracem, & simùl verum in cognoscendo.

67 In fine nota 1.ex *Artic.4.* Duas illas cognitiones repertas in Deo, dum dicit: *Iudico Petrum salvandum esse*, vnam directam, quæ est res dicta sive iudicium dictum, & aliam reflexam dirigentem locutionem, cuius vicaria est, & pro qua supponit ipsa locutio, posse esse vnam & eandem cognitionem, exercentem tamen duo munera; directæ de salute Petri, & reflexæ de iudicio salutis. In rigore autem tale iudicium vt tale, est Mysterium revelatum, licèt simul sit veritas in cognoscendo infallibilitans locutionem de tali iudicio. Si ergo assentitur quis saluti Petri futuræ propter tale iudicium præcisè vt tale, talis assensus non est Fides, sed Theologia. Communitèr tamen & regularitèr non assentimur tali obiecto per Theologiam, sed per Fidem, quia ita immiscentur cognitiones illæ diuinæ in locutione Dei, vt assensus noster sit de salute Petri propter Deum dicentem, se ita iudicare.

68 Nota tandem hic nomine veracitatis infallibilitantis testimonium, non solum intelligere virtutem determinantem ad conformitatem locutionis cum mente,

te, quæcumque sit talis virtus, sive sit strictissima veracitas ex motivo specialissimo veracitatis, sive sit charitas, quæ ex motivo divini honoris & bonitatis determinet Deum ad non mentiendum, & ad conformandam locutionem cum mente.

## ARTICVLVS VII.

### DE VERITATE IN ESSENDO IN ORDINE *ad obiectum formale Fidei.*

66 QVæritur 1. circa veritatem in essendo, an Deitas sive essentia Dei se sola, præcissis alijs attributis, sufficiat ad assensum Fidei? Nego contra P. Ripalda *disputat.* 1. *sect.* 11. Est tamen communior sententia. Probo, quia dum assentior Trinitati, quia Deus dixit: dictum externum Dei, licèt infallibiliter quoad se à Deo prout Deus est, secùs quoad nostram Fidem. Probatur: quia testimonium per modum testimonij nequit concipi vt infallibile ad nostrum assensum, nisi concipiatur procedere à teste prout cognoscente id de quo testatur, & volente testari iuxta id quod cognoscit; atqui Deus præcisè vt Deus, & prout præcisus à scientia, potiùs concipitur vt non sciens actu & formaliter id quo testificatur: ergo testimonium eius præcisè vt Dei, non potest concipi vt infallibile; imò potius vt expositum periculo falsitatis, vtpote testimonium eius, qui nec videt, nec scivit positivè, quod testificabatur;

70 Dixi per modum testimonij. Etenim non quodlibet signum, sed solum dictum per modum dicti specificat essentialiter Fidem. Adde quod in rigore, à Deo præcisè per modum Dei, seclusa scientia, tale signum non esset locutio, nec esset dictum Dei; sola enim illa signi productio est verè locutio, quæ modo intellectivo profert signa expressiva conceptus interni, id est, cognoscendo significatum talis signi, & media tali cogni-

tione

tione dirigendo prolationem illius signi. Licèt ergo Deus vt Deus ponatur posse proferre signa necessaria io vera, & nos posse assentiri rebus significatis ex motivo talium signorum prove à Deo, tamen ille noster assensus non esset Fides, sed evidentia in medio connexo; quia illa prolatio signorum non esset locutio. Nec enim in Deo intelligitur potentia loquendi, nisi intelligatur cognitio & voluntas: non ergo assensus ille esset Fides sed scientia.

71 Nec obest 1. Quod Maiestas Dei se ipsa prębet suo testimonio, & locutioni authoritatem & dignitatē; se ipsa enim cohibet irreverentiam discredendi ei, atque subijcit intellectum nostrum sibi & suo testimonio: ergo se ipsa subijcit intellectum vt credat. In primis enim nego suppositum, si exceludatur scientia; quia tunc non est locutio nec testimonium, licèt esset signum certum ex alio capite. Vndè si vt Deus cohibet irreverētiam discredendi ei, id intelligitur si testificatur: & tunc cohibere irreverentiam habet ex vi Deitatis non formalitèr, sed radicalitèr; quatenùs illa connexe est radix scientiæ & veracitatis, quæ consequuntur indispensabilitèr ad illam pro posteriori, quòn excludantur per rationem. Ex quo ad summum sequitur quod intellectus, examinato motivo credendi, seclusa scientia, nec audiret credere nec discredere, quia Deus non loquitur, nec esset testimonij ratio ibi, & quia seclusa scientia, deesset ratio & securitas testificativa.

72 Nec obest 2. Quod Deitas vt talis, ratione sui pugnat cum omni imperfectione morali, sicut & cum Physica: ac per conseq. cum mendatio: ergo immediatè, & ratione sui facit dictum Dei esse certum, & oppositū falso. Confirmatur: Deitas vt præcisa ab attributis, est impotens dicere falsum: ergo & determinata ad dicendum verum: ergo ei potero assentiri propter ipsam; & ideò PP. sæpè docent, nos debere assentiri Deo in suis dictis, quia Deus est.

Res-

73 Respondent communiter, Deitatem ratione sui, solum realiter pugnare cum imperfectione morali,& mendacio; nam formaliter pugnat per Attributa, impræscindibiliter subsequuta Et cum Deus non loquatur nisi post Attributa habita, his per rationem sublatis, non datur loquutio nec mendax nec vera; & sic nec dabitur creditio. Ad confirm. concesso antecedenti, negant consequentiam, quia Deus vt præcissus à scientia & voluntate, præscindit à posse dicere verum, & ab omni dicere;& sic datur medium, nam Deus nihil dicit nec potest; ac per consequens repugnat creditio propter dictum Dei. Dum autem Patres dicunt, nos debere assentiri Deo vero dicenti, quia Deo vero: intelliguntur de Deo vero, modo quo ipse est in se sapiens & verax & non iuxta nostras præcissiones,& nugas metaphysicas, quibus Deitatem à sapientia, & veracitate separamus.

74 Sed replicatur fortiter contra istam responsionem, quia Deitas ratione sui est formalissimè Sanctitas: Sanctificatque ratione sui humanitatem, *vt probavimus quæst. 19. de Incarnat.* ergo ratione sui est incompatibilis formaliter cum peccato, & cum dicto falso, quia hæc omnia dedecent formaliter Sanctitatē & Deitatem, est quia per se ipsam incompatibilis cum illis. Nota 1. pro responsione, mendacium & peccatum dupliciter summi posse. 1. In ratione maculę & inhonesti,& indecentis quasi in facto esse. 2. In fieri sive in ratione operationis,& elicitive. 1. Modo opponitur Sanctitati & Mundiciei. 2. Modo voluntati rectę vt principio elicitivo operationis honestæ.

75 Nota 2. vt Deitas sit per se ipsam Sanctitas, non requiri vt per se ipsam sit operativa rectè & opposite ad operationem inhonestam, sed sufficere, vt per se ipsam sit mundities opposita immediatè cum macula peccati,& cum qualibet indecentia, & quod sit radix,sive Ius,cui debeantur virtutes, & comprincipia ad operationem rectam. In hoc complexo enim stat essen-

essentia Sanctitatis propria Dei, vel Filiorum Dei. Vndè via munditiei imbibit immediatam incompatibilitatem cum omni immundo, & inhonesto, & indecenti: at via operationis non importat ex se immediatam oppositionem cum operatione inhonesta, sed mediatam: ratione scilicet voluntatis, virtutis, & comprincipij ad illam necessario subsecuti.

76 Ex quibus facilè respondetur ad argumentum, quod Deitas licèt dicat per se ipsam oppositionem immediatam cum mendacio in facto esse per modum incompatibilitatis; specialem oppositionem cum illo vt operatione, dicit mediatè ratione veracitatis oppositæ locutioni mendaci. Nec est inconveniens vt idem per diversas vias opponatur alteri immediatè & mediatè. Patet exemplo Lot, qui fuit Pater Moab, quem genuit ex sua filia; & sic fuit simul Pater, & Avus, atque oppositus immediatè & mediatè ei. Non ergo Deus subijcit intellectum nostrũ vt credat ei, nisi ipse exercitè loquatur, nec loquitur exercitè nisi ratione veracitatis subsecutę, ac per cõsequens, non obligat ratione solius Deitatis, sed subsecutorum ad Deitatem.

77 Obijcies 3. assensus Fidei debet esse purè propter Deum dicentem, id est propter motivum Fidei, excluso omni alio motivo: ergo qui ponat obiectum Fidei iuxta suam sententiam in vno, v.g. in sola veracitate, debet credere ob illud, exclusis motivis aliarum sententiarum: & si contigerit, quod eius sententia non attingerit scopum, ille Author non exercebit Fidem; & licèt attigerit scopum, attingit probabilitèr solùm, & ideò non exercebit Fidem, cum non sit de motivo Fidei certo, sed probabili. Concesso antecedenti, nego consequent. & quæ subsequuntur. Etenim in Fide distinguendum est motivum Fidei certum & dogmaticum, à motivo disputabili. Primum stat in Deo revelante, & omnes credimus & debemus credere *à multo*, quia Deus dixit: & sic certissima est Fides nostra ex motivo. Restat postea quomodo & quid imbibatur in illo

mo-

motivo dogmatico & certo? Supra hoc solũ, intrat disputabilitas; & quidem pro exercitio Fidei omnino impertinens. Debet ergo credere quodlibet Mysterium, quia Deus dixit, incluso motivo dogmatico, & exclusis alijs; secùs incluso motivo indogmatico, sive motivo disputabili.

## ARTICVLVS VIII.

### *AN DEITAS VT TALIS PARTIALITER INtret vt obiectum formale Fidei?*

78 VIdetur quod sic contra plures. 1. Quia Fides est Theologica ab obiecto formali, vel ab incluso in illo. 2. Quia magis movet, subijciatque intellectum, quod dicens sit ipse Deus testificans, quam quod sit Angelus etiam si iste concipiatur vt impotens falli, aut fallere; solicitat enim sibi Dei Maiestas majorem reverentiam ad sua dicta: ergo valdè conducit formaliter proximè vt moveat ad assensum.

79 Assero tamen 2 Obiectum formale Fidei quoad formam authoritatis testificativę stat proximè & formalitèr in complexo vtriusque veritatis vt transcendentalitèr divinæ. Deus autem sive Deitas vt testificans pro perfectione Deitatis sumpta, intrat per se remotè & radicaliter, & vt suppositum testificans media authoritate vt forma. Prima pars probatur: quia ab illo complexo vt tali habet testimonium sufficientem infallibilitatem, vt sæpè probatum est: & assensus est Theologicus formalitèr ab veraque veritate vt transcendentalitèr divina sive identificata cum Deitate. Secunda pars etiam patet: Deitas enim præcisè ratione sui non specificat Fidem, sed ratione authoritatis; pertinet tamen per se vt suppositum loquens, & infallibilitans testimonium, media tali authoritate divina vt forma.

80 Assero 3. Deitas intrat ad augendam authoritatem,

tē, nō quidem testificativam infinitam formalem vt talem, sed testificativam vulgarem, de qua supra Artic. 5. quæ quidem valdè conducit ad Fidem, secundum requisita ex parte voluntatis. Probatur: quia Deitas ratione sui importat, non quidem scientiam, & veracitatem inclusas; benè verò obligationem & debitum indispedsabilitèr habendi illas. Vndè dici potest Deitatem addere ipsi Fidei nostræ subiectivam securitatem pro voluntate; & hoc est quod probat secundum argumentum, factum pro ratione dubitandi: cum enim assensus Fidei nostræ vtpote obscurus debeat à propria affectione voluntatis dirigi, valdè conducit Maiestas Deitatis, cui voluntas nostra multo magis reverentiam exhibebit, quàm Angelo, subijciatque & obligabit intellectum vt assentiatur Deo dicēti, vtpotè infinitè veraci, quàm Angelo dicenti.

81 Obijcies 1. Testimonium Dei est infallibile, eo ipso quod qui loquitur sit Deus verus: ergo intrat veritas in essendo. Distinguo consequent. intrat radicaliter per se, & per modum suppositi, concedo; intrat per modum formæ sive partis formæ, nego: sicut visio Beata per se petit intellectum creatum intrantem in principium visionis; intrat tamen per modum suppositi, & non per modum virtutis, aut partis virtutis in nostra sententia, ponente quod lumen est tota ratio agendi.

82 Obijcies 2. Assensus ob testimonium Dei veri non innititur toto Deo materialiter & physicè sumpto: ergo sola Deitate vt tali, vel saltìm ipsa cum authoritate. Respondetur, non inniti toto Deo sumpto, vt facit sensum materialem & physicum, sed toto Deo vt facit sensum formalem in linea testificativa, medio attributo authoritatis, sive vt significat Deum vt contractum formalitèr per attributum authoritatis: sicut dum dicimus: Deus Iustus punit: hæc propositio est formalis, & sonat Deum punire, non se toto, (nec enim punit Misericordia) sed Iustitia vt attri-

tributo speciali formali; Deitate vt radicali, sive vt supposito.

83 Nec obest 3. ex Aureolo, quod Fides resolvitur vltimo in Deitatem vt talem: ergo ipsa est formale vltimatum. Antecedens probatur: ideò credimus Deo dicenti Incarnationem, quia est summè verax; sed ideò est summè verax, quia est verus Deus: ergo credimus vltimatè, quia est verus Deus. Consequent. probatur: quia est duplex quæstio. Primo, cur credis Incarnationem dictam à Deo? Respondemus, quia summè verax. Secunda & vltimata: cur est summè verax? Respondemus, quia est verus Deus: & hic sistendum. Confirmat. sicut se habet res ad esse, sic se habet ad cognosci verè & vt est; sed Deitas est primaria ratio, propter quam Deus est summè verax, & testificator veri: ergo etiam est primaria ratio, id est vltimata in resolutione, vt credatur ei. Min. prob. quia quævis essentia est primaria ratio essendi respectu proprietatum.

84 Pro solutione nota, diversam esse sæpè rationem essendi, & rationem assentiendi. Etenim Ens est ratio essendi ad vnum, verum, & bonum. Veritas tamen est ratio assentiendi ipsi enti. Item Deitas est ratio essendi respectu attributorum & creaturarum, quæ tamen in cognitione à posteriori sunt ratio assentiendi Deitati. Licèt ergo Deitas respectu veritatis, sive authoritatis pertineat ad causam rei, potest non pertinere ad causam assensus, saltìm in cognitionibus abstractivis & Fidei. Respond. ergo nego antecedens. Ad probationem concessa maiori, & minori nego consequentiam.

85 Ratio autem negandi illam est, quia fit transitus de ratione essendi ad rationem assentiendi, qui non valet, cum sint diversæ lineæ. Si enim mulier nubat viro, quia dives est; ipse autem dives sit, quia vsurarius: non ideò valet consequentia: ergo nubit ei quia est vsurarius; actus enim nubendi vltimo sistit in divitijs: quod autem vir sit vsurarius pertinet ad viam,

per quam divitiæ pervenerunt ad ipsum, & non pertinent ad motivum affectus mulieris. Similitèr quod Deus sit ratio essendi respectu authoritatis infallibilitatis, pertinet ad viam per quam Deus habet authoritatem, & non pertinet ad rationem formalem movendi assensum, (licèt pertineat ad radicalem vt dictum est.) Vndè optimè dixit Cajetanus, quod vltimatè credimus dictum Dei, quia ipse est ipsissima veritas, & non potest ampliùs inquiri nisi ineptissimè, cur credamus veritati. Quod si potest inquiri vltra, cur Deus sit prima veritas in dicendo? Hoc iam pertinet ad lineam essendi, & non respondetur per motivum Fidei, sed ex parte actus per evidentiam, vel Theologiam ex parte obiecti per Deitatem, vel per Mysteriũ revelatũ. Prima ergo quæstio habet responsionem per Fidem. Secunda non, sed per scientiam, vel &c.

86 Ad confirmationem respond. distinguo maior. sicut se habet res ad esse, sic se habet ad cognosci verè, si sermo sit ex parte rei cognitæ, concedo; nam res solum noscitur verè, si noscitur vt est in se; si sermo est ex parte modi, vel medij, vel rationis formalis cognoscendi, nego; nam sæpè sunt valdè diversa ratio essendi & cognoscendi, licèt aliquando possint esse idem, non tamen respectu Fidei. Et sic concessa minor. nego conseq.

## ARTICVLVS VLT. & §. I.

### *AN VERITAS IN ESSENDO SIT OBIECTVM formale* quod?

87 NEgant communiter RR. quia Deus solum est materiale præcipuum, sive Attributionis. Probatur 1. ex D. Thom. *hic artic.* 10. in corpore: si consideremus materialitèr ea quibus fides assentit, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia. Et licèt adversa-

sarij respondeant dici à Divo Thoma materiale, comparativè ad rationem sub *qua*; tamen RR. sine interpretatione videntur ad litteram sequi D. Thomam.

2. Probatur: quia ad formale *quod* præter attingi ratione sui, & quod alia attingantur propter ipsum, requiritur, quod ipsum attingatur per omnes actus ex parte rei tactæ, sive creditæ; atqui Deus non sic se habet ad omnes actus Fidei: ergo. Minor probatur, licèt enim præcipui nostræ Fidei articuli sint de Deo, vel de Christo Homine vt Deo, tamen sunt alia credenda, in quibus ex parte obiecti crediti *vt quod*, non apparet Deus, imò nec vllus ordo ad Deum, v.g. dum credimus Abraham genuisse Isac, & quod Baptista fuerit decollatus ab Herode, & quod Tobias habuerit canem; hæc enim & similia etiam creduntur Fide, quia Deus dixit: & in his prout præcise suot obiectum creditum per hos actus, nullus apparet ordo ipsorum ad Deum ex parte obiecti crediti.

88 3. Quia cum Fides ex parte sit practica, debet esse de operabili, quale non est Deus. Si respondeas, Deum vt assequibilem à nobis, iam esse quid operabile & hoc pacto cit obiectum Fidei practicæ, quæ hoc fine respicit operabilia. Sed contra, quia non per omnes actus Fidei practicos attingitur Deus vt operabilis, sed per plures operabilia ipsa secundum se vt dicta à Deo, v.g. non debet occidi proximus, quia Deus dixit non occidendum: per hos enim & similes actus licèt recordemur, quod Deus dicit, non recordamur sæpè de ordine non occisionis ad assequendum Deum. Hęc sent. est conformis neganti (in quæst. 1. primæ partis de sacra Doctrina,) Deum esse obiectum formale *quod* scientiæ Theologiæ; nam per plures actus non attingitur Deus, sed ex alijs Mysterijs deducuntur conclusiones.

89 Obijcies 1. ex P. Gonet hìc: D. Thom. *artic.* 1. *ad* 1. dixit, quod Deus se habet ad Fidem, sicut sanitas ad medicinam. Respond. intentum esse in ly, sicut quod

se habeat per se & formaliter ad Fidem, vt est Deus dicens, seque tenens ex parte obiecti formalis motivi. Quod si replices ex eodem D. Thom. dicente: Omnia quæ credit Fides de Humanitate, Sacramentis, & alijs attingi à Fide, prout ordinantur ad Deum. Respond. ad Deum vt obiectum præcipuum & attributionis inter materialia; quæ creduntur vt magis noscatur Deus, cõcedo. sed non est obiectum formale *quod*, quia non attingitur per omnes actus.

90 Obijcies 2. Per omnem actum Theologicum debet Deus attingi vt *quod*, & non sufficit vt *cui* credimus: ergo. Antecedens patet, quia Religio Virtus non est Theologica, & tamen Deus est *cui* ipsa exhibet reverentiam & cultum. Nego antecedens: nam dum charitas amat proximum propter Deum, vel Deo, est verè Theologica; imò per actum istum & similes: *Damnati æternè punientur à Deo*; quod creditur non est Deus ipse, sed æternitas pœnæ: ergo non debet attingi vt *quod* semper. Ad probationem nego paritatem, quia Deus non est *cui* respectu Religionis & actuum internorum, quos ellicit; sed respectu obiecti ipsorum. Est enim Deus *cui* reverentiam & cultum dare volumus, quæ reverentia fit ipsi. Bene verò est Deus *cui* respectu Fidei, quia est *cui* assentior, dum ipse dicit.

91 Obijcies 3. Deus sub ratione Dei est formale *quod* Beatitudinis: ergo & Fidei, cui illa succedit. Nego consequentiam, quia respectu Beatitudinis etiam est *quo*, & sub *qua* veritas increata, secùs Fidei, cui illa succedit, & sic non valet paritas. Insuper concesso antec. dist. consequent. Fidei quoad præcipuos actus concedo; quoad omnes nego. Prima disparitas est, quia nihil beatificat extra Deum, & sic omnis visio Beata debet esse de Deo: plura autem sunt revelata præter Deum: & sic potest esse Fides de illis, quæ non sit de Deo; succedit autẽ visio Fidei in eo quod illa videat omnia,

quæ

quę ista credidit. Secunda disparitas est, quia obiectum intellectus est ens propositum vt verum, vel per se ipsum, vel per testimonium Dei: illud deservit ad visionem, & illud ad Fidem. Cum autem veritas pro omnibus obiectis visionis Beatæ sit vna, & ipse Deus; testimonia vero de revelatis sint plura, inde est, quod visio debeat esse semper de Deo, in quo videantur omnia: Fides autem possit esse, vel de Deo, vel de alijs à Deo, iuxta testificatorum varietatem.

## §.II. *ALTERA SENTENTIA.*

92 HÆC sententia est satis probabilis, & conformior forte dictis à nobis de Theologia; tamẽ pro opposita sententia, quæ videtur conformior Divo Thomæ, & Patribus dici potest, obiectum formale *quod* alicuius habitus sufficere si noscatur ratione sui per plures & præcipuos actus, & quod alia obiecta per alios actus tangantur propter ipsum & ordinentur vt magis cognoscatur ipsum per illa, tanquam per effectus signa, vel contraria. Sic autem tangi à Fide Deum satis indicant PP. apud Authores huius sententiæ, & satis congruum est, quod lumen Fidei sit datum à Deo, qui revelavit plurima, vt ex ipsis magis cognoscatur ipse Deus Trinus & Vnus, & Deus in essendo. Si autẽ Deus infudit Virtutes Theologicas Spei, & Charitatis talis naturæ, vt amẽt Deum, & alia propter Deum, vt ex his magis ametur ipse, idem videtur dicendum de Fide intellectum illustrante ad Deum, & ad alia revelata, vt ex his magis noscatur Deus.

93 Obijcies 1. contra hanc sententiam: attingi Deum modo dicto, & alia propter Deum, solum probare, quod Deus sit obiectum præcipuum & attributionis inter obiecta materialia informata obiecto formali revelationis; non autem probare esse formale *quod*; & sic

sic admisso, quod Sancti Patres dicunt, non ideò probatur esse formale *quod*: ergo. Respondetur, distinguo antecedens: quando ordinatio aliorum obiectorum ad præcipuum scientiæ, provenit ex voluntate Principum scientiæ fundata in conducentia aliorum obiectorum, vt per illa magis noscatur præcipuum, concedo; quando ordinatio provenit ex natura ipsius habitus, nego; quia tunc obiectum præcipuum est obiectum formale *quod* singulorum actuum, quia singuli eo tendunt in sua obiecta innatè, vt per illa cognita, magis noscatur præcipuum. Vndè ordinantur ad illud ordinatione innata habitus.

94 Si dicas: plures actus Fidei non ordinantur ex se ad Deum, licèt ordinentur ex voluntate Dei, vt magis noscatur Deus: ergo non est formale *quod*; sed attributionis respectu illorum. Antecedens probatur, quia in exemplis adductis, illi actus nec exprimunt Deum, nec ordinem sui obiecti ad Deum, nec loquuntur de illo: ergo. Respondetur concedendo non dicere ordinationem expressionis formalis; dicunt tamen virtualem & implicitam in ipso actu derivatam ex natura habitus Theologici, qui per se est lumen inditum pro cognoscendo Deo in calligino-so loco: sicut Charitas est pro magis amando Deo; sicut enim arbor producit flores innate, pro conducentia quam habent disponendi ad fructum, & intellectus apprehendit, vt per alios actus inferat alia obiecta (& ob id est totaliter discursivus.) Sic Fides est de vno obiecto, innatè intendendo, vt cognito illo magis noscatur Deus, non per illum, sed per alios actus.

95 Vndè non est necesse, quod omnis actus attingat Deum vt *quod* expressatum. Sed vel quod attingat, vel quod ex natura sua prior sit propter ipsum, magis expressandum per alios actus. Sicut omnia arboris sunt propter fructum; sicut & tota arbor est ex natura sua propter fructum, & sic flores, folia, & eorum productio etiam habent ex natura rei pro sco-

po

po fructum, non pro scopo expressionis, sed naturalis ordinationis.

96 Objicies 2. Deus est obiectum formale *quod* Fidei? Ergo attingitur ab ea per se & ratione sui: ergo & ratione suæ intrinsecæ veritatis; atqui hoc est falsum, quando quidem Fides nihil attingit, nisi ratione divini testimonij, sive Deitatis extrinsecè participatæ à testimonio: ergo non est obiectum formale *quod*. Concesso anteced. distinguo consequent. per se & ratione sui tanquam *quod*, vel vt tale obiectum petitum ab ea, concedo; ratione sui vt motivo attingendi nego 1. consequent. & 2. Attingitur enim per se, sed non ratione suæ veritatis, aut virtutis, quia Fides vt Theologica per se petit Deum vt talem, id est vt inter obiecta revelata à Deo, actus ipsius attingant Deum, sed Deum vt dictum, & quia revelatus est à Deo; sicut videre beatificè petit intellectum creatum vt talem, & vt influentem, & petit illum ratione sui vt *quod*, non autem ratione virtutis suæ, sed alienę, nempè luminis gloriæ.

97 Replicas. Fides credit, quia Deus dicit: ergo ipsa ex se habet credere, non hoc, aut illud determinatè, sed quodcumqae, si à Deo dicatur: ergo nec determinatè Deum vt Deum. Concesso antecedenti, distinguo consequens: non hoc aut illud determinatè, si Fides summatur præcisè vt divina, concedo: quia sic est de quocumque; si summatur vt Theologia, & vt lumen de Deo per testimonium Dei noto, nego; quia sic est de Deo, & de his, quæ ipsius sunt vt talibus. Sicut visio Beata in produci præcisè potest oriri à principio vt quodlibet ens est; at in produci vitalitèr est ab intellectu, vt intellectus est, tanquam à supposito, quod ipsa petit.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO II.

## DE REVELATIONE IN ORDINE AD OBIECtum formale Fidei.

### ARTICVLVS I.& §.I.

### AN INGREDIATVR IN ILLVD?

68 REVELATIO est locutio Dei ad extera, quia Deus manifestat nobis credenda,& se illa sentire ita. Plures docent,esse puram conditionem, quæ applicat authoritatem Dei vt motivum totale ad obiectum materiale credendum, sicut approximatio ignem ligno, & præmissæ formales obiectivas, vt conclusio assentiatur suo obiecto propter illas. Sed tenendum est,esse obiectum formale partiale Fidei. Ita contra Aureolum, Aragon, & alios communior sententia, & ex Nostris Lezana, & Bonæ Spei Probatur: quia Nos non assentimur futuritioni Antichristi propter solos actus internos Dei, sed propter eius testimonium: actus enim interni sunt testimonium in posse, & in actu primo. Assentimur autem quia Deus dixit:ergo motivum formale assentiēdi non est, quia verax est precisè,sed quia verax est & dixit.

99 2. Non se habet vt pura applicatio, sed vt movens;Fides enim credit obiectum materiale,non propter se ipsum, nec propter authoritatem vt potentem dicere: ergo provt dicentem, tanquam propter vim completivam movendi. ¶ Tertio, connexio obiectiva obiecti formalis cum materiali, necessario intrat in motivum assentiendi, quia est quæ constituit obiectum in ratione determinandi intellectum. Atqui revelatio est connexio,est ligatura,& vnio nectens obiectū formale cum materiali, & sic movet atque determinat ad assensum: ergo intrat in obiectum formale. Maior patet, quia

quia si obiectum formale & materiale se habent disparatè in ordine ad assensum, necessario debent ligari vniri & determinari, vt possint movere, & sic determinata & non aliter movent ad assensum: ipsa ergo connexio, determinatio, & ligatura est partialiter movens ad assensum. Sic connexio obiectiva cum præmissis obiectivis, nectendo istas cum conclusione obiectiva, determinat intellectum ad assensum conclusionis.

100 Minor autem probatur: quia authoritas & Mysterium, ablata revelatione, disparatè se habent in ordine ad assensum credendi: hodie enim non possumus credere Fide divina futuritionem hominis, qui cras nascetur, licèt vera sit, & licèt Deus possit illam revelare per authoritatem suam; eò solùm quod non revelavit de facto illam: ergo vt res credatur Fide, debet credi quia exercitè & in re est revelata: intrat ergo revelatio vt talis in vim motivam assentiendi, quod non habet approximatio ignis respectu virtutis cremandi, quia non intrat in virtutem, sed istam iam supponit. Insuper, quia connexio authoritatis cum Mysterio vt moveat, debet esse connexio contractiva authoritatis in genere testificativo, quia in alio genere non movet ad Fidem; atqui in isto genere, formalis contractio & determinatio stat in eo, quod Deus dixerit rem & res dicta sit ab illo: ergo ipsa locutio est determinatio movens ad assensum.

101 Respondebis locutionem connectere & movere vt conditionem. Contra, quia conditio non potest participare rationem illam & munus, ad quod est conditio. Propterea approximatio est conditio, secùs ignis & calor, quia licèt omnes requirantur, tamen soli isti vt virtus; illa verò vt applicatio virtutis. Similitèr cognitio obiecti boni est pura conditio ad amandum, quia solum se habet vt applicatio bonitatis ad voluntatem, & non vt motivum; atqui revelatio se habet vt virtus partialis movendi ad assensum, & non solum vt applicans,

cans & manifestans intellectui divinam authoritatem; vt in actu primo testificativam: non enim credimus, quia per revelationem innotescit nobis authoritas Dei cognoscens Antichristum, & potens testificari de illo, sed credimus, quia testificatur: ergo locutio non se habet vt purè proponens & trahens authoritatem divinam, sicut approximatio ignem, sed vt determinans & complens in linea movendi, vniendo authoritatem cum Mysterio, quæ vnio determinat ad movendum: ergo se tenet ex parte obiecti formalis, & non vt conditio.

102 Ex quibus sequitur, hanc revelationem debere esse quid distinctum à Deo, & non esse actus ipsos internos Dei, quos aliqui vocant activam revelationem: sed esse externam ipsam & temporalem prolationem signorum, explicantium & manifestantium res revelatas & Deum ita sentire: quæ prolatio potest fieri à Deo, vel per actus internos nostros, quibus loquitur intra nos, vel per alia signa externa. Intrat autem in obiectum Fidei talis revelatio simul cum divina authoritate increata, illam infallibilitante. Ab hoc capite summunt plures excessum charitatis supra Fidem. Charitas enim habet pro formali totali aliquid increatum, nempè bonitatem Dei prout in se, vel saltìm pro formali vltimato; Fides verò non, sed Deum per signa creata dicentem.

## §. II. ARGVMENTA.

103 Obijcies 1. Revelatio est quid creatum: ergo non intrat in obiectum Virtutis Theologicę. Nego consequentiam, quia potest intrare partialitèr: sicut in obiectum Spei, quod est Deus possessus, in quod vt bonum nobis intrat possessio, quæ est visio.

104 Obijcies 2. in lege promulgatio est conditio, & tota vis movens & obligans est ipsa lex: ergo etiam au-

tho-

thoritas in Fide. Probatur consequent. quia lex vt informet rem præceptam, non minus indiget promulgatione, quam authoritas locutione. Quidam negant antecedens: quia lex non est completa in ratione obligandi, nisi per manifestationem: sicut voluntas se obligandi alteri, non completur in ratione obligandi, nisi per manifestationem illi factam. Sed fortè alius dicet hos actus esse diversos. *Ego facio, quia superior vult & imperio suo me movet: vel ego facio, quia me obligat*: Respectu primi promulgatio est conditio; respectu secũdi est pars, quia non aliter movet obligando in actu secundo, nisi vt intimata; nam ante intimationem non obligat.

105 Alij melius, dato antecedenti negant consequentiam. Disparitas est, quia Deo credimus, quia ipse dicit: Superiori autem obedimus, quia per suam voluntatem imperat, & non quia præco promulgat, licèt requiratur quod promulget. Vndè promulgatio supponit totam vim obligandi in ipso imperio & lege, solumque habet trahere illam ad subditos; locutio autem non trahit solum, sed facit & complet vim movendi. Clariùs Respond. concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est, quia duplex potest esse connexio, sive applicatio. Vna obiecti formalis ad materiale, (sine quas disparatè se habent ad movendum.) Alia est applicatio veriusque simul & cõplexi simul sumpti, ad potentiam notificando isti illud. Primo modo se habet in Fide locutio, & sic intrat in obiectum formale, datque vim movendi. Secundo modo se habent promulgatio legis; legis inquam per se ipsam informantis rem mandatam, explicatio Parochi de Mysterijs Fidei, & cognitio proponens bonum voluntati: quæ quidem non movent ex parte obiecti, sed applicant omne quod movet, sive totale motivum obiectivum, ipsi potentiæ. Vndè sublata promulgatione, adhuc perseverat connexio imperij & imperati: secùs ablata testificatione, & sic promulgatio & cognitio boni, ob id sunt pura conditio.

Vndè

106 Vndè isti actus sunt valdè diversi: *Amo Deum quia bonum*, vel *amo quia cognosco esse bonum*. Item: *Succurro Petro, quia Pauperi, vel succurro quia quidam me rogavit, vt succurrerem Petro Pauperi*. Primi enim actus ponunt verum motivum illarum virtutum. Secundi autem, non motivum, sed conditionem puram ponunt pro causali; & si illud quod exprimunt esset motivum, sunt actus alterius virtutis.

107 Objicies 3. Si revelatio inter in obiectum formale: ergo actus Fidei erunt specie diversi ab obiecto formali. Consequens probatur; quia revelationes sunt diversæ: quædam enim sunt signa naturalia, vt quæ fiunt internè per cognitiones, & alia sunt ad placitum vt verba. Respond. idem dicendum à vobis, nam etiam authoritas Dei erit diversa pro diversis Mysterijs, vtpote imbibens circa diversa Mysteria diversas cognitiones & volitiones manifestandi, de diversis obiectis revelandis. Respond. ergo pro omnibus. Nego consequens. quia illa diversitas se habet valdè materialitèr ad Fidem: hæc enim præcisè assentitur, quia Deus summè sapiens & verax dicit: dicat quodcumque & quomodocumque; & quia est sapiens & verax generalitèr, non autem quia scit de hoc, & quia vult dicere de hoc; sed generalitèr quia dicit vt summè sapiens & verax.

108 Vndè quamvis assensus de futuritione Antichristi nitatur divina authoritate vt includente cognitionem & volitionem, vt manifestativas Antichristi, adhuc assensus iste non differt specie formalitèr & per se ab assensu Incarnationis, saltèm Theologicè: quia vtrumque credimus, non quia tale est, sed quia quodcumque sit, dictum est à Deo. Credimus autem Theologicè, quia vel est quid divinum, & ordinatum ad Deum, quodcumque tandem sit, quod sic ad Deum est ordinatum, ab ipso Deo dictum, atque revelatum. Dixi

Theo-

*Theologicè*, quia non curo de distinctione inter ipsos actus, quæ provenire possit ab obiecto materiali. De hac enim distinctione physica, disputent Animastici.

109 Obijcies 4. Credens certo Antichristi futuritionem, quia Deus dicit: debet scire quod Deus dicat; aliàs imprudentèr crederet: atqui non possumus scire, quod Deus dicat: ergo nec credere propter revelationem. Minor probatur. Vel scimus, Deum dicere Mysteria, quia ipse affirmat se dicere; & hoc non, quia non constat nobis talis affirmatio; vel quia tale dictum continetur in Scriptura, vel quia Ecclesia Romana docet Deum dixisse; atqui neutro modo: ergo. Minor probatur: si Christianus interrogetur, cur credat Deum revelasse Incarnationem? Respondet: quia continetur in Scriptura, quæ est testimonium Dei. Si interrogetur: cur credat Deum loqui in illa? Respondet: quia ita docet Ecclesia, cum Spiritus Sanctus assistit. Si interrogetur, cur credat hanc assistentiam? Respondet, quia Scriptura dicit. Non enim habemus aliud medium, cum non viderimus eam. In his autem responsionibus manifeste committitur circulus, & res manet inexplicata; videtur autem magna imprudentia credere, quia Deus dicit: cum non constet quod ipse dicat.

110 Solutio huius argumenti ineptissima erit, si quis dicat, non curandum de circulo in rebus credendis. Probatur: quia Nuntio Papæ, v.g. afferenti Litteras ipsius Papæ iubentis in eis, vt ipsi Nuntio credatur, credimus propter authoritatem Papæ, ita iubentis in illis Litteris: Litteras autem ipsas credimus esse Papæ, quia Nuntius dicit, eam subscriptionem esse Papæ: ergo in rebus credendis non est vitandus circulus. Sed hoc displicebit cuilibet Prudenti: & talis circulus vocatur vitiosus, quia relinquit rem inexplicatam & incertam.

111 Respond. ergo, nos credere Nuntio, quia Papa

iubet per Epistolam, vt credamus; hanc autem Epistolam esse Papæ ideò credimus, quia affert alia signa, nempè sigillum, vel alia adminicula. Si autem de istis dubitaremus, fortè crederemus Nuntio & Epistola propter propriam Nuntij, & Epistolæ authoritatem, (suppositis alijs signis & congruentijs, tanquam conditione assentiendi.) Quomodocumque autem sit, circulus vitandus est, modo quo infra.

112 Vera argumenti solutio pendet ex alia Quæstione de vltima resolutione Fidei, in quo tandem stet vltima credendi ratio. Quæ Quæstio maiorem requirit indaginem; & sic Artic. sequenti examinabimus illam.

## ARTICVLVS II.

### *IN QVO STET VLTIMA CREDENDI ratio?*

113 TRes sunt sententiæ principaliores. Prima, respectu nostri, quibus non est facta revelatio immediatè sicut Apostolis & Prophetis, ponit vltimam resolutionem in authoritate Ecclesiæ vt ab assistentia Spiritus Sancti infallibilitata. Ita Durand. Molina, & alij. Secunda, ponit in signis credibilitatis, v.g. in miraculis & similibus. Tertia, in veritate intrinseca ipsius revelationis. Credimus enim Deum dixisse, *quia verè & in re dixit*: Ecclesia & signis se habentibus vt pura conditione applicante, & manifestante potentiæ eosdem rationem motivam & obiectivam Fidei: totalem inquam, imò & vltimatam. Hæc est communior sententia. Prima sententia impugnatur communiter, quia talis Spiritus Sancti assistentia est nobis èquè incognita, ac ipsa revelationis existentia; non enim constat per se ipsam, sed quia Deus dixit in Scriptura. In hac autem Deum loqui, vbi constat nobis? Si ex Ecclesia, ecce circulus.

Obij-

114. Objicies pro hac sententia: Communiter docemur credere, quæ Ecclesia proponit & quia proponit; atqui non authoritate humana vt tali, quia est fallibilis vtpote humana: ergo quæ authoritate à Spiritu Sancto assistente. Confirmatur, ex Augustino apud Petrum Hurtad *disputat.7.sect.1.* dicente: *Quod non crederet Evangelio, nisi moveretur ab authoritate Ecclesiæ.* Respond. distinguo maiorem: Quia Ecclesia proponit, ita vt talis propositio sit necessaria conditio applicans potentiæ totam rationem obiectivam; concedo. Talis enim propositio certificat nos de totali ratione obiectiva; tanquàm ratio formalis motiva obiectiva, nego. Hæc enim solùm stat in ly: *quia Deus dicit.* Augustinus autem loquitur, non de motione obiectiva, sed de notificativa, vt dictum est de promulgatione legis. Qui autem credat Mysterium propter authoritatem Ecclesiæ, tanquàm propter obiectum formale, licèt exerceret assensum veriem & Ecclesiæ satis venerativum; sed non Fidem Theologicam strictam, prove ex obiecto formali.

115 Secunda sententia de signis credibilitatis solet impugnari sic. Ratio vltima Fidei, vel sunt signa existentiæ revelationis secundum entitatem; & cognita cognitione naturali; vel sunt signa reduplicativè prove signa existentiæ revelationis vel Mysterij, ex divina institutione. Primo modo non possunt esse vltima resolutio, quia hæc debet esse firma & infallibilis, qualis non summitur ab entitate signorum, vtpote nullam dicente entitativam connexionem cum Mysterijs, nec cum eorum revelatione: & insuper cognitio naturalis ex signis, non potest habere firmitatem respectu rerum supernarum.

116 Item nec cognitio superna revelationis ex signis, est actus Fidei, si signa summantur entitativè, & propter vim intrinsecam. Etenim miracula facta in confirmationem Mysterij, si entitativè summantur, movent; & convincunt, vt Mysteria asserantur esse eviden-

ter credibilia,non tamen esse vera in re:ergo vt certificent de veritate Mysterij, debent summi, non entitativè sed vt elevata ex divina institutione in locutiones & sigilla Dei.

117 Hoc tamen pacto sumptis, si vltimatè assentimur propter illa, est assentiri propter intrinsecam veritatem divinæ locutionis, & est coincidere cum tertia sententia, & perseverat adhùc difficultas. Si enim assentimur Mysterio quia Deus dicit per miracula, tanquam per locutiones suas;vndè tibi constat,miracula esse locutiones Dei, nisi per Scripturam? & reddit circulus.

118 Sed objicies pro Ecclesiæ authoritate, & pro signis sic: *Qui Mysterio ab Ecclesia sufficientèr proposito dissentiretur, eo ipso esset Hæreticus*: Ergo quia eo ipso est de Fide: ergo Ecclesiæ authoritas intrat in rationem formalem resolutoriam Fidei.Concedo antecedens: quia Ecclesia proponit illud, vt à Deo revelatum. Et distingoo consequens: eò ipso ab authoritate Ecclesiæ,vt à ratione formali obiectiva motiva,nego; vt à propositione sufficientèr manifestante, & approximante totalem rationem obiectivam Fidei, concedo consequentiam.Est ergo conditio,sicut in igne approximatio,non autem vis formalis movendi. Idem dicendum contra Granado de apprehensione superna existentię revelationis, nempè se habere vt conditionem proponentem veritatem intrinsecam existentiæ revelationis. Nos ergo credimus Fide, quia existentia revelationis vera est, non autem quia apprehensa est.

119 Pro nostra sententia,nota ex dictis, inter ea quæ excitant ad credendum, alia se habere vt motivum obiectivum Fidei;alia verò vt conditionem & applicationem motivi ad potentiam vt ista assentiatur propter tale motivum,& assensus nutriatur illo vt cibo. Sicut quando cibus applicatur ori in cocleare, cocleare non se habet vt cibus alens,& comedendus, sed vt cibum

bum applicans Ori comesturo. Sæpè autem conditiones dari solent à nobis pro ratione effectus, sed non propterea egrediuntur limites puræ conditionis. Sic interrogatus quis: *Cur ignis combusit lignum?* Respondere solemus: *Quia à Petro fuit applicatus ligno.* Similitèr: *Cur credimus Mysteria hæc, & hæc, & non alia à Deo revelata privatim aliquibus?* Respondemus: *Quia illa & non ista sunt proposita ab Ecclesia vt credantur.* Responsiones istæ non sunt datæ per formalem vim causativam, sed per conditiones.

120 Assero ergo cum tertia sententia. Vltima ratio credendi est intrinseca veritas ipsius revelationis vt infallibilis ab authoritate Dei; propositio autem Ecclesiæ & alia signa credibilitatis sunt pura conditio applicans & notificans potentiæ obiectum credendum, & motivum formale obiectivum, propter quod est credendum, nempè quia est dictum à Deo. Vndè, quærenti, cur Christianus credat Incarnationem? Optimè respōdetur: quia Deus dixit in Scriptura. Si rursus quærat ab illo, vndè ei constet, Scripturam & similes testificationes esse Dei? Non debet respondere per rationem formalem vltimatam obiectivam credendi, quia hæc stat præcisè in eo quod Deus verè loquatur per illas, sed respondere debet per medium, sive viam per quam ratio formalis & totalis credendi obiectiva, ad ipsius Christiani notitiam pervenit, eique applicata est. Secunda enim interrogatio non est de motivo, sicut prima, sed de applicatione. Sicut si quis interroget Petrum, cur amas Deum? Respondet, quia est bonus. Si iterum: vndè tibi constat, quod sit bonus? Hęc interrogatio iam non est de motivo obiectivo formali amoris, sed de conditione applicativa, & de medio per quod bonitas Dei pervenit ad notitiam Petri.

121 Quo autem pacto possimus cognoscere per propositionem Ecclesiæ veram existentiam revelationis, quin propositio pertineat ad rationem assentiendi, opti-

mé explicuit Petrus Hurtado *de Fide*, *disputat.* 7. *sect* 4. & nos tetigimus supra *quæst.* 1. *artic.* 5. Sicut enim ex accidentibus noscimus substantiam, & ex creaturis Omnipotentiam Dei, & istæ cognitiones relinquunt speciem, per quam posteà directè & immediatè noscimus Deum esse Omnipotentem, & Petrum esse substantiam, absque mentione expressiva creaturarum, aut accidentium: Sic per propositionem Ecclesiæ noscimus Deum revelasse Incarnationē. Et hæc cognitio reliquit speciem repræsentantem, Deum revelasse Incarnationem, & per illam postea, etiam non facta mentione de propositione Ecclesiæ, formamus istum assensum Fidei. Credo Incarnationem, quia à Deo est revelata. Est igitur motivum huius actus intrinseca veritas existentiæ revelationis, sicut intrinseca veritas Omnipotentiæ est motivum illius Iudicij: Deus est Omnipotens: creaturis se habētibus ad istum assensum, vt conditione approximativa veritatis intrinsecæ Omnipotentiæ.

122 His sic declaratis, prob. conclusio. Quando vna veritas per aliam noscitur, posteà assentiri valet propter intrinsecam veritatem suam, vt constat in exemplis adductis de Omnipotentia per creaturas & substantia per accidentia. Insuper, quia sæpè persuademus nobis veritatem aliquam, inferendo eam multis argumētis & medijs, vt primò amplectamur illam; posteà autem frequentèr illi assentimur immediatè propter suam veritatem intrinsecam, iam non curantes, vel obliti argumentorum & mediorum. Vndè respectu cognitionis huius immediatę, sola intrinseca veritas se habet vt motivum obiectivum: illa autem media, quæ ad primam cognitionem se habent vt motivum, ad istam secundam immediatam se habent vt pura conditio, quæ potentiæ approximavit talem veritatem intrinsecam, & transivit: ergo licèt Ecclesia propossuerit nobis revelationes Mysteriorum, vt primo crederemus, Deum revelasse propter propositionem Ecclesiæ, posteà

steà dum Fide divina credimus, quia Deus revelavit: veritas intrinseca revelationis erit motivum obiectivum talis Fidei; propositio autem Ecclesiæ erit pure conditio.

123 Confirm. Omnino requiritur talis propositio ad Catholicè credendum, nam ex August. *Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ me moveret authoritas*: Requiritur tamen vt notificet nobis, quę Mysteria dixerit Deus. Est enim nobis valde ignotũ ipsius dicere de tali, vel tali re, & egemus manuducente certo. Etenim Fides dicitur cœca, fortè quia eget Ecclesia vt duce, ad inveniendum Thesaurum revelationis, sive rei revelatæ, quam certo attingat: imò cum Mysteria sint tàm abscõdita, & sint tàm ocultũ, quid Deus dixerit & quid non dixerit, credere sine Ecclesia proponente est imprudentia vel facilitas.

124 Atqui talis propositio est notificativa veritatis intrinsecę revelationis, in qua stat vis movendi obiectiva ad assensum: ergo hęc sola est ratio assentiendi, & illa est pura conditio. Min. prob. Tùm quia communiter Mysterijs assentimur quia Deus dixit, absq; vlla reflexione, aut commemoratione propositionis Ecclesiæ: prout dictum est de argumentis persuadentibus aliquam veritatem. Tùm quia Fides vt Theologica est propter locutionem Dei vt talem, qualis non est propositio Ecclesię, vt statim dicam: ergo hęc est cõditio. Ratio autem obiectiva etiam vltimata in Quæstione: *Cur credis*? Est intrinseca veritas: propositio enim Ecclesiæ pertinet ad Quæst. vnde tibi constat?

## ARTICVLVS III.

### *RELIQVA DE RESOLVTIONE FIDEI.*

125 OBijcies contra dicta: Fides est certa metaphysicè; sed cognitio revelationis per propositionem Ecclesiæ vt conditionem, non est talis: ergo

quæ sic pendet ab Ecclesia non est Fides. Minor probatur: quia conclusio ex præmissis, si una non est metaphysicè certa, nec ipsa est metaphysicè certa, (sequitur enim debiliorem partem.) Atqui propositio Ecclesiæ se habet vt præmissa, & non est metaphysicè certa, cum eius authoritas sit humana: ergo nec Fides erit, si fundetur in illa. Resp.1. nego min. quia propositio Ecclesiæ in proponendo res Fidei, habet infallibilem assistentiam Spiritus S. non quidem loquentis, sed detinentis Ecclesiam, ne possit errare in hoc.

126 Respond.2. negando, quod propositio Ecclesiæ sit præmissa. Dato ergo quod non esset metaphysicè certa, adhùc Fides esset certa metaphysicè, quia istius essentialis certitudo summitur ab immobilitate sui obiecti formalis & essentialis, quod est veritas intrinseca revelationis, & etiam summitur à principio influxivo superno ad veritatem exercitam obiecti determinato, & non summitur à propositione, quia hęc solum est conditio. Vndè hæc, vt dixi, non se habet vt præmissæ ad conclusionem, quia obiectivæ sunt motivum essentiale respectu istius. Adde insuper, quod conclusio formalis potest esse certior premissis, non quidem ab obiecto (quia quantum ad hoc sequitur debiliorem partem) benè verò à principio effectivo, si istud sit supernum, quia eo ipso est determinatum ad cognitionem de obiecto vt vero: Fides igitur semper est metaphysicè certa, quia fluit à principio superno indispensabilitèr determinato ad obiectum vt verum, licèt propositio Ecclesiæ non esset ita certa.

127 Replicabis: Existentia revelationis cum sit contingens non est metaphysicè certa: ergo nec motivum Fidei, si istud stet in illa. Distinguo antecedens: absolutè concedo; ex suppositione quod sit, aut proponatur ab Ecclesia, nego; quia Ecclesia ab Spiritu Sancto manutenta non potest proponere nisi certissimè verum; nec Deus dabit auxilium aut concursum ad hoc vt Fides divina influat in assensum,

nisi

nisi ex suppositione,quod vera sit existentia revelationis.

128 Ex his respondendum est ad argumentum quartum,positum *Art.*1.huius Quæstionis,memorando prius diversitatem inter illas quæstiones: *Cur credis Mysterium dictum à Deo? Et vnde tibi constat esse dictum à Deo?* Prima quæstio est de linea virtutis obiectivæ,& motivæ credendi, in qua credens via credendi vltimo sistit. Secunda, non est de virtute & motivo credendi, sed de approximatione notificativa talis virtutis,& nõ pertinet ad rationem formalem Fidei,nec vltimam,nec non vltimam,sed ad conditionem. Ad argumentum ergo respondetur, Nos credere vltimate quia Deus dicit in Scriptura,vel in traditione:& credimus dicere, quia dicit:ita vt veritas existentię dicti cognita per speciem, de qua *numer.*125.sit vltimum motivum credendi; illæ autem quæstiones,nempè:*Vndè tibi constat,Deum loqui in Scriptura*; & similes, iam non sunt de ratione credendi,sed de conditione notificativa, qualis est propositio Ecclesiæ, vel alia signa, quæ faciunt prudentèr & valde credibile, quod Deus talia Mysteria dixerit.

129 Infero 1.contra P.Suarez,vltimam resolutionem Fidei vniversaliter non esse,quia Deus dicat se dicere. Probo.Tũ quia Deum dicere se dicere,ęquè reconditũ est,ac Deum dicere, eisdemque est expositum difficultatibus: ergo si hoc non obstante, dictum reflexum Dei potest esse vltima ratio Fidei, etiam dictum directum. Tùm etiam,quia eo ipso quod quis credat Mysterium, quia Deus dicit, exercet Fidem, etiam si non recordetur illius reflexionis. Patet,quia eo ipso credit propter testimonium Dei. Tùm denique, quia dictum Dei est instar lucis,quæ licèt repræsentet & faciat colores visibiles,tamen primo & præcipuè se ipsam præsentat sine alia luce reflexa. Vndè D.Thom.*quæst.*14. *de Veritate, artic.*8. dixit: *Testimonium Dei præcipuè esse de seipso*:ergo eodem actu,quo credo Incarnat.

quia

quia Deus dixit, assentior ipsi dicto propter ipsum dictum & vltimatè, *quia verè dixit ipse.*

130 Infero 2. qui credit revelationem sic: *Credo Deum dixisse, quia dixit*: Etiam exercere Fidem, siquidem licèt necessariò præcedat sufficiens propositio Ecclesiæ vt conditio; assensus tamen nititur & movetur à dicto Dei vt tali. Nec obest si dicas, eum qui negat existentiam revelationis propositam ab Ecclesia, hanc & non Deum, facit mendacem, illique & non isti est iniuriosus; atqui si assensus Fidei deberet esse propter dictum Dei, dissentiendo faceret iniuriam Deo, & non Ecclesiæ: ergo non debet esse propter dictum Dei. Maior probatur, quia si quis Ministro Regio dicenti, Regem aliquid dixisse; responderet: si Rex dixit id, verum erit; nego tamen Regem dixisse. Tunc sic respondens, non Regem, sed Ministrum faceret mendacem: ergo similiter.

131 Responderi solet, negando antecedens: quia Deus inter alia quæ dicit in Scriptura etiam dicit, se loqui, & se dicere ea quæ Ecclesia sufficienter proponit, vt ab ipso dicta; ideòque etiam esset iniuriosus Deo, & faceret Deum mendacem, qui negaret Deum loqui illa, (præcipuè cum loquatur, non solùm directè vt lux, sed & reflexè:) sicut ille faceret mendacem Regem, & inferret illi iniuriam, qui visa Epistola Regis, (vbi dicit eam esse suã) eius manu firmata & sigillo signata, sive ex alijs signis sufficientèr proposita vt Regia (quibus Rex testatur, se loqui in illa) negaret Regem loqui in illa.

132 Pro complemento nota, omninò requiri via ordinaria ad credendum Fide divina propositionem Ecclesiæ, & Fidem etiam resolvendam esse in illam, sed non in illam, vt in rationem formalem, sed vt in regulam & conditionem infallibilitèr notificantem: *Quid Deus dixerit, & quid non dixerit.* Propter quam notificationem infallibilem Ecclesia est regula Fidei, & columna veritatis. Vndè hæreticum est dicere, vltimam

ra-

rationem notificativam non esse Ecclesiam, sed Scripturam, vel proprium Spiritum: Cum enim iste sit expositus falsitatibus; illa verò diversis interpretationibus, si Ecclesia modo animato & rationali, & Pontifex vt Iudex visibilis controversiarum, non haberet proponere nobis verum sensum, nihil esset in Fide certum, sed omnia essent litigiosa.

133 Ex quibus intelliguntur illud Exodi 14. *Crediderunt Domino, & Moysi Servo eius.* Et illud ad Roman. 10. *Estis Cives Sanctorum superedifficati supra Apostolorum fundamentum, & Prophetarum.* Fidelis enim differt ab infideli, quia fidelis credit Deo simùl & Ecclesiæ sive Ministris Dei, Apostolis, vel Prophetis; nitendo Deo dicente, vt vltima Fidei resolutione formali sive vt motivo; istis vero vt notificantibus via ordinaria talem vltimam resolutionem, nempè existentiã dicti Dei. Est enim Ecclesia infallibilis regula credendorum, quàm hæretici nolunt habere pro regula, sicut nos eam habemus. Vndè Ecclesia nec partialitèr est resolutio formalis Fidei per modum motivi obiectivi, quia Fides cũ sit essentialitèr perfectè divina, nequit adhuc partialitèr nisi authoritate locutiva non divina.

134 Nec propterea excludi debet ab obiecto formali Fidei omne creatum, vt aliqui contendunt, (aliàs excluderetur revelatio contra iam probata;) sed solum creatum se habens per modum authoritatis. Sola enim divina authoritas dat firmitatem Fidei, sed dat loquendo, ac per consequens opere suo dat, non Ecclesiæ. Nec obest nos Papæ loquenti per Legatum credere propter authoritatem Papæ, & etiam Legati partialitèr: ergo & Deo propter suos Legatos, nempè Apostolos partialitèr. Negari potest anteced. quia authoritas Papæ est motivum totale; Legati verò est conditio notificativa. Alij dato anteced. negant consequent. quia illa Fides cum sit humana, potest moveri partialitèr à Legato; secùs Theologica, quæ tota est divina.

AR-

## ARTICVLVS IV.

### *AN ASSENSVS EXPRIMENS MYSTERIVM, & non revelationem sit Fides Divina.*

135 NOTA 1. Ex assensu Mysterij propter revelationem relinqui speciem impressam immediatam de Mysterio, vt dictum est de specie Dei ex creaturis, & substantiæ ex accidentibus. Etenim non differunt in hoc actus superni à naturalibus, & experientia teste sæpè Nos loquimur de Trinitate & de Eucharistia in concionibus, & in nostris meditationibus, assensu certo & meritorio, quin recordemur pro tunc, quod Deus illa dicat. Nec respondeas attingere revelationem, sed sine advertentia & attentione, quia consuetudo distractionem parit. Contra, quia si deest advertentia & attentio: ergo & cognitio expresiva revelationis: Tùm quia in nobis non datur alia advertentia. Tùm quia saltim ille assensus non movebitur obiectivè à revelatione, siquidem nec advertit, nec attendit. Si vero neges solam advertentiam reflexam. Contra: nam de hac non est sermo; quia reflexa, nec de Mysterio expresè assentito datur.

136 Nota 2. ex Petro Hurtado *disputat.2.num.6.* duplex obiectum formale. Vnum terminativum, & aliud impulsivum. Illud terminat & attingitur intrinsecè per tendentiam ipsius actus, secus istud; licèt istud terminet actum antecedentem, qui impulit ad alterum actum, & se habet quasi extrinsecè respectu illius. Sic in discursu obiectum materiale obiectivum præmissarum est obiectum intrinsecum conclusionis. Obiectum autem formale præmissarum sæpè se habet solum extrinsecè & impulsivè ad conclusionem: sic obiectum formale intrinsecum & terminativum Fidei, est dictum Dei, propositione Ecclesiæ se habente ex-

trin-

trinsecè & impulsivè, quia cognito per vnum actum, quod Ecclesia proponit Mysterium vt dictum à Deo, postea fidelis impellitur ad credendum propter dictum Dei. Potest tamen obiectum impulsivum dupliciter impellere. 1. Actualiter media cognitione actuali sui. 2. Virtualiter, media specie relicta ex cognitione sui, vel media alia virtute.

139 Difficultas ergo est, an sit Fides assensus ille Mysterij immediatus propter intrinsecam veritatem Mysterij, dum supponit revelationem iam antea per alios actus assentiam, vt obiectum impulsivum: Id est, an assentus illi, quos fideles frequentamus *de Trinitate & Incarnatione*, nullam faciendo mentionem de eo quod sint revelatæ, sint strictè Fides? Hurtado *disputat.* 6. postquam *sect.* 2. proposuit argumenta pro parte negante, *sect.* 4. affirmat relinquens argumenta insoluta. Ripalda etiam tenet affirmantem, cuius argumenta solvit P. Oxea *disput.* 2.

138 Negat autem communior sententia. Ita Aragon, Coninch, Granado, Lezana noster, & P. Oxea *disput.* 2. *de Fide*. Probatur hæc sentent. 1. Actus qui nullo pacto attingit intrinsecè, directè, vel indirectè, formaliter, vel virtualiter obiectum formale Fidei, non est Fidei; sed sic se habet iste actus: ergo non est Fidei. Maior patet. Tùm quia obiecta formalia intrinseca sunt normæ distinguendi virtutes, & si actui non assignetur intrinseca tendentia ad obiectum speciale alicuius Virtutis, confundentur Virtutes, si pro extrinseca aliqua denominatione, vel imperio, liberum sit vnicuique actum assignare huic vel illi Virtuti. Tum quia habitus superni sunt quasi potentiæ, & istę ab obiecto formali intrinsecè petito specificantur. Tùm denique, quia stricta Iustitia imperata à charitate, adhuc non est charitas, quia non tendit in obiectum huius intrinsecè, directè, vel indirectè, formaliter, vel virtualiter.

Minor

139 Minor autem probatur: quia talis assensus non nititur revelatione vt obiecto terminativo, quia illam non noscit; nec vt impulsivo actuali, cum intellectus non cogitet de illa; nec itē intrinsecè vt virtuali, ratione speciei relictæ. Tū quia talis species, vel non est species revelationis, sed Mysterij, vel saltèm nō impelit, nec influit vt species revelationis, quia hæc vt sic est impertinēs tali influxui. Insuper, dato quod impellat, sed nō ita vt assensus dicat intrinsecam tendentiam ad revelationem vt ad terminativum, adhùc indirectè, aut virtualitèr, sed ad summum extrinsecè; sed hoc non sufficit vt pertineat ad Fidem: ergo. Minor probatur: quia si sufficeret impulsus extrinsecus, sequeretur definitiones Ecclesiæ posse pertinere ad habitum falsitatis: aliquando enim mota est vt ab extrinseco impelente, à motivo probabili exposito falsitati, & à parte rei falso.

140 Etenim in Concil. Florent. *Sess.18 §. Ego affirmavi*: Decretum est Deitatem non generare, quia actiones sunt suppositorum, quod motivum iudicat falsum Bernal *de Incarnatione*. Insuper in Synodo 6. Angelos pingi posse placuit Concilio: motivum autem extrinsecum fuit: *Quia corporei sunt, & quia &c.* Ergo assensus nō pertinet ad habitum motivi impulsivi extrinsecè: ergo neque assensus Mysterij propter se, ad habitum Fidei.

141 Respondebis, illum assensum virtualitèr intrinsecè tangere revelationem; quatenùs ex se habet supponere cognitionem ipsius, & vt sic assentitur Mysterijs. Contra, quia non dicit connexionem vllam cum revelatione. Probatur: Non eam dicit propter Mysterium; quia istud non connectitur cum illa, nec propter modum tendendi ad Mysterium, cum tangat illud propter se, & non sub ratione revelati: nec propter speciem quia ista per se non est species revelationis, vel saltèm non respicitur ab actu sub hac ratione: nec necessario supponit cognitionem revelationis, cum talis species potuerit infundi à Deo, vel provenire ex alia

cog-

cognitione superna, (& fortè naturali) non attingente revelationem.

142 Nec item, quia ad istum assensum & ad speciem impressam de illo, debeat præcedere saltùm vt conditio, alia cognitio revelationis per Fidem; licèt enìm ita sit connaturaliter, sed non ab intrinseco assensus, qui potuit esse idem ex obiecto & principijs absque illa: id ergo provenit quia de facto non habemus speciem impressam, nisi per talem cognitionem, & tali via; hoc tamen non probat, quod pertineant ad eundem habitum, sed possunt ad diversos: sicut pertinet ad Metaphysicam cognitio Dei, & substantiæ vt sic, habita per speciem & cognitionem rei sensibilis vt impulsivæ, quìn tale sensibile pertineat ad Metaphysicam.

143 Nec obest contra istam sententiam, quod talis assensus vtpote superuus & frequens, requirit habitum in nobis, nam species etiam superna non elevat nos ex parte potentiæ; atqui non assignabis alium, nisi Fidem: ergo pertinet ad istam. Si neges maiorem, quia sufficit Omnipotentia, vel qualitas transiens. Contra, quia cum actus sunt frequentes vt hì, non sufficiunt principium extrinsecum, aut intrinsecum transiens, sed requiritur intrinsecum permanens, id est habitus propter connaturalitatem. Ideò negant minorem: quia possunt oriri, vel ab habitu scientiæ infusæ, qui in gradu remisso admitti potest in fidelibus communiter; vel à Theologiæ habitu, cuius est assentiri propter intrinsecam Mysterij veritatem.

## ARTICVCVS V. & §. I.

### OPPOSITA SENTENTIA, ET NOSTRA.

144 PErtinere ad Fidem, probari potest vrgentèr sic ex Pat. Ripalda: Conclusio Theologica nitens in intrinseca veritate Mysterij est Fides: ergo & iste

upna

iste assensus. Antecedens probatur: quia actus nitentes eodem obiecto formali, vnus formalitèr, & alius virtualitèr, sunt eiusdem habitus. Patet in intentione finis & in electione medij vt vtilis ad illum. Item in detestatione peccati propter oppositionem cum Deo, & amore ipsius Dei: Ratio autem à priori est; quia eiusdem virtutis est velle bonum, & fugere malum quatenus opponitur tali bono: Dirigitur enim fuga mali ex amore boni; atqui Theologia nitens formalitèr veritate Mysterij, eo ipso nititur virtualiter revelatione: non enim assentiretur obiecto illato ex Mysterio, nisi quia in premissis Mysterium est assentitum propter revelationem, & conclusio assentitur derivativè ab illa: ergo idem de isto assensu. Et hoc probat Ripalda multis alijs argumentis.

145 Contra hanc doctrinam objicies: Quod Religio dum vult cultum Dei propter honestatem cultus Dei, virtualitèr & indirectè attingit Deum; atqui non ideò est virtus Theologica: ergo falsa est probatio posita. Sed adverte valdè pro responsione, ad obiectum formale, vt dicatur virtualitèr tangi tanquam obiectum formale, non sufficere quod actus nitatur aliquo connexo cum illo, tanquam cum termino indirecto vndequaque. Patet in complacentia de contritione, vel de cognitione superna peccati connexis cum peccato: quæ complacentia, licèt sit de rebus quæ connectuntur cum peccato, non tamen nititur virtualitèr peccato, nec complacet in illo adhuc virtualitèr, quia est terminus vndequaque indirectus.

146 Tunc ergo intellectus nititur aliquo tanquam obiecto formali, quando nititur suo obiecto immediato formalitèr & non vltimatè; sed nititur illo propter aliquam rationem connexam cum alio, & vt derivatam ab isto quoad attingi; ita vt talis actus det sufficiens fundamentum ad hoc vt interpretari possit attingentia virtualis directa illius obiecti, à quo deri-

va-

vatur in obiectum immediatum & directum, quod attingatur per talem actum. Sit exemplum in hoc actu: *Amo medium quia est vtile ad finem*; vbi licèt vtilitas connexa cum fine, sit ratio directa formalis amandi, & finis indirecta; nihilominùs ita derivatur à fine bonitas in medium, vt ille amor interpretetur sic: *Quia amo finem, ideò amo medium vt vtile ad illum*. Idem in contritione detestante peccatum propter divinæ bonitatis oppositionem, quæ contritio interpretatur sic: *Quia amo divinam bonitatem, ideò detestor peccatum oppositum cum illa*. Vndè tales actus necessario imbibunt aliquid speciale in se & suo modo tendendi circa obiectum indirectum, vt sit æquivalentèr directum: siquidem necessitant quoad speciem saltùm ad amorem obiecti indirecti.

147 Hoc non reperitur in actu Religionis; qui enim amat cultum Dei propter honestatem relucentem in colendo Deum, non ideò sequitur quod amet super omnia Deum; etiam enim si ipsum non amet, (imò etiam si odio habeat) potest velle dare illi cultum propter honestatem cultus: sicut etiam quis odio habeat Regem, vel alium Prælatum suum, potest illi velle exhibere reverentiam dignitati debitam, quia debita est. Vndè semper est attendendum, quomodo actus nitatur vno obiecto expressato cum ordine ad aliud; si enim attingat istud virtualitèr saltùm & implicitè propter derivationem ab illo, talis actus non habet illud pro obiecto pure indirecto, sed directo, sumitque specificationem ab illo.

148 Vndè assero: quemcumque assensum certum & obscurum Mysterij propter veritatem intrinsecam, esse de facto in hoc ordine rerum, Fidem divinam, si sit actus obscurus: quia non sistit vltimatè formalitèr & virtualitèr in ipsa veritate intrinseca, sed intrinsecè virtualitèr nititur vt obiecto formali, revelatione in quam necessario tendit, licèt non expressè illam. Hanc existimo esse comm. sentent. licèt contra aliquos. Pro-

batur 1. Quia omnis assensus inevidens, & entitativè certus & supernus de Mysterio revelato, necessario debet esse ab habitu superno intellectuali & permanenti, (saltèm si sit actus frequens) atqui non datur alius habitus supernus intellectualis & obscurus de facto in Christianis, nisi sola Fides Theologica: ergo talis assensus est Fidei Theologicę.

149 Probatur 2. Quia in repetitione talium assensuum, influxus tàm frequens nō procedit connaturaliter ab Omnipotentia extrinsecè assistente, nec ab auxilio intrinseco transeunte. Nec item ab habitu scientiæ infusæ quantumcumque remisso, siquidem à tali habitu debent assensus procedere evidentes, quales non sunt nostri (nam nec sunt de Mysterijs in se, & propter se, aliàs essent intuitivi. Nec de Mysterijs in aliquo medio connexo in se ipso viso: quod requiritur ad assensum evidentem abstractivum.) Nec sunt ab habitu Theologiæ, de quo statim: ergo sunt ab habitu superno Fidei divinę.

150 Quod non sint ab habitu Theologię, probatur: Talis enim habitus debet esse necessario supernus & per modum simplicis attingentiæ obiecti; atqui neutrum apparet frequenter in Theologia: ergo valdè dubium est, quòd procedant ab illo. Prima pars mai. patet: nam tales assensus necessario sunt superni, cum habeant meritum magis frequens Fidei, (privare enim merito illos actus tam frequentes, valdè durum esset.) Et insuper, quia dirigunt sæpissimè actus supernos voluntatis: ergo debent esse superni vt proportionentur cum illis. Imò & hinc probatur debere esse Fidei, quia illi actus voluntatis placent Deo, & ex Apostolo: *Sine Fide impossibile est placere Deo*, id est sine directione Fidei.

151 Secunda pars mai. etiam probatur: Quia tales assensus feruntur in sua obiecta, non vt discursus, sed per modum simplicis tendentiæ, & petunt habitum sibi conformem. Insuper, quia tales assensus ferè numquam

sunt

sunt de vno Mysterio prout illato ex Mysterijs revelatis, (qui modus tendendi est proprijssimus Theologię:) Ergo non sunt tribuendi Theologiæ illi assensus; præcipuè, cum adhuc sit sub magna lite, an habitus Theologiæ sit naturalis vel supernus, & communius sit esse naturalem. Item quia tales assensus in quovis Christiano sunt frequentissimi; nec tamen in quovis admittitur à Doctoribus habitus Theologiæ, sicut nec scientiæ infusæ.

151 5. Probatur: quia potest idem habitus supernus elicere duas differentias assensuum alicuius obiecti. Vnum expressando rationem formalem tanquam si sit ratio *qua*. Et alium non expressando illam, sed relinquendo illam ex parte tangibilitatis propriæ, & reducendo ad rationem *sub qua* essentialiter petitam in obiecto, sed non expressatam. Patet in intellectu noscente sic: *Assentior existentiæ Petri quia est vera*; vel noscente sic: *Petrus existit*; vterque autem assensus est intellectualis essentialiter specificatus à veritate. Vnus ab ea expressata, alius ab ea essentialitèr præsupposita & non expressata. Idem in voluntate amante Deum Omnipotentem, quia bonum: vel amante Deum, quia Omnipotentem; vterque amor specificatur à bonitate: ergo cum habitus supernus Fidei sit instar potentiæ, poterunt ab illo procedere assensus Dei Trini, quia revelati; & etiam assensus de eo quod Deus sit Trinus. Primus assensus est ob revelationem expressam. Secundus vero ob illam non expressatam, sed essentialiter pręsuppositam & pręrequisitam ex parte rationis *sub qua*.

152 4. Probatur: quia non repugnat, quod vnus actus possit esse ob vnam rationem vt derivatam ab alia, vt explicuimus in hoc Articulo, respondendo ad argumentum. Hoc autem etiam habet locum in Mysterio assentito ob derivationem à revelatione licèt implicitam, quia quamvis Mysterium non petat ex se, revelationem præsupponi; assensus tamen iste, ex sua

certitudine & modo tendendi, atque egressione à tali habitu, petit præsuppositionem revelationis: ergo rationabilius est, quod talem assensum assignemus Fidei divinæ. Consequent. probatur: quia talis assensus cum sit obscurus, & nec sit visio, nec discursatio, necessariò debet esse creditio, & imbibere respectum virtualem directum ad revelationem petitam ab actu. Tùm quia communiter apud fideles assensus tales obscuri reputantur Fides; & adversarij admittunt esse Fidem quoad meritum: ergo & quoad naturam assensus obscuri; & propter motivum obscurum, (in hoc enim stat meritum Fidei) qui assensus, eo ipso est Fides. Vel assigna alium habitum cuius sit.

153 Tùm denique, quia apud omnes fideles, præcipuè moribundos, iste actus certissime est Fides: *Credo quidquid tenet S. Mater Ecclesia, assentior omnibus, quæ ipsa docet*; atqui iste assensus solù attinet expresè Mysteriũ revelatum ob suam veritatẽ, non autem ob divinam revelationem: ergo vt actus sit Fides divina non est necesse, quod expresset divinam revelationẽ. Minor probatur, quia quod definitio Ecclesiæ sit vera & assentibilis, est purè Mysterium revelatum in illis Scripturæ verbis, in quibus vocatur Ecclesia, *Firmamentum & Columna Veritatis*: Ecclesię enim definitio sive propositio, vt supra dictum est, non est revelatio divina, licèt sit infallibilis à Spiritu Sancto assistente.

## §. II. ARGVMENTA.

154 OBijcies 1. Assensus Mysterij propter se inà vltimatè, est specie diversus ab assensu ob revelationem expressam; atqui iste est Fides: ergo ille non est Fides. Consequentia probatur: quia omnes actus Fidei divinæ sunt eiusdem speciei. Maior autem probatur, quia nituntur diverso obiecto formali expressato. Negari potest maior, quia vtriusque est eadem ratio formalis specificativa, expressata ab vno, & pe-

petita præsuppositivè ab alio per tendentiam intrinsecam virtualem. Etenim vt iste assensus sit essentialiter obscurus,creditivus & certus,essentialitèr nititur obiecto formali certo, quale non est pro actu obscuro, nisi sola revelatio,quæ licèt non exprimatur, potest specificare: sicut visibilitas specificat essentialitèr,quin exprimatur, visionem ocularem, comparativè ad visionem imaginariam ellicitam à sensu communi: sicut ergo amor Dei & contritio specificata à divina bonitate, fortè sunt eiusdem speciei,ita & illi assensus. Item potest permitti maior, dicendo, quod idem habitus potest ellicere actus specie physica diversos,dum nitantur eadem ratione *sub qua*; erunt tamen moralitèr eiusdem speciei.Elige iuxta tua principia.

155 Objicies 2.Ille assensus tangit veritatem Mysterij,& non obiectum formale Fidei adhuc virtualitèr: ergo non est Fides. Antecedens probatur:quia nec tangit virtualitèr ob connexionem Mysterij, nec ob speciem impressam, nec ob modum tendendi. Nego antecedens: quia licèt non tangat tactu expressivo, tangit tactu implicito & virtuali ex se intrinseco.Ad probationem respond.tangere ex proprio modo tendendi essentialitèr confuso & certo;ac per consequens creditivo:cum nec sit visio,nec scientia,nec argumentatio,sed simplex creditio superua,confusa,& certa,quæ eo ipso, ex modo procedendi à suo principio, connectitur cum revelatione vt præsupposita,vel vt reducenda ad rationem *sub qua* essentialiter petitam, quod non habet assensus incertus hominis hæretici.

156 Objicies 3.Tunc revelatio supponitur cognita per alium actum: ergo solùm vt conditio,vel propositio impulsiva,& applicans:quod non sufficit ad specificandam Fidem.Concesso anteced.nego consequentiam: quia supponitur vt ratio *sub qua* petita, vt ab illa deriveatur intrinsecè virtualitèr ratio assentiendi: Talis ergo assensus assentitur Mysterio ob veritatem intrinsecam expressè, licèt multimate,quia ex propria natu-

ra, & quin expresset revelationem, procedit à suo principio derivativè ab illa; taliter, quod si ita assentiens Mysterio sine expressione revelationis interrogetur, cur assentiris Trinitati? Statim excitatur altera pars speciei impressæ, & respondet: *Quia Deus dixit*, non quia video, non quia scio, non quia discurro, sed credo *Quia Deus dixit*: sicut qui conteritur de peccato, interrogatus cur ita doleat? Respondet, quia amo divinam bonitatem super omnia.

157 Infero 1. Veritatem intrinsecam revelationis, etiam quando non exprimitur, esse vltimam rationem credendi, sive vltimam Fidei resolutionem. Interrogatus enim Christianus, cur credat, semper venit vltimatè inter rationes expressatas, ad rationem illam: *Quia Deus dixit*. Infero 2. Si assensus sit talis, quod intrinsecè saltim ex modo tendendi non petat revelationem, non fore Fidem, licèt revelationem præsupponat vt impulsivam. Infero 3. Plures actus posse pertinere ad Virtutes, vel Scientias, propter rationem *sub qua* peritam, licèt non expressetur talis ratio, vt ratio *qua*. Patet in exemplis adductis, & etiam in Spe Theologica; sæpè enim cum fiducia speramus Beatitudinem dandam nobis à Deo, quin talis Spes exprimat, reduplicet, aut dicat: *Spero vt bonum mihi*.

## QVÆSTIO III.

### DE OBIECTO MATERIALI FIDEI.

158 OBIECTVM materiale, quod ratione formalis attingitur sive ratione revelationis, duplex est. Vnum remotum, & aliud proximum. Illud est, quod informatur obiecto formali, habetque omnes conditiones, vt credatur. Remotum verò est illud, cui deficit aliquid ex his, & est capax vt habeat. Vndè non est idem mediatum & remotum, nam mediatum

est

est illud, inter quod & actum scientiæ, mediat aliud obiectum tactum per scientiam; istud verò, & non illud pertinet ad scientiam. Remotum verò est, quod advenientibus conditionibus tangeretur à scientia: omnia igitur obiecta, quæ Ecclesia proponit vt credenda, sunt de facto obiectum proximum Fidei, quia non possunt ab Ecclesia proponi nisi essent iam de facto revelata à Deo.

159 Hinc fit, ea quæ de facto revelata non sunt, si revelarentur & proponerentur sufficienter vt talia, fore obiectũ proximum Fidei præsentis, quia haberent quidquid requiritur. Est ergo difficultas nunc, an revelabilia, manendo in statu revelabilium, sint obiectum proximum Fidei quoad habitum ipsius, & etiam quoad actum. P. Ludovicus Torres *disputat.2.de Fide*, licèt neget de actu, affirmat de habitu. Ista pars de habitu probari potest sic à paritate oculi: potest enim existere à parte rei oculus corporeus, nullo existente colore aut luce, qui oculus haberet essentialem rationem visibi, etiam tunc: ergo & eandem essentialem specificationem à lucido colorato & à visionibus, quas posset ellicere de illo; atqui non à colorato, vel visionibus actualibus: ergo à possibilibus; ergo idem erit de habitu Fidei divinæ: sicut enim oculus est visivus colorum, sic habitus Fidei est creditivus revelatorum, specificaturque ab his & à creditione ipsorum: ergo non ab actualibus, quia actualitas est contingens, sed à possibilibus.

160 Confirmatur: quia intellectus essentialitèr est cognoscitivus veri, & specificatur à vero & cognitione, prout sunt æternæ veritatis; sic enim & non aliter sunt quid necessarium, & sufficiens ad specificandum essentiam intellectus, quæ prout essentia est æternæ veritatis, atqui esse æternæ veritatis nequit competere vero & cognitioni vt actualibus, sed præcisè vt logicè possibilibus, & vt non repugnantibus: ergo eo pacto & non aliter specificant intellectum, vt essentialiter in-

rellectivum; ergo similiter revelata & creditiones specificant habitum Fidei, vt sunt aliquid logicè possibile & non repugnans, & vt quid æternæ veritatis: quod iam convenit revelabilibus, antequam revelentur.

## ARTIC. I. & §. I.

### NOSTRA SENTENTIA DE HABITV.

161 NOta 1. Non esse idem omninò, revelabile & possibiliter revelatum, nam illud sonat actum primum, & capacitatem ad revelationem; istud verò sonat actum secundum possibilem includentem ipsam revelationem vt formam. Sic, aliud est in materia prima esse receptivam formæ, & aliud esse possibiliter recipientem. Nam primum est totaliter identificatam cum materia; secundum verò addit supra materiam receptionem possibilem vt actum secundum possibilem. Valdè mihi persuasum est, revelabile prove distinctum à possibiliter revelato, non esse obiectum proximum specificativum habitus plenè sumpti, quia vt sic non importat informationem ab obiecto formali, nempè revelatione, sed capacitatem vt informetur.

162 Nota 2. Nos posse loqui de habitu semiplene, id est quoad specificari præcisè sive de illo, sumpta specificatione essentiali ipsius speculativè, vel de habitu practicè & quoad posse exerceri: id est an possit exercere creditionē circa obiectū possibiliter revelatum à Deo, quæ creditio sit assensus Fidei. Etenim habitus, sicut & potentia habet, & quod sit respectivus & tenditivus; & quod sit operativus sive exercitivus. Pro primo concepru sufficit possibile. Pro secundo requiritur actuale, saltim signate: vt tenditivum enim solum fertur speculativè in possibilitatem. Habitus enim qui de facto datur non solum est virtus respectiva ad revela-

ta,

ta, sed etiam ad nondum actu revelata, & forte nec revelanda, (licet pro casu *quo* revelarentur.) Argumenta ergo facta pro prima sententia, si aliquid probant, solum probant de habitu quoad essentialem specificationem semiplenam. Dixi: Si *aliquid probant*, quia fortè nec id probant.

163 Nota 3. Res posse vt existentes attingi per actus dupliciter. Primò, vt existentes in actu exercito, & exercite, quo pacto visio intuitiva actualis nequit esse, nisi de colorato prout existenti & actuali. Secundò, vt existentes solum in actu signato, id est in actualitate expressata, significata & intelligibili, quin talis actualitas existat exercitè à parte rei, sed concipiatur existere: Potest ergo habitus, virtus, & actus possibilis esse essentialiter de existentibus vt existentibus solum in actu signato, & non in actu exercito & exercitè; (quæ tamen existentia signata aliquid addit supra possibilitatem in ratione specificandi.) Quæ doctrina, quia parum obvia est, explicanda est varijs exemplis.

164 Patet ergo in Decreto existenti efficaci Dei de futuris in tempore: Deus enim ab æterno habuit Decretum, non quidem de possibilitate mundi, quia hæc non pendet à Decreto Dei, sed de existentia & actualitate in tempore: Quod Decretum apud RR. vt tale specificabatur essentialiter ab æterno ab actualitate mundi vt tali, non quidem ab actualitate vt exercita, sed vt signata, & suo tempore exercenda. Idem patet in reprobo Christiano sperante actu superno suam salvationem: non quidem vt possibilem, quia possibilitas non est obiectum spei, sed vt futuram; quæ futuritio specificat spem, non vt exercita, sed vt signata.

165 Idem patet in Omnipotentia, quæ quidem essentialiter est productiva alterius mundi, v. g. non quidem possibilitatis alterius mundi, quia hæc est improducibilis, sed actualitatis ipsius. Est ergo essentia-

liter

liter respectiva actualitatis, quatenus productiva ipsius, specificaturque ab illa vt tali; non quidem ab illa exercitè cum nec sit exercita, nec futura sit: ergo ab illa solum signatè quatenùs vt productiva, si exire debeat ad productionem alterius mundi, hæc debet esse de alio mundo non precisè vt possibili, sed vt actuali exercitè, ponendo exercitè illum.

166 Tandē id patet in Deo vt decretivo alterius mundi: decretivo inquam in actu primo; nam nequit concipi vt decretivus mundi vt possibilis, nam vt possibilis non est capax materia Decreti liberi, cum vt possibilis sit quid necessarium, & independens à voluntate Dei: ergo est decretivus illius vt actualis, & vt re ipsa ponendi à parte rei: ergo specificatur ab illo vt actuali, quia solum hoc pacto est decernibilis; atqui non specificatur ab actualitate vt exercita exercitè, cum nec extitura sit, nec decreta actu: ergo ab actualitate sumpta signate, & solùm signatè translata de possibili ad actualem. Ly *signate* solet ab alijs appellari *obiectivè*, ita vt talis actualitas prove diversa ab exercita vocetur *obiectiva*. Maneat ergo probatus iste duplex modus actualitatis, nempè *signatè & exercitè*.

167 Assero ergo: Habitus non specificatur essentialitèr plenè à possibilitèr revelato, nisi extrahatur ad revelatum actualitèr signatè saltùm. Probatur conclusio: quia habitus Fidei, sive possibilis, sive actualis sumptus secundum prædicata essentialia habitus, est essentialitèr creditivus Mysterij propter divinam revelationem, sive quia est dictum à Deo: ergo specificatur essentialitèr à creditionibus possibilibus, & obiecto essentiali ipsarum; atqui istæ secūdum sua prædicata essentialia sunt ex illis actibus, quorum essentia est de obiectis vt actualibus signatè, & habitus non habet aliud specificativum essentiale, nisi quod habent ipsius actus, vt logicè possibiles; nam non habet per quid attingat obiectum nisi per illos: ergo non potest habitus

upna

bitus habere pro obiecto, nisi revelatum extractum à purè possibili ad revelatum actuale saltùm signatè. Quod saltùm est verum de eo vt exercitivo.

168 Minor autem probatur: quia credere essentialitèr sumptum, non est de rebus potentibus dici, sed de iam dictis: sicut interficere non est de mortuo potente habere vitam, sed de iam vivo, cui soli potest adimi vita. Est enim impossibile atque inintelligibile quod quis credat dictis alterius, si talia dicta non dantur, eò quòd ipse non sit locutus, licèt possit loqui: in eò enim tunc non verificatur quod res sint dictæ, licèt possint esse dictæ: sicut non verificatur, quod alius mundus sit productus, licèt potuisset esse productus.

169 Probatur 2. Quia exercitia illa, quæ dum transeunt de possibilitate ad actum, petunt pro isto statu essentialitèr actualitatem exercitam in suo obiecto vel termino, (sive petant pro priori illam, vt visio ocularis, sive pro posteriori vt productio physica) dum sunt in possibilitate, sunt essentialitèr determinata ad obiectum possibile prout modificatum actualitate signata; atqui huius generis sunt exercitia Fidei: ergo si vt actualia necessario sunt de rebus dictis vt iam exercitè dictis, vt possibilia erunt de rebus possibilitèr dictis, seu prout modificatis actualitate signata. Maior patet in productione, quæ per suam essentiam, & in quocumque statu est productio, non quidem possibilitatis, sed existentiæ; receptio etiam & vnio formæ cum materia, non est formæ vt possibilis, sed vt existentis. Vndè nec materia prima est receptiva formę prout possibilis, (licèt eius connexio specificetur speculativè & semiplenè ab illa vt possibili) quia receptio per modum actus secundi, nequit exerceri circa illam. Nec oculus est visivus coloris prout possibilis: ergo nec Fides creditiva obiecti prout possibilis revelari, sed prout actualitèr signatè.

Res-

170 Respondeo 1: Receptionem actualem debere esse formæ vt actualis; & materiam dum consideratur receptiva formæ media receptione actuali, etiam esse receptivam formæ vt actualis; si verò consideretur media receptione possibili, solum esse receptivam formæ vt possibilis. Contra, tùm quia etiam receptio possibilis, (idem de quolibet exercitio per modum actus secundi ex assignatis supra) deberet esse de termino, sive obiecto possibili prout modificato actualitate signata: ergo nulla est solutio. Antecedens probatur: quia exercitium illud actuale, quod vt tale specificatur à termino prout in statu actualitatis, etiam vt possibile specificatur essentialitèr ab eodem statu actualitatis signatè. Probatur: quia illud exercitium idem est quoad essentialia vt possibile & vt actuale: ergo debet habere idem specificativum essentiale: ergo si specificativum essentiale exercitij actualis est obiectum prout in statu actualitatis, etiam prout in tali statu erit specificativum essentiale & motivum illius exercitij vt possibilis.

171 Quod autem status actualitatis vt talis sit specificativum diversum essentiale à statu possibilitatis patet manifestè in visione oculari, vel intuitione intellectuali coloris vt actualis comparata cum cognitione intellectuali abstractiva eiusdem coloris vt possibilis: istæ enim cognitiones dum actualiter existunt differunt essentialitèr: quæ diversitas essentialis summitur ab obiecto repræsentato immediato, nulla autem alia est diversitas in illo, nisi quod cognitio intuitiva respicit colorem illum prout modificatum statu actualitatis: abstractiva verò prout sub statu possibilitatis.

172 Confirmatur: istæ cognitiones dum existunt, differre essentialitèr, habent à diversis obiectis: ergo etiam vt logicè possibiles differunt essentialitèr ab obiecto specificativo; atqui abstractiva possibilis specifi-

cificatur essentiali èr à colore vt possibili; ergo intuitiva possibilis neque specificari essentialitèr à colore provt possibili, nam esset omninò idem specificativum vtriusque: ergo debet specificari à colore, provt modificato actualitate; non quidem exercitè pro illo statu, sed signate. Idem dic de creditione, quæ tàm vt possibilis, quàm vt actualis specificatur essentialitèr à revelatione vt actuali signatè, vel exercitè.

## §. II. SOLVVNTVR ARGVMENTA.

173 Ad argumentum contrarium respond. concesso anteced & cooseq. de oculo visivo, specificari nempè à coloribus & visionibus ipsorum: Distingo minor. non specificatur ab eis vt actualibus exercitè, concedo; à possibilibus vt actualibus signatè, nego. Specificatur enim ab illis provt possibilibus quantum ad statum exercitum, & provt modificatis actualitate quantum ad statum signatum & obiectivum. Etenim in oculo & potentijs similibus distinguendus est duplex conceptus. Vnus sem plenus connexionis per entitatem & actum primum. Alter ordinationis per operationem & actum secundum. Primus est ad possibilitatem. Secũdus plenus ad eam & simul ad actualitatem signatam & petitam pro exercendo tali actu, quotiescũque est transiturus de possibili ad actualem.

174 Ad confirmationem respond. fatendo, essentias cum sint æternæ veritatis, solum posse specificari ab actu & termino vel obiecto, provt isti sunt æternæ Veritatis. Concessa ergo maiori, distinguo minorem: non specificatur actus ab illis vt actualibus exercitè, concedo minorem; quia exercere est contingens & defectibile, ab illis vt actualibus signatè & obiectivè, nego minorem; quia sic etiam sunt æternæ Veritatis. Etenim existentia signata & obiectiva dicti divini vt terminus relationis transcendentalis creditionis propter

ter illud, æquè est certa & infallibilis, atque indefectibilis in mente divina, sicut est essentia ipsa creditionis.

175 Obijcies 2. Habitus per suam essentiam essentialitèr ab illo specificatur, cum quo essentialitèr connectitur; sed non connectitur essentialitèr cum actualitate suorum actuum, nec cum actualitate obiecti ipsorum: ergo nec specificatur essentialitèr ab illa. Minor probatur: quia talis actualitas vt diversa à possibilitate non fuit ab æterno cum habitu possibili simul; imò nec fuit simul cum habitu actuali primis temporibus, quando dabatur iste & non dabatur actualitas creditionis, vel obiecti in illis Mysterijs, quę postea revelata sunt. Confirmatur: quia vbi datur connexio essentialis, nequit vnum dari non dato alio; nec potest dari specificatum sine suo specificativo; atqui dabatur habitus sine actualitate revelati & creditionis, (dari enim signatè non est dari:) ergo non specificatur ab illa adhùc signatè. Respond. distinguo maiorem: ab illo specificatur, cũ quo essentialitèr connectitur connexione entitativa tantum, nego; connexione vel entitativa, vel obiectiva signata & intelligibili, concedo; & in hoc sensu nego minor. Iam enim connectitur cum actualitate signata connexione obiectiva essentiali.

176 Ad probationem respond. actualitatem fuisse ab æterno, non quidem exercitè & in tempore, sed obiectivè signatè & enunciativè in mente divina. Ad confirmationem respond. connexionem à nobis asserram, cum non sit entitativa respectu actualitatis, non importare istam exercitè, & sufficere signate, vt possit specificare. Sic spes superna salvationis specificatur à salvatione futura signate. Sic etiam adoratio superna interna Hostiæ consecratæ, (quæ verè consecrata non est, sed existimatur) specificatur essentialitèr à consecratione actuali sumpta signatè & enunciative, quia non asserimus esse consecratam (siquidé esset falsa

ta.

talis assertio, ) sed adoramus illam Hostiam consecratam, sumpto ly *consecrata* enunciative & signatè: sic habitus Fidei vt creditivus specificatur à Mysterio vt dicto signatè enunciativè. Dixi hæc de specificatione plena.

178 Nota, potentiam receptivam formæ possibilis dicere duos respectus, & vnus præsupponitur ad alium. Primus est ad possibilitatem formæ. Secundus ad existentiam saltim signatam. Est enim potentia respectu formæ absolutè possibilis, receptiva tamen; non quidem possibilitatis præsuppositæ, sed actualitatis. Exercitium enim recipiendi totum est de actuali vt tali. Primus respectus est semiplenus. Secundus est plenus.

178 Objicies 3. Cognitio intuitiva, & cognitio abstractiva possibiles differunt sufficienter, quin intuitiva sit de actualitate; si nempè intuitiva possibilis in illo statu petat essentialitèr quod si est transitura vt fiat actualis, etiam obiectum ipsius debeat transire in actuale; quæ quidem petitio non convenit cognitioni abstractivæ possibili; quia ista etiam de obiecto possibili potest esse actualis: ergo non est necesse quod intuitiva in statu possibilis, sit essentialitèr intuitiva & respectiva sui obiecti vt actualis signatè. Respond. negando primam partem antecedentis; licèt enim secunda pars sit vera, petitio ipsa actualitatis exercitę pro novo statu actuali actus, imbibit essentialitèr petitionem & respectum quendam ad actualitatem vt talem sumptam signatè; quem respectum non imbibit cognitio abstractiva: est ergo petitio actualitatis, quam vt talem respicit signatè intuitio, dum manet possibilis; quam etiam petit transire ad actualitatem exercitè, si intuitio possibilis sit mutatura statum, & transitura ad actualem. Essentia ergo Logica intuitionis vt sic est essentialiter de obiecto vt existenti & præsenti, ( signatè prout logicè possibilis, & exercitè prout facta actualis )

Sit.

FRANCISCANA BIBLIOTECA BOGOTA

Similitèr creditio logicè possibilis est essentialitèr de Mysterio prove dicto.

179 Obijcies 4. Intellectus specificatur essentialitèr ab omni possibiliter vero. Et ratio est, quia eo ipso informatur possibilitèr veritate: ergo & habitus Fidei specificatur à possibiliter revelato, quia etiam eo ipso informatur possibiliter revelatione, sive in actu secundo possibili. Concesso antecedenti, nego consequentiam: quia Fides tota est de credendo dictis; non vero de credendo dicibilibus, quæ adhùc dicta non sunt: at intellectus, cum sit potentia universalissima, non solum est de visis & visibilibus, sed & de alijs cognoscendis abstractive, pro quibus sufficit possibiliter verum: in quo differt intellectus ab oculo & ab habitibus coarctatis ad statum actualitatis vt talem.

180 Obijcies 5. Habitus Fidei, sumptus secundum connexionem entitativam solam quam dicit cum possibiliter revelato, est Fides: ergo superfluè additur ad Fidem alia connexio obiectiva cum actualitate sumpta signate. In primis negari potest suppositum antecedentis, nempe quod Fides summi possit secundum solam cõnexionẽ entitativã speculativam. Si enim pleneFides est, debet esse exercite creditiva: ergo de dictis vt dictis saltim signate. Deinde respond. negando antecedens: falsum enim est illum habitum sic sumptum esse Fidem. Probo enim sic. Iste actus: *Assentior existentiæ Civitatis Neapolitanæ propter divinam revelationem possibilem*; non est Fides actualis divina, dum talis actus existit: ergo nec dum est possibilis est Fides. Consequentia patet, nam actus possibilis & actualis tendentes in idem obiectum formale, eiusdem virtutis sunt. Modo sic: Ergo nullus datur assensus possibilis de existentia Neapolitana possibiliter revelata, qui sit Fides possibilis: ergo nec habitus talis actus productivus poterit esse Fides, prove specificatus à revelatione possibili & connexione solum entitativa cum illa.

Ex

181 Ex his sequitur, obiectum revelabile esse materiale proximum respectu revelationis; nō vero respectu creditionis: Tali enim obiecto nihil deest, vt revelatio cadat super illud, secus creditio; quia deest quod obiectum formale Fidei, nempe revelatio sit applicata illi. Sic humanitas Petri, v.g. est proxime visibilis Verbo, quia nihil deest vt viri possit; non tamen est proximè adorabilis latria à Religione, quia vt hęc illam adoret, deficit quod sit informata vnione hypostatica actualitèr, a qua fit adorabilis.

182 Hinc nota, obiectum materiale proximum aliter se habere ad cognitionem practicam, & aliter ad speculativam de qua loquimur; nam proximum illius non debet esse actualitèr informatum ab obiecto formali cognitionis practicæ, sufficit enim quod sit proximè potens informari illo. Sic lapis vt est capax ad domum est obiectum proximum materiale Architecturæ, & corpus vt sanabile Medicinæ, eò quòd proxime possint istæ inducere in illa suum obiectum formale; at visio, creditio & similes actus speculativi sunt de obiecto vt actualitèr informato obiecto formali illorum. Assensus ergo practicus quasi coquit & condit obiectum in cibum suum, & sic non debet supponere conditum, sicut supponit actus speculativus, quia iste non coquit sicut practicus.

## ADVERTENTIA.

183 Ex hucusq; dictis cōstat, (& est notatu dignum) duplicem dari habituum speciem, sicut & actuum. Vna est eorum, qui non solum in statu possibilitatis; sed etiam in statu actualitatis & exercitivo habent pro pleno, & sufficienti specificativo logicè possibile vt tale, v.g. Metaphysica, quę tàm quoad habitum, quàm quoad actus contenta est Entę vt logicè possibili contemplando ipsum. Alia datur species habitus, cuius

actus ita specificantur ab obiecto vt actuali, vt essentialitèr petant, quod si actus transitori sint de possibilibus ad actuales exercite, etiam obiecta transire debeant indispensabiliter, & essentialiter ad actualitatem exercitam. Qui actus etiam vt logicè possibiles specificantur essentialiter ab obiecto vt actuali, non exercite, sed obiectivè, & signate modo explicato, num. 162.

184 In hac ergo secunda specie habituum est distinguenda adhuc duplex specificatio. Vna semiplena & partialis, & est quasi speculativa, & per modum essentialis connexionis: sed est ad obiectum vt possibile. Alia est per modam connexion.s essentialis cum possibilitate, & simul per modum exigentiæ actualitatis: & hæc vt talis est specificatio essentialis integra & plena. Hoc pacto aqua dicit essentialem exigentiam ad frigiditatem actualem, ita vt connexio essentialis sit cum frigiditate vt logicè possibili. Exigentia verò sit ipsius vt actualis: Sed cum actualitate non dicit connexionem, quia potest esse sine illa exercite. Idem patet in materia prima connexa cum possibilitate formæ, vt est relativa ad illam, exigente verò actualitatem ipsius, sumpta vt exercitiva: idem de quavis potentia vel habitu simili vt exercitivo. Licèt igitur pro connexione habitus Fidei cum obiecto specificanda, permitti possit, quod sufficiat obiectum esse revelabile, vel possibiliter revelatum: Sed hoc non est sufficere pro specificativo absolute habitus Fidei vt diversi ab alijs habitibus: quia in eo prove sic, non est attendenda sola connexio, vel relatio speculativa transcendentaliter tenditiva, sed simul exigentia practica exercitiva, creditiva, quæ vt talis nequit esse de dicibilibus, sed de dictis vt iam dictis, saltim signate.

AR-

## ARTIC. II. & §. I.

### AN POSSIBILITER REVELATVM POSSIT esse obiectum proximum Fidei actualis?

185 NEgo cum communi Sentent. contra paucos. Et licèt satis colligatur ex dictis, vlteriùs prob. 1. Quia obiectum Fidei formale est dictum Dei, ita vt assentiamur Mysterijs, quia Deus dicit; atqui non verificatur quod dixerit ea quæ solum sunt possibiliter dicta; sicut nec quod produxerit alium mundum, licèt iste sit posibiliter productus: ergo nequit Fides actu assentiri illis. Consequentia patet, quia non possumus proximè credere obiectum materiale, nisi habeat sibi applicatum formale: dictum autem Dei non est applicatum Mysterio, si Deus adhuc non dixit. Confirmatur à paritate, quia ideò fidelitas obligat solum ad implenda actualiter promissa, non verò possibiliter promissa; quia obligat ad standum promissis; non autem censentur promissa, quæ promitti possunt, nisi actu promissa sint; atqui Fides impellit ad assentiendum dictis à Deo, nec censentur dicta quæ adhuc dicta non sunt: ergo Fides nequit actu assentiri illis.

186 Respondebis iam illa esse dicta, si non actualiter tamen posibiliter. Contra 1. Tùm quia nullos actus fidelitatis existens potest niti posibiliter promissis, eò quòd talia non sint absolutè promissa, sed cum addito, nempè posibiliter promissa. Quis enim dicit, cum qui negat alicui rem posibiliter promissam, deficere promissis, & qui facit rem non promissam, quis dicet implere promissa? Nemo sanè: ergo nec Fides actualis niti potest posibiliter dictis. Consequentia patet, quia sicut fidelitas promissis absolutè & non cum addito sumptis, ita Fides nititur dictis absolutè

sumptis. Tum etiam, quia licèt visio possibilis solum haberet pro obiecto & termino suę relationis absolutę rem possibiliter existentem, actualis non potest non habere actualiter existentem: ergo similiter Fides actualis non potest non habere Mysterium revelatũ vt actualiter revelatum.

187 Contra 2. Si possibiliter revelata possent credi Fide actuali: ergo quodcumque verum possibiliter revelatum poterit: ergo Petrum existere potest esse obiectum Fidei divinæ de facto & hodie, cum existentia Petri, eo ipso quod vera est, possibilis est quod revelatur: Æquidẽ incredibile & inauditum est, Fide divina credi posse quod Petrus existat Matriti. Nec dicas id non sequi, quia existentia Petri cum non sit proposita ab Ecclesia, non est credibilis de facto Fide divina. Contra enim: quia per vos habet obiectum materiale & formale Fidei divinæ; propositio autem Ecclesiæ est pura conditio supplebilis alia via. Si enim constet nobis de applicatione obiecti formalis ad materiale sine propositione Ecclesiæ, Fide divina possumus credere illud, vt vos dicitis de privatis revelationibus; licèt non Fide Catholica vniversali.

188 Confirm. 1. Quia qui negarẽt existentiam Petri possibiliter revelatam, non ideò esset hæreticus, licèt talis existentia habeat applicatam possibiliter talem revelationem: ergo quia non negat obiectum proximum Fidei: alter enim esset verè hæreticus, sicut hæreticus est quicumque negat Mysterium revelatum, negando præcisè obiectum materiale. Confirm. 2. Plura transierunt vel potuerunt transire decursu temporis, & de novo facta sunt de Fide. V.g. tempore Christi Domini ea quę sęculis precedentibus non erant de Fide; atqui etiam in illis erant possibiliter revelata: ergo illud non sufficit ad essendum de Fide: & vt actualiter credi possint vt de Fide.

Pro-

189 Probatur 2. nostra sententia: quia ille qui assentitur existenti e Petri, quia revelabilis, vel possibiliter revelata à Deo; assentitur omnino propter veritatem intrinsecam talis existentiæ evidenter cognitam. Patet, quia primo assentitur existentiæ, quia eam videt; postea vero assentitur possibilitati revelationis de illa, quia videt illam esse veram & scit lumine naturæ omne verum esse cognoscibile, (est enim proprietas entis veri cognoscibilitas) & esse dicibile vt est, ab ipso Deo: qui potest dicere verum quodcumque. Postea vero intellectus evidenter noscens possibilitatem huius dicti assentitur veritati dicibili propter dictum possibile Dei evidenter à posteriori: ergo assensus existentiæ Petri propter revelationem possibilem omnino fundatur, & radicatur in assensu evidenti talis existentiæ ob veritatem intrinsecam ipsius: ergo nullo pacto est Fides.

190 Confirmatur: quia omnino est incredibile, quod aliquis dicendo: *Assentior existentiæ Petri, quia mihi constat esse à Deo dicibilem, vel possibiliter dictam*: exercere actum Fidei divinæ & supernæ: aliàs sine propositione Ecclesiæ & sine vlla obscuritate in obiecto possemus de quacumque re facere hic & nunc, & vbique actus Fidei supernos & meritorios, & negando quamcumque ex his rebus, possent introduci hæreses contra Fidem, quod videtur ridiculum. Si autem ita credere est Fides divina, etiam possemus de facto quãcumque rem adorare adoratione stricta latriæ propter vnionem possibilem cum Verbo.

## § II. ARGVMENTA.

191 Obijcies 1. Iste actus: *Assentior Mysterio, quia est revelandum cras à Deo*, est Fides; atqui non est de dicto sed de dicendo: ergo iam datur actualis Fides de obiecto non dicto. Respond. distinguo maiorem; si constet nobis per revelationem

actualem & de præsenti, quod cras revelabit Deus Mysterium, concedo esse Fidem; sed ideò est, quia tunc Mysterium, & revelationem crastinam credo propter dictum hodiernum & actuale Dei; si non constet ex revelatione præsenti sed ex alio capite, nego maiorem; quia sicut quis non exercet fidelitatem hodie dando aliquid quod actu non sit ab ipso promissum, sic nec Fidem assentiendo revelationi non factæ, sed fiendæ. Insuper adde, talem assensum non posse esse certum, quia de futuritione revelationis crastinę non possumus esse certi, nisi Deus revelet se revelaturum: & sic non erit Fides superna divina, si assentiamur ex alio capite. Si tamen præcisè assentiar propter revelationem crastinam tanquam per Mysterium hodie revelatum, iste assensus non erit Fides, sed Theologia discursiva.

192 Objicies 2. Visio ocularis potest esse de obiecto non existenti in re, vt patet in visione rotæ igneæ, non existentis verè, quando funis tormentarius ignitus rotatur: ergo similiter creditio divina potest esse de dicto nõ existenti. Permisso antec. (quia posset distingui de existentia exercita, vel signata, & de existentia in partibus saltèm, exercita) nego conseq. quia Fides est essentialiter vera, & debet esse propter dictũ Dei, quod si non existeret etiam exercitè, efficeretur falsa; at illa visio ocularis potest esse falsa, & de abiecto quod verè & exercitè non sit: sicut dum videtur in aqua virga recta vt curba, quod provenit à speciebus impressis perturbatis, & alteratis in aere.

193 Objicies 3. iste actus: *Assentior existentiæ Petri, quia est possibiliter revelata*, non est actus alterius virtutis à Fide; cum nulla nitatur revelatione, nisi sola Fides: ergo est verè Fides. Nego antecedens, nam potius est scientia; hæc autem potest niti revelatione, non vt testificatione & per modum dicti, (quia hoc est proprium Fidei,) benè verò per modum medij connexi vt in præsenti. Etenim assentior existentiæ

Petri

Petri à posteriori propter revelationem possibilem, quia nequit non esse verum quod à Deo est revelabile: at possibilitati revelationis non assentior propter dictũ Dei,(si non dixerit ipsam)sed propter veritatem interiorem existentiæ Petri, quam video; & quia quidquid verum est,potest à Deo revelari. Est ergo talis assensus non Fidei,sed scientiæ.

194 Objicies 4. Ab actu nitente revelatione possibili,& ab actu nitente revelatione actuali potest præscindi ratio assensus propter divinam revelationem vt sic,sive vt præcissam à possibili & actuali: ergo illa ratio assensus vt sic erit Fides; siquidem absolutè nititur revelatione divina,& Fides definitur: *Assensus Mysterij propter divinam revelationem*: ergo si talis ratio universalis contrahatur postea per differentias illorum actuum,isti verè erunt Fidei, sicut homo & Leo sunt proprie animal, ad quos contrahitur animal vt sic.

195 Respond. 1. nego anteced. quia sola revelatio actualis, & dictum per modum dicti specificat Fidem; solum autem dictum actuale est dictum,loquendo absolutè; possibile verò non est dictum, nisi abusivè & per termini alienationem à propria significatione ad impropriam,& sic ratio illa communis non est verè communis, nec univoca in ratione nitendi revelatione, vel dicto. Resp.2. Dato antec.nego conseq.quia illa ratio sic abstracta nõ est Fides,sed est ratio communis ad Fidem & ad scientiam,& si cõtrahatur per actum nitentẽ dicto actuali est Fides, si per actum nitentem dicto possibili, est scientia vt probatum est.

196 Objicies 5.Qui negaret esse verum obiectum illud,quod Deus revelare potest, verè esset hæreticus: ergo quia posse revelari à Deo est motivum faciens de Fide. Nego consequent.quia esse verum quod Deus potest revelare, iam est Mysterium à Deo revelatum in Scriptura, & qua constat Deum ita esse veracem, vt nequeat mentiri & falsum revelare: esset ergo hæreticus,

cus, non quia opponitur obiecto possibiliter revelato, sed obiecto iam actualiter revelato. Ex dictis sequitur, quod si Fides possibilis nitatur dicto Dei actuali solum significè, & Fides actualis dicto actuali exercitè, non propterea est distincta Fides quoad essentiam, sed eadem in diversis statibus.

## ARTICVLVS III.

### *ALIQVÆ QVÆSTIONES DE OBIECTO Materiali proximo credendi.*

### §. I.

### *AN INTER OBIECTA CREDENDA SIT ALIquod quod debeat determinatè primo, & ante alia credi.*

197 RATIO dubitandi est, quia nemo potest assentiri Mysterio, v.g. Eucharistiæ quia Deus dicit, nisi prius credat Deum dixisse, & simul Deum esse veracem, & habere summam in dicendo authoritatem. Sed Respond. non esse idem quærere, an prædicta obiecta debeant primo credi, vel an debeant primo præcognosci. Vt enim quis credat, motus quia Deus dicit, fortè debent dictum & authoritas præcognosci Difficultas ergo est solum de primo credi. Prima sententia affirmat de prædictis obiectis. Ita Pater Suarez *disputat. 2. de Fide. section. 4.* & multi alij. Durandus autem *in 3. distinct. 24. quæst. 1. artic. 3.* ponit, primo omnium debere credi authoritatem Ecclesiæ infallibilitatem ab assistentia Spiritus Sancti, quia Ecclesia est quæ proponit. Secunda sententia negat dari aliquod prius determinatè credendum.

198 Assero cum ea, Dictum & authoritas Dei non debent necessario primo credi. Ita Noster Lezana.

Pro-

Probatur, quia actus erit Fidei, eo ipso quod assentiatur Eucharistiæ, quia Deus summe verax dicit; atqui potest iste assensus esse primus inter exercitia Fidei, quin dictum & authoritas fuerint prius credita per alium actum: ergo quia nullum Mysterium est determinatè prius credendum. Minor probatur. Si vir magnæ authoritatis proponat Christiano docili qui antea non exercuerat Fidem, quod Deus dixerit, se esse in Eucharistia, potest assentiri iste quia Deus dixit, & incipere Fidem ab hoc actu. Item potest audiens formare apprehensionem supernam revelationis, & voluntas dirigi ex ista apprehensione ad imperandum promptè assensum Eucharistiæ quia Deus dixit: & idem de quolibet alio Mysterio: ergo quia nullum datur prius determinatè credendum. Solum ergo dictum & authoritas sunt quid prius respectu huius assensus noscenda, prioritate virtuali; quia sunt ratio motiva, quin tamè formaliter credantur prius.

199 Vndè contingere potest, quod Dei authoritas sit præcognita evidenter naturaliter, & revelatio Eucharistiæ Fide humana, quia nempè Parochus vel alter vir magnæ authoritatis, vel humana Ecclesiæ authoritas dixerit. Vndè Cobijcias cum adversarijs. Vt assentiamur dictis viri magnæ authoritatis debet in illo ista magna authoritas prænosci: ergo similiter vt assentiamur dictis Dei. Distinguo consequent. actu qui sit Fides divina, nego; alio actu, regulariter loquendo concedo.

200 Etenim regularitèr, licèt aliquando possit intellectus eodem actu noscere & assentiri verique simul, nempè Eucharistiæ propter divinam revelationem, regulariter tamen præcedere solet præcognitio saltèm naturalis: in quo differt intellectus à voluntate, quæ per primum actum potest simul efficaciter velle finem, v. g. salutem & media. Ratio autem est, quia voluntas non habet sibi inquirere & præparare obiecta, sed ab intellectu præparata & proposita accipit, & sic quando

iam

Iam suos præparata, potest vno affectu efficaci in illa ferri: intellectus verò sibi debet inquirere obiecta, & sic procedit paulatim, modo inveniendo vnum, modo aliud, (licèt possit aliquando ferri in illa vno assensu.) Intellectus enim est sicut Villicus ad quem spectat providere de cibis, & hoc præstat per multos actus, & passus; at voluntas est sicut Domina, cuius est sedere ad mensam, & vnico ductu potest comedere, quæ Villicus per multos præparavit.

201 Ex his sequitur 2. contra Durand. nec debere præire semper Fidem de infallibili Ecclesiæ Authoritate determinate. Probatur, quia cum talis Ecclesiæ Authoritas solum requiratur vt proponat Mysterium revelatum, & tanquam conditio applicans, sine ipsa salvatur in quovis alio Mysterio revelato, obiectum materiale & formale specificativum Fidei. Vndè supplente alio talem propositionem, potest Fides se exercere circa obiectum revelatum, vt quando Parochus proponit Mysteria revelata pueris, docendo esse à Deo dicta quin illis loquatur de Ecclesiæ Authoritate; & ideò pueri per aliquod tempus possunt credere Mysteria, quin Ecclesiæ Authoritatem infallibilem cognoscant.

202 Nec obest ex Durand. quod Mysteria credi, pendet necessario ab eo quod contineantur in Scriptura, vel traditione: quæ quoad Authoritatem & quoad contineri, solum innotescunt nobis per infallibilem Ecclesiæ propositionem. Respond. enim, id verum esse ex parte rei & obligationis vt credantur; ex parte autem nostri modi procedendi, bene possunt Mysteria credi absque notitia clara Scripturæ, vel traditionis, vel propositionis infallibilis Ecclesiæ, quas sæpè rustici non noscunt expresè, dummodo concipiatur, Deum dixisse talia Mysteria, proponente ea Parocho vt à Deo dicta, (vel Propheta vt contigebat in populo Israel, vel alio Doctore, præcipuè si miraculis confirmaret.) Sicut ergo si nullibi, nisi in vno flumine reperiatur aqua,

quam

quam bibiturus est ægrotus, necesse est vt extrahatur vere & in re à tali flumine, si est bibiturus eam; non tamen est necesse, quod de tali extractione à tali flumine ægroto fiat mentio expressa. Similitèr nec in nostro casu de extractione dicti Dei ex Scriptura, vel Ecclesia. Sed sufficit propositio à Parocho, vel Doctore. Respond. 2. Fortè sufficere ad persuadendum, Ecclesiæ humanam authoritatem prænosci; vel si divinam, prænosci cognitione naturali, quæ non sit Fides, vt cõtingit in infidelibus, dum incipiunt Cathechizari à Ministris Catholicis.

203 Infero ad creditionem divinam præroquiri regulariter cognitionem existentiæ Dei: nequit enim concipi quod loquatur, nisi concipiendo quod existat. Non tamen est necesse, quod existentia Dei sic determinate primo credenda, cum sufficiat quod sit præcognita cognitione naturali, (vel fortè sufficit cognita eodem actu) & sic potest Eucharistia, vel quodlibet aliud Mysterium esse primo creditum.

## §. II.

## *AN MATERIA FIDEI CREVERIT CVRSV temporis:*

204 ECclesia habuit triplicem statum. Primum ab Adamo & Eva vsque ad Abraham, vel Moysem. Secundum, Legis scriptæ ex tunc vsque ad Christum. Tertium, Legis Gratiæ à Christo vsque ad finem mundi. Nota duplicem esse Fidem; aliam explicitam, aliam implicitam. Explicita est illa, quæ attingit Mysterium per terminos distinguentes illud: Explicare enim idem est, ac rem aliàs involutam & quasi cum alijs plicatam, evoluere, sive per terminos distinctivos declarare, vt v.g. Christus est in Eucharistia. Implicita est duplex. Vna in præparatione animi, quando quis credit vnum Mysterium propositum ab Ecclesia quia

Deus

Deus dicit; paratus credere quidquid sufficienter proponatur ab Ecclesia vt à Deo dictum. Hanc Fidem habuit Adamus, & fideles legis naturæ & scripturæ, de omnibus Mysterijs quæcumque Deus postea revelavit:

205 Alia autem est implicita formalis, quia in confuso & in involuto credit omnibus Mysterijs revelatis, sicut assensus iste: *Credo quidquid Sancta Ecclesia Catholica proponit vt à Deo dictum.* Cum quo actu incompatibile est discredere alicui Mysterio revelato, si sufficienter constet vt tale proponi ab Ecclesia. Implicite autem contentum, dupliciter continetur in explicito. Primo, per se, & indispensabilitèr adhùc divinitus, v.g. substantia in homine. Secundo, per accidens & conditionatè, sicut iudicium finale in crediris ab Ecclesia, quia sicut de per accidens est revelatum, ita & de per accidens, atque ex suppositione creditum.

206 Quantum attinet ad Fidem implicitam, an eius materia creverit? Sententia est D. Thomæ 2. 2. *quæst.*1. *artic* 7. in Ecclesia non crevisse, Tota enim materia revelata continetur in duobus articulis, iuxta illud Apostol. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est; & quia inquirentibus se remunerator est;* qui articuli ab initio Ecclesiæ vsque nunc ab omni fideli credi debuerunt, (sed an necessitate medij & quomodo? Infra de necessitate Fidei,) In primis Verbis de Deo, *quia est* physicè sumptis implicitè continetur totũ esse Dei constituens Deum in esse suo pleno & perfecto, ac per consequens talis articulus claudit omne increatum & divinum, etiam Trinitatem implicite, quia omnia hæc sunt de esse perfecto & pleno Dei. Trinitas enim importat fœcunditatis perfectionem, & sine illa Deus, licèt possit concipi vt Deus, non tamen perfectè & physicè. Vndè, si esse Dei evoluatur de implicito ad explicitum benè penetratum, fœcunditas Trinitatis invenietur.

Alius

207 Alius autem articulus explicatus per illa verba: *Inquirentibus se, remunerator est*, includit omnia quæcumque alia extra Deum revelata sunt, quia in inquirere Deum & in Deo vt remunerator est, includuntur omnia suæ providentiæ media ad inquirendum & remunerandum, qualia sunt Incarnatio, Redemptio, & quæcumque alia extra Deum producta sunt.

208 Nec obest 1. contra primam partem, quod potest quis assentiri existentiæ Dei, & simul Trinitatem negare: ergo ista non erat credita & assentita per primum actum. Distinguo enim consequens: non erat assentita explicitè, concedo; implicitè, nego. Sicut enim videns hominem à longè, eo ipso videt animal rationale confuse, & tamen potest negare clare quod sit rationale & homo; ita & potest quis negare Trinitatem, licèt implicitè eam cognoverit per assensum de esse perfecto Dei. Vndè, qui solum credebat Deum vt vnum, quia solum hoc pacto erat illi propositus ab Ecclesia, si negaret Trinum, quem implicitè iam crediderat, non esset hæreticus.

209 Nec obest 2. Visio beata non continetur in remuneratore implicitè in illo Articulo: ergo. Antec. patet, quia sine illis poterat Deus remunerare alia via. Consequent. autem probatur; ideo in homine, v.g. includitur implicitè conceptus substantiæ, (licèt non ita clare vt non possit à Rustico negari,) quia non potest reperiri, quin in suo constitutivo includat substantiam; atqui remunerator reperiri potest sine visione & pœna: ergo non includit illas implicitè. Respond. aliud esse loqui de Remuneratore ex natura rei, quo pacto concederem totum; aliud de Remuneratore vt de facto est & iuxta præsentem providentiam: quo pacto omnia quæcumque decrevit futura, continentur in Remuneratore prout de præsenti, & vt sic non potest esse sine illis, & nihil deest, vt ibi reperiantur explicitè, sicut

cue substantia in homine, nisi quod ab Ecclesia proponantur.

210 Hæc ergo Fides implicita de omnibus, fuit ab initio in triplici illa Ecclesia, & materia in his Articulis contenta ex parte materiæ non crevit, dum paulatim fuit explicite revelata. Prima pars patet, quia tales Articuli in sententia communiori sunt credendi de necessitate medij, & Deus in necessarijs numquam deficit suæ Ecclesiæ. Secunda pars patet, quia Deus de cursu temporis nihil amplius Ecclesiæ suæ revelavit explicite, nisi materiam illam de Deo vel extra Deum, in illis verbis, & revelatione contentam implicitè. Adverte tamen, quod Mysteria implicite contenta in illis quoad suas speciales differentias, solum erat materia remota respectu Fidei explicitę venturæ; quia nondum erant explicitè actu revelata, & id deficiebat ad creditionem explicitam.

211 Quoad explicitum Fidei in specie, certum est crevisse Fidem Catholicam vsque ad tempora Christi, & Apostolorum, sed non postea. Prima pars probatur, quia plurima Mysteria revelaverunt Apostolis Christus, & Spiritus Sanctus, quæ explicitè nõ cognoverunt Adamus & Eva, v.g. ante lapsum. Licèt enim cognoverint Christum venturum iuxta Divum Thomam, sed non vt Redemptorem ab originali. Insuper Exodi 3. *Dixit Dominus ad Moysem: ego sum qui apparui Abraham, Isac; & Iacob in Deo Omnipotenti, & nomen meum Adonai, non manifestavi eis.* Insuper, quia in veteri lege, saltim communiter apud populum deficiebat expressa notitia Mysterij Trinitatis, (licèt esset apud Prophetas, & valde peritos) & plurium aliorum Mysteriorum de Christo.

212 Nec obest: omnia vel ferè omnia Mysteria, quæ explicitè creduntur in Ecclesia, etiam valde recondita, fuisse præfigurata per figuras Veteris Testamenti. Respondetur enim, non esse idem fuisse figurata; & fuisse revelata, atque intellecta & proposita vt crede

tentur Fide Catholica. Ad 1. enim sufficit proponi enigmaticè & obscurè atque sine explicatione: Secus ad 2: ad quod requiritur propositio distinctiva & expressa Mysterij credendi; imò ita proposita, vt credi deberet ab omnibus. Hoc enim sonat Fides Catholica, id est vniversalis atque pro toto populo.

213 Secunda pars probatur: quia licèt post Apostolos factæ fuerint à Deo singulis sæculis posterioribus diversæ revelationes, istæ tamen sunt revelationes privatæ, quæ non deserviunt pro Fide Catholica & vniversali & pro materia credenda ab omnibus, ita proponente Ecclesia. Etenim Ecclesia istas non proponit tanquam de Fide credendas, etiam dum approbat revelationes Sanctę Brigitę, v.g. & similes; talis enim approbatio est declaratio quædam permisiva vel declarativa, quod non contineant aliquod absurdum & improbabile, sed sanam doctrinam, id est solidam & probabilem: & sic Pontifex approbavit opera Sancti Chrysostomi, Angelici Doctoris, & N. Thomæ Vbaldensis, & similia. Hoc autem non est facere illas de Fide, sed approbare probabilitatem, quam pro tunc habent. Ecclesia autem post Apostolos, vt aliquid proponat tanquam de Fide, semper recurrit ad Revelationes, quæ continentur in Scriptura, vel in Verbo Dei non scripto, quod est traditio divina facta vsque ad tempora Apostolorum.

214 Nec obest iterum: de Fide esse, quod Clemens X. sit verus Pontifex, & quod Sanctus Franciscus sit salvatus; sed neutrum continetur in Scriptura, vel traditione divina, sed est multis sæculis post Apostolos: ergo Fides explicita crevit post Apostolos. Respond. negando crevisse. Etenim in propositione de Fide & est propositio, & est subiectum. Propositio, quæ est Mysterium Fidei, iam continetur in Scriptura, v.g. *Omnis Successor Divi Petri adoratus ab Ecclesia, vt talis est verus Pontifex: Omnis Iustus decedens sine culpa, & pœna est salvatus.* Ecclesia ergo solum declarat in

sub-

subiecto universali continueri Clementem Decimum, & Sanctum Franciscum: sicut qui declarat me esse hominem in ordine ad Redemptionem, non declarat novum Mysterium, sed continentiam mei in propositione universali omnis hominis redempti à Christo.

215 Sic, non obstante, quod Rex per novum decretum suum designaverit Petrum, v.g. in Iudicem, iuxta Leges huius Regni, verè dicitur quod in hoc Regno à tempore vltimorum commitiorum vsque nunc, non est condita nova ordinatio, Lex, aut novum Statutum, quia dedisse Petro Officium Iudicis, eumque Iudicem per tale Privilegium declarasse, potius est executio antiquæ Legis in novo subiecto, quam Legis novæ editio, aut conditio. In Clemente ergo Decimo, non est conditus novus Articulus, sed antiquus declaratus. Vel clarius dic, Mysteria credenda non crevisse in specie, sed in individuo materialiter factam esse extensivam declarationem eorum singularium, in quibus Articulus ille specificus adimpletus est atque in executione continuatus est.

216 Ex his sequitur 1. Omnia Mysteria nunc credita & credenda ab Ecclesia, iam fuisse nota Apostolis, ex Ioan 16. *Cum veniret ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatē.* ¶ An autē omnes istę cognitę fuerint expresè à Prophetis Sapiēntissimis Veteris Testamenti? Credibilius est plurimas esse cognitas de Trinitate, Incarnatione, Virgine, & Ecclesia, sed forte à nullo omnes, & forte nec ab omnibus simùl, licèt plurimæ & fortè omnes, fuerint prophetatę, aliquæ ab vno & aliquæ ab alio. Sed Ecclesia, quæ tunc erat vt Luna, tempore Christi resplendit vt Sol crescendo quoad lucem & explicationem. Hinc sequitur, fortè quoad notitiam explicatam decrevisse quoad proponi omnibus, post Apostolos in aliquibus, quæ non erant ita necessaria: V.g. quod Liber Hester fuerit Canonicus hodie est notum nobis, & tunc Apostolis, & post ipsos fuit dubium

bium in Ecclesia. Idem existimandum de Mysterio Virgineæ Conceptionis.

217 Sequitur insuper inter credenda, quædam esse necessaria necessitate medij, & ista pro suo tempore semper fuisse expressè nota in Ecclesia, quia Deus in necessarijs non deficit. Alia necessitate solum præcepti, inter quę aliqua sunt diguiora, & alia minus digna, ideòque à multis ignorata, etiam si sint expressa in Scriptura: & sufficit si sint implicitè credita, non quidem Fide illa implicita, quæ datur de illis prædicatis, vel partibus essentialibus absolutè inclusis à rebus expressè creditis, vt spiritualitate animæ absolutè & essentialiter inclusa in Christo; sed Fide illa implicita, quæ datur de conditionate inclusis; v. g. dum credo quidquid Ecclesia credit, vel dum credo prædicationem Eliæ, & Enoch, in remuneratione per media suæ providentiæ illam credo, si sit medium, & si teneatur ab Ecclesia; secùs si non. Vndè etiam si implicitè credatur, tam est dictum supra ab ignorante propositionem Ecclesiæ negari, compatibile esse.

## ARTICVLVS IV.

### *AN MATERIA FIDEI BENE DISPONATVR in Symbolo?*

218 SYmbolum in Ecclesia est triplex, nempè Apostolorum, Nicenum, & D. Athanasij. Primũ, est compositum ab Apostolis ad erudiendum breviter, & vniformiter populum Christianum in præcipuis Fidei Mysterijs. Vocantur Articuli Fidei illę quasi partes & credibilia præcipua, atque inter se distincta sicut articuli digitorum. Est autem compositum ab omnibus, singulis contribuentibus articulos singulos, & propterea vocatur *Symbolum*, quod est idem ac contributio. Vel vocatur *Symbolum* iuxta alios, quia *Symbolum* iunas:

ſouat ſignum;& eſt verè ſignum per quod fideles diſcriminamur ab infidelibus. Hoc Symbolum non eſt omnino illud, quod cantatur in Miſſa: ſed eſt illud quod in Officio divino recitatur ante Matutinum & Primam,& poſt Completorium.

219 2. Symbolum eſt Nicenum,& eſt quod cantatur in Miſſa. Vocatur autem ſic, quia eſt compoſitum in Concilio Niceno. Addit aliqua ſpecialia ſupra Symbolum Apoſtolorum. Fueruntque illi additæ poſtea in Concilio primo Conſtantinopolitano, illæ duæ clauſulæ: *Et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit*;& illa alia clauſula: *Confiteor vnum baptiſma*: quæ propter controverſias fortiſsimas cum hæreticis additæ fuerunt ab Eccleſia in tali Concil. vt Catholici magis eas ex continua auditione haberent impreſſas. 3. Symbolum eſt Athanaſij, quod incipit: *Quicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia, &c.* & eſt illud, quod recitatur in Dominicis intra Primam. Circa quæ nota Symbolum Apoſtolorum habere authoritatem divinam, quia licèt non ſit formalitèr Scriptura Sacra, eſt æquivalentèr. Nititur enim divina traditione, ſive eſt Verbum Dei non ſcriptum; prolatum tamen ab Spiritu Sancto aſſiſtente & præſente, atque loquēte, per Apoſtolos. Alia verò Symbola, licèt ratione materiæ in illis contentæ etiam habeant divinam Authoritatem, quia ſunt Myſteria Fidei, tamen ratione compoſitionis ſolum habent Authoritatem infallibilem Concilij & Eccleſiæ; quia ſecundum, Eccleſia compoſuit, & tertium Athanaſij admiſit, & approbavit materiam vt de Fide.

220 Ad quæſtionem ergo reſpond. cum D. Thoma, & communi Theologorum, rectè eſſe diſpoſitam materiam neceſſariam Fidei in Symbolis iſtis. Etenim in quolibet continentur præcipui, nobiliſsimi, & difficiliſsimi Articuli Fidei ſpeculativi de Deo Vno & Trino, & de Chriſto, de Creatore, Redemptore, Sanctificatore, & quæ circa hæc continent ſpecialem difficultatem ſcitu

di-

dignam & necessariam vt credatur propter credere: ergo continetur in illis summa principalis & necessaria Fidei. Vadè per Symbolum facile docentur fideles necessariam Fidei summam, quàm aliàs difficultèr adquirerent, cum sit in tota Scriptura dispersa. Alij autem Articuli qui videntur principales præter hos, sunt practici & magis credendi propter operari quam propter credi præcisè, sive quàm propter obligationem Fidei. Vadè ne nimium Symbolum crescerer, non fuerunt in illo positi, sed relicti vt vsu adquirerentur, vel per Decalogi præcepta, vel alia via; dempto Baptismate propter magnam cum hæreticis controversiam, & medij necessitatem, vtpote ianua Fidei: & idem de remissione peccatorum.

221 Nec obest 1. In Symbolo non exprimi Sapientiam & Providentiam Dei, sicut Omnipotentia: ergo deficit aliquid. Nego antecedens: quia intellecto Deo, eo ipso intelligitur sapiens & providus, & præcipuè intellecta Omnipotentia Dei, qui vt non debeat operari cœco modo, debeatque operari propter finem, eo ipso operatur ex directione Scientiæ & Providentiæ, quæ etiam prima facie cuivis se offerunt in Deo.

222 Nec 2. Circa Personam Patris poni pauciores Articulos, quàm circa alias duas; cum tamen non sit minor illis. Concedo: sed circa alias duas occurrunt plura credenda ex necessitate quam circa Patrem, cum iste non fuerit missus ad sanctificandas creaturas sicut illæ. Et si dicas eandem esse notitiam Patris & Filij iuxta illud: *Qui videt me, videt & Patrem*: ergo de Patre non erat necessarius vllus Articulus. Nego consequens. quia quidam hæretici cōfundebant Personas in vnam. Alij verò faciebant creaturā Verbum vt Arrius, & Macedonius Spiritum Sanctum: ideò debuerunt exprimi in diversis Articulis.

223 Nec 3. obest, non exprimi Sacram Eucharistiā, quæ est Maximum Mysterium, & valde oppugnatum ab

hæreticis. Responderi solet contineri in illo Articulo; *Sanctam Ecclesiam*, quæ quidem sanctificatur & munitur Sacramentis, & præcipuè Eucharistia, tanquam omnium fonte. Hæc est communis solutio, sed P. Bernal *Tom. de Sacrament.* acriter docet contineri expressè Eucharistiam in Articulo *Communionis Sanctorum.*

224 At P. Gaspar Hurtad. docet Eucharistiam non cõtineri specialiter in Symbolo, nec esse necesse; quia in Symbolo Apostolorum ponuntur Articuli credendi ex obligatione ipsa & præcepto Fidei, atque ob Fidei perfectionem. Eucharistia autem credi debet de Fide, sed non tam ex obligatione Fidei, quam ex virtute Religionis præcipiente, vt nempè credita substantiali præsentia Christi in illa, rectè & debitè summatur. Dicamus alijs verbis: *Eucharistia non tã pertinet ad credere propter credere, quam propter operari, sivè propter summere*; non autem est posita in Symbolis, sicut Baptismus quod etiam est propter summere, quia fortè tunc de Eucharistia non erat controversia valde acris, vel saltim non erat necessitas medij, sicut Baptismus.

225 Nota in fine, in Symbolo Niceno, licèt sint quædam addita ad maiorem explicationem, (substantia enim eadem est cum Symbolo Apostolorum;) aliqua tamen esse de isto omissa; v.g. *Sanctorum communionem, & remissionem peccatorum*, absolutè prolatam, remanentes implicitè in Niceno, sed præcipuè omissus est ille Articulus: *Descendit ad inferos.* Ratio autem fuit ex D. Thoma, & alijs; quia PP. Niceni totam posuerunt curam in exprimendis & declarandis illis in quibus magna erat tunc controversia cum Arrio, Macedonio, & alijs Hæreticis. Nulla autem erat Quæstio de descensu ad inferos: & ob vi[illegible]dam longitudinem omissa sunt.

QVÆSTIO

# QVÆSTIO IV.

## DE DIVINA AVTHORITATE.

### ARTICVLVS I.

### AN DEVS POSSIT MENTIRI PER SE, VEL *per alium?*

226 IN quo ſtet divina Authoritas, dictum eſt ſupra; erit autem tanto maior ipſa, quanto amendatio ſit remotior. Nota autem 1. mentiri eſſe *contra mentem ire.* In nobis ergo non eſt idem falſum dicere, & mentiri; eſſet tamen idem in Deo. Prima pars patet, quia qui dicit falſum, exiſtimans eſſe verum, non facit contra mentem: affirmans autem verum in re, quod tamen exiſtimat falſum, eo ipſo it contra mentem & mentitur. Secunda pars patet, quia cum Deus omnia ſciat, eo ipſo quod affirmaret quod non ita eſt, iret contra mentem & mentiretur. Hęc ſecunda pars eſt contra Olcot.

227 Iſte enim Author, teſte Petro Hurtado *diſput.* 28. *quæſt.* 2. docuit, mentiri non eſſe quamcumque locutionem contra mentem, ſed prohibitam & peccaminoſſam. Vndè, ſi Deus teſtaretur falſum, non peccaret, quia non habet prohibitionem; ideòque non mentiretur. Sed fallitur iſte Author. Tùm quia ex Auguſtino *in Enchiridion, cap.* 18. ex D. Thoma, & Theologis communiter, mentiri ſtat præciſè in ire contra mentem. Tùm quia in Deo teſtari falſum, non poſſet non eſſe malum & peccaminoſſum, vt iam probabo: ac per conſequens lege naturali prohibitum: ergo eſſet mendacium.

228 Noto 2. Dicere falſum eſſe intrinſecè malum ex ſe, & non intrinſecè à ſola prohibitione, ac per con-

sequens ex se dedeceret Deum. Hoc est certissimum apud Authores. Tùm quia Innocent. III. super *eo de Vsuris*, ait non esse licitum, etiam propter vitam defendendam. Tùm quia lumine naturæ constat esse dissonum rationi loqui contra mentem, & scienter decipere; cum talis locutio apud cordatos destruat honorem loquentis & infamet illum, & in audiente destruat Fidem, sive creditionem, in Republica communicationem & consortium, quod valdè pendet ex eo quod vnus fidat alteri; nam impossibile est omnia vidisse. Tùm denique, quia si per impossibile in hominibus liceret mēdatium pro vitando periculo; numquam tamen in Deo, qui nulli subditur periculo. His positis.

229 Dico 1. Deum per se ipsum, nec de facto mentitum esse, nec posse de potentia absoluta. Prima pars est de Fide cōtra Priscilianistas posita in multis Scripturæ locis. Patet ex Numer. 19. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur.* Et etiam Actor. 1. per antonomasiam vocatur, *Deus qui non mentitur.* Et sæpè alibi vocatur verax, & ipsa Veritas. Si dicas hæc loca significare non mentiri peccando. Contra: Tùm quia absolutè locuntur. Tùm quia, si solum negant mendatium peccaminosum: ergo in illis non laudatur veracitas Dei, sed impeccabilitas, quod est contra sensum eorum. Tùm quia eximia Virtus non solum fugit peccata, sed etiam actiones aliquo modo sibi contrarias etiam permissas; vt v.g. humilitas honores licitos: ergo veracitas divina fugiet locutiones falsas, etiam si non sint peccata.

230 Secunda pars etiam est contra Olcot, Aliacensem, & paucos alios. Est tamen certa; & opposita saltim temeraria. Probatur ex Paulo ad Hæbr. 6. qui loquens de iuramento addito à Deo promissioni Abrahæ factæ, inquit: *Abundantius Deus volens ostendere immobilitatem Consilij sui, interposuit ius iurandum, vt per duas res immobiles, quibus est impossibile mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus,*

upna

*teamus, qui confugimus ad tenendam propositam Spem.* Vbi Paulus iuramentum & promissionem vocat duas res immobiles, quibus impossibile est Deum mentiri. Vnde ex ea immobilitate & incompossibilitate deduxit solatium nostrum super promissis eius, esse fortissimum: non autem esset tale, nec in spe, nec in Fide, si divinitus possit mentiri & nos fallere, quia quod Deus divinitus potest, verè imò & facilè potest.

231 Confirmatur 1. Quia alias nulla esset obligatio credendi firmissimè Mysteria Fidei, præcipuè quæ apparent contra lumen naturale, v.g. Trinitatem. Posset enim hæreticus respondere, non esse certum quod Deus in illo non sit mentitus, si potest. Si autem replicetur ei, Deum asseverare se numquam esse mentitum. Respondebit hæreticus, non constare certo quod hęc ipsa asseveratio non sit mendatium. Confirmatur 2. Quia mendatium vt tale est moraliter malum intrinsecè, & essentialiter: ergo non est denudabile à malitia: ergo neque est componibile cum divina Authoritate.

232 Dico 2. Nec per alium potest Deus mentiri, ita vt illa locutio sit Dei, & sit mendax. Est certum. Probatur, quia omne mendatium vt tale est difforme menti loquentis: ergo essentialiter malum: ergo dum Deus loquitur per Ministrum, talis locutio esset mala intrinsecè, quia opposita menti Dei, vel quia opposita menti Ministri; & sic Deus esset causa moralis mendatij & deceptionis per locutionem formaliter suam; qua mediante loqueretur ipse per Ministrum, quod apertè dedecet veracitatem, vel sanctitatē Dei. ¶ Dixi, quando locutio Ministri est contra mentem Ministri, quia non intendo modo resolvere, an quando Minister falsum reputat pro vero, possit Deus inducere illum vt loquatur iuxta propriam mentem: sicut dici solet de inducente ad iurandum. Mihi certum est, quod non possit imperare, aut inducere Deus, vt loquatur falsum pro vero, nomine Dei.

233 Objicies 1. Deum in Scriptura sæpè mentitum esse, & afferri posse varios textus: ergo potest mentiri. Nego antecedēs. Eventus autem, qui afferri possunt, non sunt mendacia, sed Mysteria abscondita; & plura quæ videntur contrariari inter se, non sunt contraria; eorum tamen cōcordia & interpretatio peti debet à Sacræ Scripturę Interpretibus in suis locis. Etenim tàm multa sunt quę apparenter contrariantur, vt egeant speciali Tractatu, si sigillatim componenda sunt.

234 Objicies 2. Deum in Scriptura fecisse plures promissiones & comminationes, quæ non evenerunt: ergo erant contra mentem, & scientiam suam tales eventus. Nego consequentiam, quia illæ conditionatę fuerunt, & non fuit adimpleta conditio.

235 Objicies 3. Deum decepisse aliquos in Scriptura per se, & per alios: ergo. Etenim Ezech. 14. dicitur: *Ego Dominus decepi Prophetam illum.* Idem 3 Reg. 22. *Dixit Deus: quis decipiet Acab.* Et dum Angelus malus se offerret, inquit Dominus: *Egredere & fac ita.* Tandem Hæbręi ex Consilio Dei petierunt ab Ægyptij divitias suas commodatas; & deceperunt eos, quia non erat intentio illas reddendi, sed contraria. Respondetur in his & similibus, Deum se habuisse purè permittendo. Sensus enim est: Ego ita dispono res in peccatorum pœnam, vt permittam deceptionem. In Textu autem de Acab sensus est: Si *est qui decipiat Acab, ego non impediam.* Et dum dicit, *fac ita*, sensus est: *Quantum est ex parte mea, permitto te eas.*

236 Etenim sæpè in Scriptura iuxta morem Hæbreorum, permissio explicatur Verbis Consilij aut causalitatis. Sic dicitur, quod Deus induravit Pharaonem, quod explicuit Augustin. sic: *Induravit illum, non Dei potentia, sed Dei patientia.* Item Christus dixit ad Iudam: *Quod facturus es, fac citius*; id est quantum est ex parte mea, citiùs facere potes. Hębręi accepe-

runt divitias ab Ægyptijs & licitè retinuerunt, vel in compensationem iniustę servitutis, vel ob ius acceptum à Deo super illas; nō autem deceperunt Ægyptios (licèt isti decepti sint) vel quia petendo vsi fuerunt Verbis amphibologicis, vel quia si petierunt mutuo, & non reddiderunt, habebant reddendi intentionem sub conditione quod tenerentur.

237 Obijcies 4. Mendatium potest esse licitum, (sicut homicidium est licitum si fiat in defensionem vitę, vel si fiat à Iudice) ergo etiam poterit mendatium dici à Deo. Confirmatur, quia potest à Deo pręcipi mendatium. Si nempè quis invincibiliter existimet esse licitum, esseque medium vnicum ad defendendam vitam proximi, quam hic & nunc tenetur defendere: ergo etiam potest à Deo fieri. Resp. negando anteced. quia mendatium ita est essentialitèr malum, vt in visceribus essentię imbibat malitiam; homicidium verò licèt sit generalitèr malum, sed non essentialiter: est enim ex se denudabile à malitia vt constat in exemplis adductis.

238 Ad confirmat. distinguo antec. mendatium absolutè potest à Deo pręcipi, nego; indirectè & ex suppositione quod involvatur tenebris ignorantię invincibilis, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio est, quia mendatiū & quodlibet aliud obiectum non specificat actum voluntatis prout est, sed prout apprehenditur; nec enim habet malitiam, nisi formaliter aut interpretativè apprehendatur vt malum. Cum autem apprehenditur vt bonum & vt obligatorium, omnino denudatur malitia quoad apprehendi, ac per consequens quoad specificare: tunc autem mendatium non apprehenditur vt est, sed vt quidpiam aliud quod non est. Potius ergo apprehēditur ibi tunc medium necessarium defensionis vitę, (mendatio quasi materialiter se habente). Ex quibus patent duo. Primum est tunc Deum solum pręcipere, quod homo operetur iuxta dictamen suę obligationis; non autem pręcipit Deus, quod men-

gia-

tiatur. Secundum est, loqui contra mentem non esse denudabile à malitia volita in sciente & volente, atque naturam mendaci cognoscente.

239 Objicies 5. Deus potest mori per naturam assumptam: ergo & mentiri. Nego consequentiam: quia in illa non moreretur Deus in sua natura, & in isto peccaret in sua natura, quia esset causa per suos actus divinos & intrinsecos, rei essentialitèr malæ: nempè per influxum, consilium, cooperationem, vel culpabilem incuriam. Cum autem malitia moralis & falsitas sint malum immediatè oppositum naturæ intellectuali ut tali, avertantque à Deo summa Veritate & Bonitate, nequeunt adhuc in alio ab ipsius voluntate amplecti; secùs mors physica. Undè si aliquando in Scriptura Patriarchæ vel Prophetæ, per quos solebat loqui Deus, videntur fuisse mentiti; vel locutiones illæ non fuerunt mendacia sed amphibologia, vel non fuerunt à Deo, sed ab ipsis; Deo postea ex illo malo deducente multa bona.

240 Quæres, an Deus possit uti verbis amphibologicis, sive ambiguis? Hæc quæstio pendet ab illa, an & quomodo licita sit amphibologia? Hæc autem est duplex. Una est quando verba, vel ex se, vel ex consuetudine, vel ex aliqua circunstantia, sive signis externis conducentibus ad intelligentiam externæ locutionis, potest habere multas significationes, & in aliquibus est vera: quod si audiens non intelligat ea in vera significatione, tamen potuisset si curasset attendere. Alia est, quando secundum omne externum quod importat talis locutio, determinata est ad vnam significationem, tamen per actum mentalē extenditur ad aliam; vt si quis ore proferat: *Hac nocte non dormivi*, & purè mentaliter addat: *Vt tibi dicam*. Prima locutione vsus est Deus in Sacra Scriptura. V. g. dum dixit, se nescire diem Iudicij; quod ex circunstantia personæ Christi, (de quo omnia scire notum erat iam Apostolis,) facilè poterant intelligere, quod nesciebat vt diceret.

Si

Si quis autem has summas in sensu falso imputet suæ incuriæ.

241 Secunda amphibologia dedecet verè Deum, imò & nos: Assertio est contra aliquos. Probatur tamen: quia externa locutio secundum totum externum quod claudit inspecta, est contra mentem: ergo est mendacium; non enim fit vna locutio externa ex toto externo & interno. Vndè, si in Scriptura referantur aliqua dicta Dei, quæ his similia videantur; verè similia non sunt, quia significatio externa non est restricta ad veritatem per solam mentem, sed per externam circunstantiam completur in ratione locutionis, vt in dicto Christi iam adducto circa scientiam diei Iudicij.

## ARTICVLVS II. & §.I.

### *AN DEVS POSSIT FACERE VERA MIRACVla in confirmationem falsæ doctrinæ.*

242 VEra miracula à solo Deo fiunt principaliter; instrumentaliter verò à creatura. Duplicitèr possunt à Deo fieri. Primo in occasione in qua sint confirmatio doctrinæ. 2. Ob alios fines & quando solum sunt beneficia facta nobis sive ex fine liberalitatis, sive Gloriæ suæ absque attentione ad doctrinam, in quo casu non sunt locutiones Dei.

243 Deum non posse facere miracula intendendo per illa decipere, constabit ex dicendis. Vndè potiùs nec poterit, intendendo per ea confirmare falsam doctrinam. Difficultas est, an quando homo profert propositionem falsam, intendiqué persuadere esse veram, possit Deus in eo tunc, (intendens diversum finem) facere miracula deservientia hic & nunc ad persuadendam talem doctrinam intentam ab homine?

244 Triplex est sententia. Prima, absolutè affirmat. Tribuitur Durando, & alijs, & sequitur eam Pat. Oxea

de Fide, disputat:4.sect.4.à num.81.cum Patre Petro Hurtado. Secunda, absolutè negat. Tribuitur Scoto, & est communis. Tertia distinguit, atque posse fieri à Deo; si tamen inspectis circumstantiis illa miracula non reddant doctrinam sua suasione evidenter moraliter credibilem; secùs si talem reddant. Ita Granado, & alij. Distinguunt aliter alij, aiuntque quod quando doctrina falsa proponitur ab homine nomine proprio, & non nomine Dei, Deus potest facere miracula; secùs, si nomine Dei proponatur. Tandem tertio, alij distinguunt inter miracula ipsa: aiuntque illa miracula quæ sunt locutiones, v.g. dum mutus vel infans miraculosè loquitur, non posse fieri à Deo tùnc; posse verò si non sint miracula linguæ, sed alia, v. g. resurrectio mortui.

245 Nota 1. Miracula dupliciter posse summi. Primo, secundum suas entitates supernas, vel in alio ordine rerum. Secundo, quatenùs ex divina voluntate sunt de facto instituta in locutiones Dei, sicut ramus est institutus liberè in signum vini vendibilis. Hanc institutionem non habent miracula ex se. Patet, quia resurrectio mortui ex se nullam connexionem habet cum futuritione Antichristi, & sic nec ex se est signum ipsius. Idem dic de locutione superna & miraculosa infantis vel muti, loquentium nomine proprio, & non de tali obiecto. Patet, nam si quis pro Virginitate Beatæ Virginis confirmanda, faceret mutum vel puerum loqui de alia re, v.g. adventu Antichristi, quæ est connexio entitativa inter illa verba cum Virginitate? Nulla sanè.

246 Quod autem de facto miracula facta pro doctrina sint instituta in locutiones, verba, vel quasi, sive nutus & testificationes Dei de veritate illius doctrinæ; in cuius confirmationem fiunt, constat ex Scriptura in illo dicto Christi Domini: *Opera, quæ ego facio, ipsa perhibent testimonium de me.* Item ex illo Marci, vbi Discipuli dicuntur post Ascensionem Christi prædicasse

se Evangelium: *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis*. Item ex Paulo ad Hebr. 2. *Contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus*. Ergo miracula suos confirmationes & testificationes ex parte Dei confirmantis sermonem Ministri, & sigilla quædam nomine Dei præbentia authoritatem ipsi doctrinæ. Idem constat in Moyse, cui Dominus ex rubo, in virga miraculorum operatrice dedit authoritatem suam, vt crederetur à populo se esse missum à Deo. Indubitabile ergo est in hoc ordine rerum miracula pro eo casu esse instituta in locutionem Dei.

247 Nota 2. Deum propter aliquem finem dare posse homini facultatem generalem faciendi miracula entitativè sumpta, seclusa institutione prædicta, qua tamen facultate potest ille abuti in alium finem malum; sicut potest Sacerdos abuti facultate consecrandi. Nec ex hoc sequeretur, quod esset Deus causa moralis talis abusus, aut miraculi; quia in eo tunc ad istud solum concurreret vt causa physica illius operis, sed generalis, & quasi coacta & ex vi promissionis, sicut de facto concurrit ad consecrationem per vires supernas à Ministro, in malum finem voluntariè applicatam. Deus autem ideò concurrit purè physicè supernè, quia concurrit: vt obligatus & dissuadendo, & minando, & ideò non concurrit vt causa moralis. Sed aliter Theologizandum si ipsa sint verba, aut nutus Dei.

248 Dico 1. In hoc ordine rerum & stante institutione miraculorum in divinam locutionem, nequit Deus vllo pacto facere miracula in confirmationem falsæ doctrinæ, sive hæc proponatur nomine Dei, sive nomine hominis. Ita comm. sentent. contra Authores primæ, & partim contra Authores tertiæ. Probatur: quia hoc esset Deum loqui falsum & mentiri, sive saltim locutionibus, aut nutibus suis falsitatem illam confirmare & persuadere, quod repugnat vt vidimus; tunc autem, etiam si homo proponeret nomine suo: Deus tamen

men suo nomine sive sua locutione (quę est miraculum) confirmaret.

249 Objicies 1. Deus potest concurrere ad miraculosam Eucharistiæ consecrationem factam à Sacerdote ob malum finem: ergo etiam poterit ad alia miracula ob conformandam doctrinam falsam. Consequentia probatur: quia non magis dedecet Deum concursus ad falsum, quam ad malum. Respond. concesso anteced. (loquor de consecratione ordinaria, non si fiat miraculo visibili extraordinario,) nego consequentiam; productio enim superna Eucharistię, tũc nec in se est mala, nec de facto est locutio & testificatio Dei. Insuper concurrere ad illam non est ex parte Dei facere malum, nec in opere, nec in intendere malum finem, sed permittere malam ipsius applicationem provenientem à Ministro; at facere miracula in occasione cõfirmandi doctrinam, eo ipso est loqui & confirmare illam, quia pro eo tunc est attestatio ipsius. Vndè Deus respectu consecrationis, etiam si sit causa principalis, esset solum physica & non moralis, respectu verò locutionis esset causa moralis, quia libere concurrit ad eam, & non obligatus ex aliqua promissione, quæ non datur; imò nec dari potest, posita institutione. Idem enim esset promittere facere miraculum in tali occasione, & promittere mentiri & decipere.

250 Objicies 2. Miracula sunt sigilla divinæ Authoritatis sigillantia doctrinam; atqui sigilla adduci possunt à servo ad confirmandum falsum: sicut si Minister Regis, cui Regale sigillum commissum est, sigillaret cum illo epistolam falsam: ergo similitèr. Respond. concessa maiori, negando minorem de sigillo miraculi. Licèt enim id possit contingere in sigillo Regio, secùs in miraculi; quia illo potest Minister abuti inscio Rege, secùs miraculo; quod nequit fieri, nisi sciente Deo, & vt causa principali influente: & in eo tunc etiam vt facta à Ministro, non possunt non esse attestatio Dei, permanente institutione. Hinc infero, licèt Sacerdos ad

cõ-

confirmandum mendaciter se non fecisse, qui ad verè fecit; consecraret Hostiam dicens: *Si tale feci, non permittat Deus me consecrationem consummare*; adhùc non fore contra nostram assertionem, quia ta lis consecratio non est divina locutio cum non sit instituta, eo quod sit miraculum invisibile & ordinarium, & sic potest à Sacerdote fieri ad confirmationem falsi.

## §. II.

## ARGVMENTVM EX PATRE OXEA.

251 OBijcies 3. ex P. Oxea. Data alicui à Deo Gratia miraculorum, (vt verè potest) ob alios fines, si quis ipsi dum utitur tali facultate, (nempè per eam confirmando doctrinam falsam) crederet & falleretur, sibi deberet imputare talem creditionem falsam, & non Deo: ergo falsa est nostra assertio. Antecedens probatur. Tum 1. Quia si prudens est, deberet advertere quod illa facultas poterat à Deo esse data ob alios fines, sicut & facultas consecrandi, & homo abuti illa deviando à vero fine.

252 Tùm 2. Quia si miracula essent locutio & testificatio Dei, assensus Mysterij testificati nitens motivo miraculorum, esset strictè Fides divina ex motivo; atqui hoc est absurdum & contra Theologos omnes, docentes prærequiri ad piam affectionem priorem assensu Fidei, iudicium credibilitatis, quod præcipuè supponit & fundatur in miraculis: ergo.

253 Tùm 3. Quia miracula se solis non sunt signum sufficienter persuasivum de eo quod doctrina sit à Deo, nisi simul adsit puritas, sanctitas, & conformitas doctrinæ cum recta ratione & cum excellentia infinita Dei, & etiam sanctitas Ministri, aliaque signa credibilitatis. Tunc autem præsuppositis & cognitis his, verum est, quod miracula valdè illam confirmant, & hac suppositione facta & non aliter, miracula reddunt Doctri-

ctrinam Catholicam credibiliorem alijs sectis, & simul faciunt quod, qui visis miraculis convertebantur ad Fidem, prudentissime facerent. Vndè de hac confirmatione doctrinæ, (supposito nempè quod constet de eius puritate) intelligendi sunt Textus Divi Marci, & Divi Pauli.

254 Tùm 4. & denique à simili: quia qui acciperet Epistolam Regio sigillo signatam, nomine Regio subscriptam; & postea illam aperiens inveniret materiam & stylum Epistolæ esse futiles indignosque authoritate Regia, potius deberet fraudem præsumere, quàm Epistolam esse Regiam, ab ipsoque Rege confirmatam, concipere: ergo non constando de decentia doctrinæ, non est sufficiens confirmatio sigillatio Regia, & idem de sigillatione divina per miracula.

255 Pro responsione nota, quod vel constat positivè facultatem ad miracula, dum à Ministro per illa fit confirmatio doctrinæ, datam esse ad alios fines, vel non constat? Si constat positivè, fateor credentem per illa doctrinam non habentem veritatem imprudenter facere. Si non constat positivè, nego facere imprudenter, quia tunc illa miracula talem faciunt assistentiam & protectionem illis dictis, vt fortiter convincant talem doctrinam, (etiam aliàs visam difficilem, repugnantem & incredibilem) esse dictam à Deo & esse valdè credibilem ab ipsa vi, & efficacia miraculorum; quod patet, tum ex dicendis in hoc Artic. à §. 3. Tùm etiam experientia: nam quid magis repugnans hominì naturali sibi relicto, quàm Mysterium Trinitatis? Quid magis difficilè creditu, quàm Deus flagellatus crucifixus, &c. Item quam Caro humana viva ab hominibus comesta in Eucharistia? Omnes has difficultates & repugnantias, aliasque multas vincebat Authoritas Dei dicentis; & quod qui talia diceret esset Deus, convincebant miracula ita clarè vt non credentes fierent inexcusabiles.

Con-

257 Confirmatur: quia plures ex illis doctrinis, an essent decentes & Deo dignæ, non apparebat ex se ipsis certum, sed potius vel falsum, cum Iudæis essent scandalum & gentibus stultitia, vel ad summum apparebat dubium & incertum; & tamen fiebant valdè suasibilia, & prudenter credibilia & moraliter certa tanquam à Deo dicta, à miraculis ipsis; imò miraculis visis, sæpè sine alio examine Mysteria credebantur à populo: ergo quia miraculis inerat magna convincendi vis pro doctrina, & pro eo quod sit doctrina Dei, quando in huius confirmationem fiebant.

258 Ad argumentum ergo Respondeo, negando antecedens, & primam probationem: quia talem loquenti dabant miracula authoritatē, vt nefas esset dubitare de veritate dictorum ipsius, saltùm dum non constabat fortiter ex alijs capitibus quod esset impostor, & quod doctrina esset evidenter falsa vt si suaderet fornicari: & quod fraus poterat præsumi in ipsis miraculis, & quod vera non essent: si tamen vera supponebantur, doctrina necessario debebat quoad se supponi vera & reputari eo ipso credibilis. Ad secundam probationem Respondeo, concedendo assensum propter locutionem Dei per miracula, esse Fidem. Iudicium autem credibilitatis quod præcedit fidem, fundatur in miraculis sumptis iuxta innatam vim ipsorum, non vero vt elevatis in locutiones Dei, quia de tali institutione, tunc fortè non constabat.

259 Ad 3. Nego antecedens: quia miracula si concipiantur vt vera, se ipsis sufficiunt ad persuadendam doctrinam esse veram & valde credibilem, licèt alias appareret falsa vt diximus de Christo crucifixo & comesto; & prudens potius deberet dubitare, an ipse in iudicio illo doctrinam repellendi falleretur à se, quàm à miraculis in ea admittenda, conceptis vt veris. Hoc intellige, nisi doctrina esset evidenter turpis, nam in eo casu, deberet illam non credere, sed miracula pro falsis eo ipso habere, & factis arte dæmonum. Vnde, si inter

signa credibilitatis numerabeur plura alia,id fecit Deus ex superabundantia, non ex necessitate cum fiunt pro doctrina.

260 Ad 4. Respond. 1. Quod illa epistola ex futilitate doctrinæ & stylì non propterea negauda quod esset Regia, quia potest existimari forte latere Mysterium in illo,quæ apparet futilitas. Vel 2. potest existimari Regem non subscripsisse,nec sigillasse sigillo verè suo, sed alio apparenter suo. Similitèr,si doctrina esset disona rationi, dubitari poterat de Veritate miraculi. Non autem supposita ista, de Veritate doctrinæ.

261 Respondeo 3. Dato antecedenti in Rege, negando consequentiam de Deo,quia de Rege potest dubitare, an subscripseris epistolam & sigillaveris eam, quin legisset & sciret quid contineret:quod nequit locum habere in Deo verum miraculum operante,quando confirmanda est per illud doctrina. De hoc latius §. sequenti.

## §. III.

### *AN POSSINT FIERI MIRACVLA IN ALIQVO casu pro doctrina falsa.*

262 Dico 2. In alio ordine rerum, ablata institutione & constante de hoc, possent miracula fieri à Deo,intendente Ministro doctrinam falsam confirmare per illa nomine proprio. Ita communis sententia.Probatur:quia sicut Deus dedit Sacerdoti potestatem consecrandi relictam suæ voluntati; ita & potuisset facultatem vniversalem ad miracula,& tunc posset Minister abuti in quemcumque finem, etiam confirmandi falsum. Probatur: quia cum tunc non essent miracula,locutio, nutus & sigilla Dei, Deus non esset qui seduceret per illa, sed Minister, vel credens se se duceret. Nec item esset Deus causa moralis erroris;

quia

quia cōcurrerec quasi coactus ad miracula illa in talem finem.

263 Nec dicas etiam tunc doctrinam reddi moraliter credibilem prudenter; & hoc provenire ex miraculis: ergo Deus faceret illam credibilem cooperatione sua. Respondeo, si constaret de non institutione, nego antecedens. Videns enim talia miracula teneretur cogitare, quod vt facta à Deo non confirmabant doctrinam. Vndè, si quis crederet illam, crederet ex propria ignorantia. Si dicas: videns illa miracula eo ipso iudicaret Ministrum illum Virum Sanctum, vpote miraculorum patratorē, & eo ipso iudicaret non esse deceptorem. Resp. dupliciter 1. sic credentē nō credere propter Dei authoritatē, sed propter humanam Authoritatem, illius hominis, quem mirabilem existimat & veracem, cum tamen potuisset advertere, ablata institutione, miracula non id probare, & sic illa videns à propria seduceretur inadvertentia; & non à Deo. Respondeo 2. Adhùc in eo tunc posse & debere concipere in illo ordine rerum, quod potestas miraculorum, (quando deficit institutio) est compatibilis cum mendacitate Ministri. Sicut & hodie potestas consecrandi. Et nos ita credimus: etiam si certissime credamus verè talem Sacerdotem quotidie consecrare.

264 Dico 3. Vt Deus non esset causa moralis deceptionis per illa miracula, deberet premittere præconium generale in eo tunc, de eo quod miracula non erant attestatio Dei pro doctrina. Probo istam assertionem: quia ille moraliter est impostor & deceptor, qui vel verbis suis falsa loquitur, aut falsa confirmat; vel si non verbis, tamen per nutus, vel per alia signa fortiter homines inducit per vim & efficaciam talium signorum, ad credendum tanquam verum quod in re est falsum, non monendo eos ne credant talibus signis. Atqui talia sunt miracula non facto præconio: ergo si Deus illa faceret, ipse esset moralis deceptor. Minor in qua est difficultas, nempè miracula habere magnam

vim & efficaciam persuasivam & confirmativam doctrinæ, non solum ab institutione, sed etiam à se ipsis. Probatur multis. Et primo, Christus dimisit peccata paralytico, & dubitantibus de potestate tàm extraordinaria & rara, dixit: *Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, &c. Surge, & ambula.* Nota ly, *vt sciatis*, id est vt certum & persuasum sit vobis. Item alibi dixit: *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, excusationem haberent. Nunc autem, excusationem non habent de peccato suo*: id est de non credere. Quod impedit excusationem, est sanè vis & efficacia propria illorum operum sive miraculorum, quæ est lingua valdè persuasiva & Rhetorica.

265 Dices 1. Quod id non faciebat vis miraculorum sola, sed & aliorum operum, id est puritas doctrinæ & Sanctitas Christi. Contra: quia doctrina de eo, quod ipse esset Deus, ipsis erat falsa & sacrilega: vita autem Christi apparebat communis: & sic inexcusatio nequibat summi ab his, sed à miraculis, quę nemo alius fecit.

266 Dices 2. Summi ab institutione miraculorum. Contra: Tùm quia institutio in locutiones Dei, fortè erat nota paucissimis de populo tunc, Imò & nunc. Interroga enim populum Christianum, & communiter non sciet de institutione. Benè tamen noscitur ab omnibus vis miraculorum, & id quod dicebat Nicodemus: *Rabi, scimus quia à Deo venisti Magister*, (id est viam Dei in veritate docens) *quia nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Item alij *Quod signum ostendis nobis, in qua potestate, id facis?* Ex miraculis ergo infert populus assistentiam Dei in talis hominis doctrina. Et indè probat ex miraculis ipsis, quod talis homo incredibile sit vt mentiatur.

267 Hanc vim benè noverant sapientes, siquidem dicebant in Concilio: *His homo multa signa facit*

Si

*Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Utique per signa. Benè etiam noverant turbæ, quæ cum resuscitasse adolescentem in Naim, dicebant: *Quod Propheta magnus*, (id est Doctor) *surrexit in nobis.* Idem contigit in Lazari resurrectione, & sæpè dicitur turbas secutas propter signa. ¶ Tũ denique, quia inter Gentiles, qui convincebantur ab Apostolis, nulla erat notitia de tali institutione: ergo eos non instituto, sed vis & lingua miraculorum convincebat inducens ad credendum, quod vir talia faciens mentiri non poterat, sive loqueretur nomine Dei, sive nomine proprio, propter magnam vim suasivam illorum operum.

268 Respondebis, ex ignorantia videntium provenire, quod homines convincantur. Contra 1. Quia Christus dixit: *Vt autem sciatis.* Secundo: quia Christus dixit, tàm de Sapientibus, quàm de Idiotis esse inexcusabiles. Alibi etiam: *Alioquin propter opera ipsa credite.* Item Exodi 3. quando nulla erat notitia de institutione in locutiones apud Israelitas in Ægypto, ad quos mittebatur Moyses, sed instituebantur tunc, dixit Deus Moysi convincendos propter signa Sapientes Hebreorum. Vndè quia Pharao Gentilis, nõ est plenè convictus per illa, fuit à Deo punitus.

## §. IV.

## ALIÆ PROBATIONES AB INDVCTIONE.

269 PRobatur tertio: quia vos dicitis Deum, saltem non posse facere ea miracula coram insipientibus, quia isti inducuntur ad credendum falsum, & erit scandalum & inductio pusillorum: ergo idem erit pro toto mundo, siquidem totus per illa miracula convictus est ad credenda Mysteria: Si ergo non constat per præconium vel alia via, quod miracula non sint ex parte Dei pro confirmatione doctrinæ, sed ob alios fi-

nes, ipsa sibi relicta valde persuadebunt & inducent ad credendam doctrinam vt veram, & vt à Deo attestatam. Confirmatur: quia dum Martyres faciebant miracula pro doctrina, Tyrani & Gentiles sapientiores, numquam ausi sunt negare hanc vim veris miraculis (etiam si non curarent nec scirent de institutione,) quia ea Provincia impossibilis visa est, sed totus connatus eorum erat tribuere illa mirabilia Magicis artibus, vt haberentur pro fictis: ergo quia innegabilis erat Catholica veritas prudenter etiam ipsis Gentilibus, si veris miraculis fulciebatur. Nescio ergo quarè Catholici auferant & deprimant in miraculis hanc vim, quam & Etnici confitentur.

270 Maneat ergo quod cum hæc vis, licèt sit incōnexa physicè cum veritate, & propterea possint Sapientes dicere, quod veritas non infertur evidenter ex sali vi, ac per consequens quod physicè loquendo post miracula, possit adhuc physicè doctrina esse nō vera; quia tamen in ipsis negari non potest inductio prudens efficacissima ad credendum, ideò ne illa doctrinæ falsitas tribuatur Deo, iudico obligatum esse Deum, vel non facere nec permittere illa, vel præmittere præconium, aut admonere homines alia via, ne ex miraculis moveantur ad credendum: quia mens Dei non est ea facere in confirmationem doctrinæ.

271 Vltimo probatur: quia præbens arma parato, injuste interficere Petrum per illa, tenebatur vel ea non dare, vel saltim admonere Petrum, vt sibi caveat; & si non moneat cum possit, eo ipso est moralis cooperator ad illam necem: ergo cum miracula sint arma fortissima ad devellandum & subijciendum intellectum vt credat doctrinæ, Deus Doctori mendaci illa præbens, moraliter cooperabitur ad subijciendum intellectum vt credat doctrinæ falsæ; si saltim illum non moneat cum possit, vt sibi caveat. Confirmatur: quia sicut modo se habent Gentiles, (quibus non constat de institutione dum illis doctrina proponitur per miracu-

la,)

la, ) qui à miraculis inducuntur & convincuntur, sic etiam se haberent, ablata institutione; siquidem hæc ęquè non movet nec alicit dum non sciitur, ac dum non existit. Vndè ęquè tunc dicere possent homines cum Ricardo à Sancto Victore: *Domine, si error est, quod credimus, à te decepti summus.* Vtique per miracula inducti.

272 Confirmantur prædicta, quia sæpissime evenit, vt qui illudebant martyribus in tormentis pro sua doctrina passis, repēte viso aliquo miraculo conversi sunt. Centurio non fuit conversus à doctrina Christi, sed visis miraculis, quæ fiebant; & præcipuè videns, quod sic clamans spiraisset, (id est voce vsque ad miraculum forti & sonora) confessus est, & dixit: *Verè Filius Dei erat iste.* Item Christus conquerendo dicebat: *Nisi signa & prodigia videritis non creditis:* Qui Textus probat Iudęos audita doctrina, adhuc duros, per vim miraculorum emolitos. Vndè licèt requireretur doctrinæ puritas in re, sed non requirebatur vt esset ab ipsis cognita & approbata. Imò à reprobando illam, vel à dubitando de illa, per vim miraculorum desistebant. Insuper, quia doctrinæ decentia ad summum requirebatur vt non officeret, non autem vt per se sufficeret; & sanè plures Historię Ecclesiasticę infirmantur, si hęc vis miraculis denegetur.

273 Si respondeas hæc omnia esse vera, si dum fiunt miracula, doctrina proponitur nomine Dei, dicendo: *Hæc dicit Dominus, &c.* Secùs si homo proponat doctrinam nomine proprio. Sed cōtra: Tùm quia Christus nomine proprio proposuit illud de Paralytico: *Dimittuntur tibi peccata.* Et licèt esset Deus, & vellet convincere præsentes, ( à quibus non agnoscebatur vt Deus, sed dicebant: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?*) de potestate dimittendi peccata, accurrit ad miraculum, dicens: *Vt autem sciatis, &c. Surge, & ambula:* ergo miraculum confirmat veritatem, etiam nomine proprio sive puri hominis propositam, vt illi existimabant.

274 Tùm quia Sanctus Vincentius Ferrarius cum propossuerit se esse Angelum Apocalypsis, licèt non propossuerit nomine Dei, per miraculum resuscitandi mortuum confirmavit. Tùm quia miraculum in doctrina confirmanda in illo duplici proponendi modo (scilicèt nomine proprio, vel nomine Dei) in re pertuata dicit aliquam differentiam, nempè quod cum proponitur nomine Dei manet persuassum id quod dicitur, & simul quod Deus dixerit. Et dum nomine proprio, solum manet persuassum, id quod dicitur. At in vi & efficacia persuadendi nulla est diversitas. Undè nemini posset prudenter venire in mentem, quod ille homo mentiretur & abuteretur tali gratia miraculorum. Quia miracula talem probant Dei assistentiam in illo homine, talemque suis dictis præbent Authoritatem, vt illi dici possit: *Scimus, quia à Deo venisti Magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

275 Quæritur, an miracula illa, quæ essent locutio miraculosa ipsius doctrinæ falsæ, possint à Deo fieri, obiata institutione? Videtur non posse, quia sunt locutiones miraculosæ, & eo ipso locutiones Dei, & aliàs falsæ. Sed potest obijci, quod aliud est, quod illæ locutiones sint à Deo, sicut & alia miracula; & aliud est, quod sint locutiones Dei. Possent autem tunc esse locutiones muti, vel infantis suam mentem per illas apperientis. Nec Deus tunc loqueretur in muto nec mentiretur, siquidem illarum productio non fieret à Deo cum intentione significandi per illas mentem suam, sed muti. Ideò alij probant aliter, quia licèt essent locutiones muti, essent signa falsa & causa per se deceptionis aliorum, ad quam Deus nequit de per se, nec specialitèr & miraculosè concurrere, nam eo ipso esset causa moralis.

276 Sed respond. aliud esse, quod Deus miraculosè restituat virtutem loquendi in actu primo, qua mutus benè, vel male vtatur. Aliud quod Deus miraculosè pro-

du-

ducat illas locutiones. Primo modo nulla est repugnantia, si præcederet præconiū; secùs secundo modo, quia ex prima institutione locutio illa est falsa.

277 Objicies, fortiter ex Deut. 13. à vers. 1. facienti miracula non esse credendum, si proponat doctrinam falsam: ergo contra præcipuum intentum totius Artic. Antecedens patet, inquit enim Textus: *Si surrexerit in medio tui Prophetis aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum: & evenerit, quod loquutus est & dixerit tibi: Eamus, sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis: non audias verba Prophetæ illius.* Respondetur 1. ex Biblia Maxima cum Lyra, & Estio loqui de Propheta falso, prædicente futura arte Dæmonis, ac per consequens illa miracula non sunt vera: vel si sunt vera ille Propheta non habet ea facere, sed arte Dæmonis scire & prædicere, vt illi veritati admisceat alias falsitates. Respondetur 2. Permitto anteced. & nego consequentiam: quia pro tali casu speciali ly. *non audies*, iam est præconium. Respondetur 3. Loqui de eo, qui esset verus Propheta, & propter vera miracula receptus pro tali antea. Iste si postea prædicat contra doctrinam iam ab Ecclesia receptam, nullo modo est audiendus, sicut nec Angelus de Cœlo iuxta Paulum, si prædicent contra Evangelizata ab ipso. Non ergo hic est sermo de miraculis veris pro falsa doctrina factis, sed de antea factis pro vera.

## ARTIC. III. & §. I.

### *AN FIDES POSSIT ESSE FALSA DE PER accidens? Vbi argumenta pro parte affirmante.*

278 ID est, an Fides divina possit esse de obiecto falso præconcepto ab ipso credente? Pars af-

fir-

firmans, quam tenent aliqui. Probatur 1. Quia potest quis elicere actum Virtutis moralis Misericordiæ etiam supernum, circa pauperem fictum existimatum verum; imò & charitatis supernæ circa hominem existimatum sanctum, & amatum quia amicus Dei apprehenditur: ergo & actum Fidei supernæ circa Mysterium fictum, existimatum verum & revelatum à Deo. Concesso antecedenti, nego consequentiam; quia nulla vera Virtus potest esse sine suo bono specificativo. Bonum ergo Virtutis appetitivæ est bonum vt prudentèr & invincibilitèr apprehensum; bonum autem Virtutis intellectualis est verum, non vt apprehensum, sed vt ipse & exercitè est verum. Sic respondet D. Thomas.

279 Sed replicabis: Prudentia est Virtus intellectualis, & potest esse superna, atqui potest esse de falso existimato vero: ergo nulla est disparitas. Minor probatur: quia prudentia superna dictat hanc Hostiam, quam post consecrationem elevat Sacerdos, esse verè consecratam atque adorandam; quod tamen potest esse falsum, quia potuit non habuisse intentionem ille Sacerdos, vel potuit non esse ordinatus. Resp. prudentiam esse virtutem pure practicam & non speculativam, quia in eo quod supponit per speculationem, non est virtus. Vndè potest ei subesse falsum speculativè, secùs practicè, & qua parte virtus intellectualis est.

280 Vndè duplex, vel quasi duplex est ille actus, nempè: *Hæc Hostia est ritè consecrata.* Item: *Hæc Hostia est adoranda.* Prima pars potest esse actus opinativus falsus licet prudentèr conceptus. Secunda pars, nempè quod illa Hostia est adoranda & adorari debet, est omnino vera; nam dum Hostia concipitur prudentèr vt consecrata licèt talis non esset in re, adorari debet, & hoc est verissimum; quia verè datur tale debitum. Hæc sola pars est virtus prudentiæ, & ex hac parte verissima est; licèt speculativè & in quantum attingit veritatem consecrationis possit esse falsa. At Fides cum sit virtus

pra-

practica & speculativa, vtroque modo debet esse verissima, quia de obiecto vt revelato verè à Deo, non potente revelare falsum. Obiter autem adverte, adorationem cuiuslibet Hostiæ propositæ prudentèr vt consecratæ, debere iuxta Doctores esse absolutam & non sub conditione: sufficit enim vt absolutè adoretur, quod absolutè vt consecrata proponatur.

284 Sed contra hanc solutionem iterùm replicabis ingeniose & fortitèr: hæc Fides est divina & practica: *Clemens Decimus Pontifex præsens, observandus per obedientiam est*: Atqui tali actui potest subesse falsum; quatenus supponit quod verè sit Pontifex, sicut & subest falsum illi actui: *Hæc Hostia consecrata adoranda est*; quatenùs supponit speculativè eam esse consecratam: ergo nulla est disparitas. Nego minorem, quia talis assensus Fidei nequit esse falsus secundum quod supponit speculativè de Clemente X. Disparitas est, quia continentia Clementis X. in propositione vniversali de vero Pontifice observando & obediendo, est etiam de Fide: quia Ecclesia adorando illum vt Pontificem, definivit talem continentiam. Non autem est definita, nec de Fide continentia huius Hostiæ consecratæ in illa vniversali de Hostia verè à Sacerdote consecrata, ac per consequens nulli assensui Fidei, vt talis potest sub esse falsum.

285 Secundo probatur pars affirmans. Si Episcopus vel Parochus proponeret rusticis aliquod Mysterium falsum, tanquam revelatum à Deo & ab Ecclesia definitum, rustici tenerentur credere Fide divina; & non credendo peccarent essentque hæretici: ergo iam Fides divina potest esse de falso. Pat. Gonet respondet teneri quidem credere, sed Fide humana; nam divina non possunt. Vndè non erunt hæretici formalitèr, sed solùm arguitivè, quatenùs eis deficiebat animus credendi ea, quæ proponentur eis nomine Ecclesiæ,

vt à Deo dicta. Sed non placet responsio quoad primam partem: Tùm quia posset Parochus miscere illud Mysterium falsum inter alia vera, & omnia simùl proponere: ergo rustici tenerentur omnia credere ex eodem motivo, cum nulla eis proponatur inter illa disparitas. Tùm quia, si tenerentur credere: ergo quia illis proponitur tale Mysterium vt dictum à Deo: ergo propter dictum Dei.

283 Ideò respond. aliter, eos teneri credere Fide divina, quæ tantum sit divina obiectivè, (id est credere quia Deus dixit) sicut eam habent hæretici de Articulis quos admittunt; non vero tenentur Fide divina superna, sive divina ex parte principij atque habitus Fidei supernæ, quia iste totalitèr est alligatus ad verum quatenùs dictum à Deo in re & exercitè. Si autem non crederent modo dicto, sed negarent; essent latè hæretici contravenientes Fidei primo modo sumptæ, nempè obiectivè: non contra Fidem secundo modo, id est ex parte principij. Vadè tantum arguitivè essent hæretici, id est in præparatione animi.

284 Probatur 3. Quia postquam Christus natus erat, & non erat Nativitas promulgata, fideles credentes Christum venturum credebant Fide divina, nempè quia Deus dixit in Scriptura; atqui credendo venturum decipiebantur, quia iam advenerat: ergo iam Fides divina ex parte credentis potest decipi & esse de falso. Respond. Divus Thomas *hic 6 artic. 3. ad tertium*; in eo tunc ad Fidem solum pertinuisse Christum aliquando nasci: quod verò Nativitas adhuc esset futura & non præterita, non erat assentienda per Fidem, sed credebatur ex aliqua coniectura humana. Vadè cum apud Iudæos esset in eo tunc magna difficultas de tempore præfixo Nativitatis Christi, diversum quid erat Nativitas quoad substantiam, & determinatio temporis de illa, vt cernitur de die Iudicij. Qui ergo in eo tunc ex ignorantia invincibili crederet Nativitatem vt futu-

turam, crederet Fide solum obiectivè divina, sed non divina superna; & licèt posset habere meritum *in pia affectione*, Fides superna non permitteret se applicari ad falsum, nec posset. Vel forrè crederent Christum venturum respectivè ad tempus Prophetiæ.

## §. II.

## ALIA ARGVMENTA, ET PRÆFERTVR PARS negans.

285 PRobatur 4. Veritas obiecti solum concurrit ad cognitionem supernam in genere causæ efficientis; atqui Deus potest supplere defectum causæ efficientis: ergo & specialitèr conservare vel inducere cognitionem supernam sine obiecto, ac per consequens & falsam. Nego maiorem: quia etiam concurrit vt ratio formalis *qua*, vel *sub qua* essentialiter requisita, & in genere causæ formalis extrinsecæ insupplebili à Deo. Pat. Oxea *disputat. 4. de Fide, sect. 4.* (vbi respondet ad hoc & sequentia argumenta P. Ripalda defendētis partem affirmantem) concessa mai. distinguit min. Deus potest supplere causam efficientem absolutè concedit; quando resultat aliqua indecentia vt in præsenti, negat. Sed melior est prima solutio.

286 Probatur 5. Dum peccator existens in mortali ait: *Ego non sum in gratia Dei*; Deus potest falsificare ex se specialiter hanc cognitionem; potest enim infundere gratiam pro libito, perseverante tali cognitione: ergo est causa specialis falsitatis. In primis nego anteced. Tùm quia, si dicatur cum Pat. Arriaga propositionem semper alligari ad illud *nunc*, in quo producta est, semper erit vera, etiam si desinat esse peccator. Tùm quia illa propositio superna potuit produci supernè, sed habendo pro obiecto, quod attenta natura rei, ille non est

in

in gratia,& sic semper erit vera. Tùm quia Deus,si infunderet gratiam, teneretur suspendere concursum illum supernum, & relinquere hominem in solo naturæ connatu & actu naturali,quem vt solet Ripalda docere, elliciebat simùl cum superno; & sic homo decipiebatur à se,& per actum naturalem.

287 Respondetur 2. distinguendo antecedens: si illa cognitio sit superna, nego anteced. quia falsificaret signum repræsentativum specialissime suum, & in hoc datur indecentia; si esset naturalis subdistinguo: potest ex intento falsificandi,nego; per accidens & præter intentionem, concedo; permittendo nempè vt peccator suo se discursu ob humilitatem decipiat. Etenim Dei intentio est facere peccatori beneficium gratiæ, cui nihil officit continuatio falsa talis assensus,quę se tenet ex parte peccatoris ignorantis;quia Deus ad talem continuationem illum obliget,aut illam intendat.

288 Sit nostra sententia: Fidei divinæ supernæ repugnat essentialiter assentiri falso,adhùc ex parte credentis. Ita D.Thom.*hic artic.*3,& commun.sententia. Probatur ratione ipsius.Nihil potest attingi per potentiam,virtutem,vel actum ipsius, nisi quatenùs subsit rationi formali essentiali speculativæ ipsius; atqui hæc respectu Fidei supernæ est prima veritas revelans:ergo vbi verè hæc non sit,nec erit essentiale specificatum Fidei supernæ,nec erit actus ipsius; atqui implicat respectu obiecti falsi, quod detur prima veritas revelans vt probatum est;cum nequeat Deus falsum revelare: ergo etiam repugnat, quod circa obiectum in re falsum detur Fides divina; non enim erit divina superna, licèt appareat esse. Confirmatur,ex differentia essentiali inter intellectum & voluntatem initio articuli allatam. Intellectus enim est de bono vero vt vero: in illo enim stat perfectio ipsius. Voluntas autem est de bono vt apprehenso; atqui verum apparens non est verum bonum: ergo nequit esse specificativum essentiale virtutis

tis superæ intellectualis vt talis, qualis est Virtus Fidei.

289 Confirmatur vlteriùs: Tùm quia Virtus habet perficere potentiam in ordine ad suum obiectum: ergo cum obiectum intellectus sit verùm sub ratione veri, non erit Virtus quę deviat ab hoc, & non perficit in ordine ad illud, sed deficit. Tùm quia si Fides posset esse falsa, frustraretur finis infusionis ipsius, qui fiat in assecurãdo homines de veritate, vt possint cũ fiducia captivare intellectum in obsequium Dei in dictis ipsius: tueret autẽ fiducia hęc. Tùm denique, quia sicut si lumen primorum principiorum posset in illis decipi, talis falsitas reduceretur in Deum vt naturę Authorem, quia signavit in nobis ipse tale lumen: ergo multo melius, si lumen Fidei specialiter ab ipso infusum posset causare assensum falsum. Vnde quoties in hoc Art. vel alibi vocavimus cognitionem prudentem, illam quæ cum fundamento patitur deceptionẽ & falsitatem, non erat sermo, qua parte erat virtus & prudens superna, & qua dirigit actus supernos voluntatis, sed de altera parte speculativa prudenti naturali, & quæ nõ fit specialiter à Deo, quia ex illa parte non est Virtus intellectus.

## QVÆSTIO V.

### *AN DEVS POSSIT ESSE SPECIALIS CAVSA deceptionis.*

## ARTICVLVS I.

### *NOTABILIA, VALDE NECESSARIA.*

290 NOTA 1. Aliud esse mentiri, & aliud decipere, vt constavit. Deceptio autem potest sequi dupliciter. Primo, de per accidens, & ex incuria audientis, vt ex verbis amphibologicis, de quibus Art.

1. q. 4. dictu est. 2. De per se, vt quando ut aliquid primo inclinans & inducens per se ipsum ad deceptionem. Deceptio autem vel potest esse in moralibus, vel in pure speculativis. Dubitari ergo potest, an Deus possit esse specialis causa per se deceptionis. Primo, infundendo habitum per se inclinantem ad actum falsum. Secundo, producendo speciem impressam determinantem ad illum. Tertio, producendo & causando ipsum actum falsum, sive specialiter intendendo, & inducendo ad illum.

291 Nota 2. Infusionem prædicti habitus posse fieri à Deo, si neges concursum ad actum falsum. Probatur: quia nec esset contra divinam veracitatem, siquidem non est locutio Dei, nec contra divinam sanctitatem aut veritatem, cum non sequatur deceptio; & ob eandem rationem non est contra naturam rationalem vt talem, sed vt aliud quodlibet ens.

292 De infusione speciei impressæ est maior difficultas. Aliqui enim existimant talem infusionem fore locutionem Dei, nam non aliter nos loquimur vnus cum alio, nisi mittendo ad aures speciem obiecti præconcepti. Vnde productio actus per talem speciem erit auditio ex parte nostra. Et licèt hæc impediatur, non ideò tollitur indecentia & mendacium ab illa locutione falsa. Sicut si quis loquitur falsa, & contra mentem coram Surdo. Sed potest negari assumptum, quia si ex intentione impeditur auditio & cognitio, nõ datur locutio, cum hæc habeat esse ex intentione significandi alteri obiectũ vt à se præconceptũ. & idẽ est de prolatione signorum coram Surdo. Fortè autem esset inordinatus vsus linguæ coram ipso; sed non locutio mendax. Nec obest, quod cum species impressa se teneat ex parte obiecti; infusio ipsius est positio virtualis obiecti falsi in intellectu: ergo virtualis locutio falsa. Distinguo anteced. Virtualis per modũ actus primi, cõcedo: per modũ actus 2. & ex intentione significandi, nego; si impeditur

actus

actus. Adde quod species non est instituta à natura ad significandum obiectum vt præconceptum, & sic non est locutio.

293 Pro quo nota 1. Duplex dari signum: vnũ quod ex primaria institutione sua, (sive hæc sit à natura sive ab hominibus) est significativum rei, vt species impressa, voces & similia; & cum ex tali vi inducenda sit deceptio nequit poni à Deo ex se. Alia quæ primariò sunt propter aliud, & secundario possunt esse signa; sicut quando fideles ambulant in terris infidelium vestitũ eorum habitu, (qui tamen non sit institutus in signum protestativum falsę Religionis) si alij decipiantur, sibi imputent; quia vestes illę sunt primario pro corpore operiendo, & ad summum ad se occultandum. Licèt ergo deceptio sequatur ex secundario, possunt signa illa à Deo poni, non ex intentione deceptionis, sed ob alium finem primarium. ¶ Quia tunc vt dicemus, deceptio est præter intentionem. An autem & quando vitari debeat res, ne sequatur deceptio, licèt præter intentionem; hoc est alteriùs indaginis, sicut & an omitti debeant opera bona, si proximus scandalizandus est, sumpta occasione ex illis.

294 Nota 2. Quod non est idem occultare veritatem, vt alius eam non agnoscat, & decipere positivè; nec est idem non advertere veritatem, ac decipi. Vndè, non obest, quod Deus possit aliqua facere ad occultandam veritatem (sistendo in hoc ex intentione sua,) ex quibus sequatur secundario & permissive quasi inevitabiliter deceptio, & hoc non solum in naturalibus, sed & in miraculosis & superuis, vt quando dum Sanctus Fœlix fugiebat persecutores suos, Deus in loco illo per quem transivit, produxit telas aranearum, ex quo fuerunt decepti. Respondetur enim Deum solum intendisse per illud miraculum servum suum occultare vt persecutores non advertereut eum esse ibi. Si autem ipsi decepti sunt existimando positivè eum non esse

ibi

ibi, deceptio illa fuit Deo præter intentionem, & ipsi imputent sibi si decepti sunt.

295 Nota 3. Quod deceptio potest ab aliquo induci & intendi dupliciter. Primo, directè & in se sive velit eam vt finem sive vt medium, tamen volitum directè & in se ipso. Secundo, indirectè & non in se, sed in alio, vel includente, vel trahente. Primo modo nequit esse volitum à Deo, quia Deus velle nequit seductionē, nec vt finem, nec vt medium ad aliquid obtinēdū, saltim nisi ab alio obligatus. Non enim seductio potest esse de intentione ipsius vt probatum est. Indirectè autem & in alio bene potest. Quod probo sic. Etenim Deus præcipit nobis operari iuxta dictamen sincerum concientiæ nostræ. Si ergo mulierculæ apprehendat mendacium invincibiliter, vt medium vnicum defendendi vitam innocentis, ac per consequēs vt licitum & obligatorium; præceptum divinum, supernum charitatis, & prudentia superna obligant eam ad operationem conformem menti, ac per consequens ad mendacium inclusum in alio, nempè in illa operatione vt conformi menti; sicut si Episcopus proponeret Rustico inter Mysteria vera aliquid falsum prout dictum à Deo, ex præcepto divino tenebatur credere tale Mysterium propositū vt verum: Idem ergo erit de deceptione concepta vt honesta. Tunc enim, sicut obligat Deus ad inhonestum conceptum vt honestum, ita etiam ad falsum conceptum vt honestum, vt diximus supra *num.* 237. Quod solum est obligare & quasi causare deceptionem indirectè, & in alio in quo includitur. Non autem per se & ex se.

296 Secunda pars: Quod nempè possit etiam intendi indirectè, in alio non includente sed trahente, (vt v. g. quando ex productione aranearum sequitur, quasi inevitabiliter quod persecutores existiment non aransisse per illum locum & decipiantur.) Probatur: quia adhùc salvatur, quod deceptio illa inevitabiliter secuta, sit præter intentionem respectu producentis illas telas aranearum, quia ipsius intentum erat Sanctum

oc-

occultare,& quod illi non adverterent esse ibi, non autem quod positivè deciperentur. Sic in sententia Thomistarũ prædeterminante Deo ad materiale peccati,nequit non poni à creatura formalis malicia; sed tamen Deus id non intendit, nec est causa specialis eius Similitèr decernente Deo in sententia RR. permittere peccatum, & concurrere cũ creatura concursu simultaneo ad illud, licèt Deus diligat concursum vt proprium obligationis suæ,sitque præparatio operationis creaturæ de intentione primæ causæ, malitia tamen identificata in eadem actione cum tali concursu est præter intentionem.

297 Item inevitabile est quod damnati ad pœnas Inferni non blasphement Deum, quia hoc sequitur necessario ab illo statu obfirmato in malo, & tamen Deo intendenti illum statum sunt blasphemiæ præter intentionem. Sicut & fugienti invasorem vitæ per iter plenum infantibus,inevitabilis est aliquorum occisio vt defendat vitam suam;& tamen occisio à Theologis dicitur esse præter intentionem, quia mens est cursu rapido fugere, impedimentaque auferre. Quod si cursus conculcat infantes & sequatur mors,ista non acceptatur in se,nec per se,sed est præter intentionem Mille etiam alia exempla in moralibus adduci possunt vt in vendendae venenum pro medicamẽtis,& insendente vendere vt medicativum,& non vt interfectivum. Omnia dicta in hoc Artic. nota valde,quia valde profunt pro solvendis alijs argumentis.

298 Nec obest, quod deceptio fœdat naturalem rationem, nempè intellectum: ergo nequit prætendi, adhuc indirectè à Deo,nec ab aliquo præcepto, vel affectu superno. Respondetur, fœdare solum physicè. Item fœdat præter intentionem,& ex obligatione majoris præcepti, nempè operandi iuxta conscientiam. Vndè non minus dedecet Deum opus inhonestum,quàm falsum: ergo si inhonestum involutum honesto per ignorantiam,præcipit; etiam falsum per ignorantiam in-

volutũ in vero. Sic etiam ad exigentiam causæ secundæ potest inducere ad falsum, quia est inducere non à se, sed præter intentionem. Quæ tamen inductio non poterit fieri per influxum physicum habitus vel principij superni, quia ista cum non sequantur existimationem, alligata sunt ad verũ prout exercitè tale, vtpote quæ sunt vera virtus intellectus, quod non habet assensus existimatus verus.

299 Nota tandem falsitatem tripliciter posse comparari in ordine ad Deum. Primo, per modum mentientis per se, vel per alium. Secundo, per modum decipientis. Tertio, per modum influentis specialiter in actum supernum falsum, vel inductivum actus falsi, sive deceptivi. Mentiri vt constat ex sæpè dictis, non est quælibet positio signi falsi, sed signi significantis rem, vt preconceptam, & simul significantis proferentem, ita sentire, & hoc fit per se, quando ipse per se ipsum ponit talia signa vt significantia, proferentè ita sentire. Propterea enim internæ inspirationes in nobis licèt sint à Deo, non sunt locutio Dei, quia non exprimunt nobis Deum ita sentire. Per alium vero, quando per Ministrum, v.g. ponit signa falsa significantia mandantem ita sentire: hoc enim esset mentiri per alium.

300 Decipere autem prout contradistinctum à mẽtiri est ponere per se, (vel inducendo specialiter alium vt ponat) signa falsa, & per se primario deceptiva. V. g. species impressas falsas, vel imagines falsas, vel signa talia quod significent ex se rem aliter, ac est, (sed non talia vt significent ponentem signa vel mandantem, ita sentire.) Vndè si per possibile, vel impossibile Deus inducat aliquem ad mentiendum, & tale mendatium non significet Deum ita sentire, tunc Deus non mentiretur adhùc per alium, sed purè deciperet per mendatium Ministri.

301 Tandem quoad influere: dicimus quod actus supernus, (qui est specialis Dei operatio, & de cuius falsitate, vel inductione falsitatis, loqui possumus divi-

sim) est duplex: Vnus intellectus, alter voluntatis, illi repugnat falsitas, & hoc non tam summitur ex parte Dei dantis principia specialia, (licèt etiam summatur) quàm ex essentia talis actus, qui eo ipso quod est supernus, est essentialiter virtus intellectus, ac per consequens essentialiter alligatus vero prout in re, & exercitè vero, iuxta dicta, *hic num.* 279. & *num.* 288. Et sic ei ex essentia sua repugnat falsitas. Actui autem superno voluntatis, non repugnat obiectum falsum apprehensum vt verum; quia vt virtus solum specificatur essentialiter à bono prout apprehenso.

302 Ex quo sequitur nullam cognitionem supernam posse adhuc diuinitus esse falsam, licèt de visione Beata dicente de se: *Ego durabo in æternum*, posse falsificari, probet fortiter Ripalda: Tùm quia aliàs esset essentialiter & indefectibiliter æterna, sicut Deus. Tùm quia aliàs eius indestructibilitas esset contra dominium Dei potentis diuinitus quamcũque creaturam destruere. Respondent quidam repugnare visionem, quæ affirmet de se: *Absolutè duraturam in æternum*; sed quæ affirmet: *Duraturam attenta natura sua & Decreto Dei.* Securitatem autem æternæ durationis habens Beati ab alia cognitione distincta reflexa. Sed aliter respondetur, data tali visione æterna, non fore sicut Deum. Tùm quia non est æterna à parte ante: nec est æterna, imò nec existens, ex essentia sua metaphysica, quia non est determinata ad actualitatem sicut Deus. Nec item est contra Dominium Dei, siquidem Deus fuit Dominus ponendi illam. Impotentia autem vt semel posita nequeat destrui, est impotentia consequens, & sumpta ex Decreto. Quia Decretum creandi fuit Decretum conservandi. *Vide à nu.* 401. *de Visione.*

303 Quantum autem attinet in actu superno ad inducere per suam causalitatem ad actum distinctum falsum, vel per se vel abutente creatura tali actu, qualiter posit actus voluntatis, agemus in his Articulis.

Dictu autē intellectus superno agemus in vltimo Articulo, vbi de premissa vera superna, qualiter possit inducere ad conclusionem falsam.

## ARTICVLVS II.

### PROPONVNTVR SENTENTIÆ, ET ELEGITVR negans.

304 DIfficultas magna est de actu falso, quo quis decipiatur, an possit à Deo specialiter, & directè causari. Prima sententia negat. Ita P. Suarez *disputat.* 3. *sectione* 2. Coninch, Torres, & alij plures ex Recentior. & communiter Thomistæ. Secunda, affirmat, ita Hurtad. *disputat.* 18 *sect.* 2. Lugo *de Incarnatione, disputat.* 21. *sect.* 3. Vazquez, Aragon, & alij plures. Hæc autē 2. sententia tenet, quod Deus possit decipere aliquem, quando decepto fit absque locutione.

305 Ex his duabus sententijs. Prima, quæ magis decens divinam sinceritatem apparet, probari potest. Tùm quia decipere ex proposito, magnam indecentiam importat ex se. Et propterea Christus pro magna igno minia seductor vocabatur à Iudæis. Tùm quia in mendatio duplex dari solet difformitas: nempè cum mente, & etiam cum re dicta. Prima ex se sola & sine secunda est tàm mala, vt nequeat vllo pacto honestari: ergo & secunda; nempè difformitas cum re & deceptio, sive falsitas, erit tàm mala moralitèr, vt nequeat honestari. Consequent. patet, quia deceptio sicut & mendatium enervat authoritatem decipientis, destruit in Republica communem fiduciam & communicationem, & invertit finem, atque institutionem signorum; qui non solùm est, vt signum significet res prout conceptas, sed etiam prout sunt; saltim si sciantur vt sunt. Si ergo ob has rationes mendatium est malum morale, etiam deceptio: & præcipuè in Deo, qui cum om-

nia sciat, eo ipso manifestaret res aliter, ac scit esse. Cum enim per vtramque operationem invertatur finis naturæ in vsu signorum, tàm malum morale erit vna ac alia, & tàm indigna vt ametur à Deo. Confirm. quia tàm deceptio per se, quàm mendatium opponitur veritati, & naturæ rationali vt tali, atque eo ipso est indigna Deo ex se ipso.

306 Objicies 1. Infundere malum purè physicum, vt mortem & morbos, non dedecet Deum: atqui error speculativus est difformitas & fœditas intellectus recipientis purè physicè: ergo. Nego minorem: quia inductio istius opponitur naturæ rationali vt tali, & bono Reipublicæ vt diximus; secùs morbus, quia solum est contra naturam vt sensitivam. Et ideò ille, indignum est, vt inducatur à Deo. Insuper locutio contra mentem ablata intentione significandi, est quid physicum; & tamen est objectivè mala, & inficeret intentionem loquendi sic falsa, atque deturparet illam: ergo etiam infusio erroris physici inficeret intentionem liberam infundentis illum. Ratio autem est, quia veraque immediatè opponitur naturæ rationali & veritati vt tali, estque deceptiva, quod est malum: dedecereque naturam & afferre Reipublicæ multa incommoda, lumine naturæ patet.

307 Objicies 2. Reus potest licitè ob suam defensionem decipere Iudicem, & etiam confessarius aliquando alios ne frangat sigillum: ergo decipere præcisè & ex se non est malum, siquidem aliquando potest honestari. Respondebit quis, in Deo semper fore malum; quia si in Reo & Confessario potest non esse malum, continget, sicut in homicidio, quod licèt sit prohibitum lege naturali, permissum tamen est, (licèt raro) ob finem vrgentè vitandi gravissimum malum, & cum non adest alia via vitandi. Et propterea concedi potest decipere non esse tàm intrinsecè malum, & in gradu æquali sicut mentiri; at impossibilis est casus in quo Deus non habeat

alias vias vitandi quodcumque malum, & sic nequibit decipere.

308 Sed aliter respondetur distinguendo anteced. Possunt decipere deceptione per se, nego; per accidens, & præter intentionem, concedo: nempè vtendo signis amphybologicis ad defendendum se, quibus signis Iudex decipiat se ipsum ob suam inadvertentiam; & quia non curat de circunstantijs notandis. Vndè non licèt Reo ex intento positivè decipere Iudicem, sed licèt ex intento occultare veritatem: & sic hac via se defendere signis licitis, permittendo quod Iudex se decipiat in illis. Vel etiam erit licitum, si intendat in Iudice desistentiam & cessationem à Iudicio vero, formato de culpa Rei; vel si intendat apprehensionem veri, vel falsi causatam suis signis, etiam si Iudex formaturus sit iudicium falsum; sibi enim imputet. Non tamen erit licitum, si intendat positivè iudicium falsum. Hoc intelligè, nisi Reus excusetur, vel ab ignorantia invincibili de eo quod liceat ei, vel ab opinione probabili opposita, de quo *num.* 319.

309 Objicies 3. Deceptio nulli virtuti opponitur ergo potest esse à Deo. Antecedens probatur: quia nec opponitur veritati in essendo, quia huic solùm opponitur apparientia pura, sicut auricalcum quod apparet aurum, & non est: nec veritati in cognoscendo, quia huic solum opponitur cognitio falsa in intellectu proprio: nec veritati in dicendo, quia huic solum opponitur mendatium: ergo, &c. Si respondeas, opponi divinæ sanctitati, quia est operatio indecens, & damnosa Reipublicæ. Dum enim signis institutis à natura vel hominibus ad significandum verum, vtitur ad fallendum, abutitur eorum institutione.

310 Sed clarius respond. esse contra divinam veracitatem & propterea contra sanctitatem. Ratio illius est, quia finis intrinsecus & primarius veracitatis est componere locutionem, non in ordine ad proferentem,

quia

quia non egeo illa ad intelligendum, sed in ordine ad audientem, vt scilicèt veritatem quam loquens concepit, in mente audientis stabiliat, & falsitatem valdè oppositam naturæ rationali vt tali, ab illo compescat. Quod enim iste sit finis primarius patet, nam conformitas locutionis cum mente potiùs est medium ad illum finem. Atqui huic fini intrinseco & primario veracitatis equè opponitur infusio specialis & causatio erroris in mente alterius per signa instituta ex fine vt alter informetur vero, sive talis causatio fiat sine mendatio sive fiat cum illo; vtroque enim modo frustratur finis primarius, & datur abusio institutionis signorum: ergo equè ferè est contra veracitatem, & est operatio moraliter disona rationi, ac sit ipsum mendatium. Vndè signa ex se fallentia potiùs dantur vt vitentur, & vt loquens liberè insinuet verum per signa vera, habendo apud se falsa pro libertate, quam vt quis illis vtatur.

311 Objicies 4. Deus potest esse causa per se omnium principiorum inducentium errorem, sed hoc est decipere per illa: ergo. De hoc argumento vide Articulum primum. Distinguo autem maiorem: si talia principia decipiant, quin sint signa instituta à natura vel hominibus ad decipiendum, concedo maiorem: quia tunc decipiunt præter intentionem & secundario, vt diximus de telis aranearum: sic fideles dum transeunt per terras infidelium induuntur ad se occultandos vestibus infidelium; & tunc finis fidelium est occultatio, non positiva decepcio: sed infideles potius se decipiunt, quam decipiantur; quia accipiunt vestes pro signo, cum tamen non sint primario signum; si principia illa sunt instituta subdistingo: potest Deus esse causa per se omnium eorum, & ex se, & à se, & ex sua intentione, nego. Ad exigentiam alterius causæ secundæ, & præter intentionem Dei, concedo; vt dum causat speciem impressam curbi de ligno recto in aqua ad exigentiam medij. Cum tamen non posset causare de ligno extra aquam, quia causaret à se.

AR-

## ARTIC. III, & §. I.

### PROPONITVR QVINTVM ARGVMENTVM AB apparitionibus. Vbi doctrina notanda pro locutionibus.

312 OBijcies 5. Sæpè Deus infundit species inducentes ad errorem. Patet in apparitionibus Christi, quæ fiunt in Eucharistia, vbi aliquibus apparuit Christus tanquam Infans, & alijs vt Crucifixus, vel alio modo passibilis, cum ibi non sit tali modo, sed potius sit gloriosus sicut in Cœlo: ergo qui videns Christum sic decipitur, ab ipso Deo ponente tales species decipitur. Respondetur tamen in talibus speciebus nullam dari ex parte sua deceptionem: quia aliud est, quod repræsentent Christum passibilem, & aliud quod repræsentent ibi esse passibilem. Hoc secundum numquam, vel fere numquam concipiet, qui à Deo sit illustratus in illo favore. Si autem aliquando sic concipiat, deceptio illa non provenit ab specie, inductione inevitabili, sed provenit ab ignorantia sic existimantis, qui benè poterat existimare aliter & debebat. Adde quod illa species est ad apprehensionem, in qua nec datur falsitas, nec veritas; quia hæc est propria Iudicij, & emmendabilis ab illo; & qui falso iudicat, ex suo decipitur.

313 Sed replicas: Si species impressa nata est repræsentare rem ibi, vndè ipsa venit; quomodo non erit deceptio? Respondetur: Duplex dari genus specierum. Vna enim repræsentat rem ipsam in se verè. Alia rem non in se verè, sed misticè, figurate, & vt in imagine. Hæc autem licèt repræsentet suum repræsentatum & rem ibi, sed non repræsentat, quod verè sit ibi, sed quod Imago sit ibi. Patet in Imagine picta Nativitatis Christi in tabula; repræsentat enim Nativitatem ibi, sed non repræsentat quod sit ibi; quia repræsentat fi-

gurate, & misticè Sicut autem infantia & passibilitas Christi potest à Deo figurate repræsentari in tabulis & in Hostia. Vel dic, quod licèt illa species impressa repræsentet ipsum verum Christum natum vt existentem ibi (quod in Hostia verum est) sed nõ repræsentant vt natum ibi, sed vt ibi figurantem se, vt natum in Bethlem.

314 Pro maiori horum intelligentia. Nota primo, in locutionibus dari quasdam, quæ sunt asserentes: aliæ verò solum enunciantes, quin affirment id ipsum quod enunciant, quod explico sic: Inquiri solet à Sacris Interpretibus an Sacra Scriptura soleat se conformare in locutionibus cum vulgari errore? Et ego olim disputans de hac re cum Magistro gravissimo Ordinis Prædicatorum & valdè in Scriptura versato, Hieronymo Xavier, Nostræ Vniversitatis Cathedratico Sacræ Scripturæ emerito, absolute affirmante, & ita in suo Tomo quem Typis parabat tenente, (licèt postea temperaverit sententiam) atq; probante ex Lucæ 2. *Ego & Pater tuus, &c. dolentes quærebamus te &c.* Distinguebam Ego sic. Datur duplex dictum; vnum asserativum, & aliud enunciativum.

315 In primo nequit se Scriptura conformare cum errore vulgi, quia esset illum approbare & asserere falsum. In secundo potest, quia cum non sit asserere, sed loqui de illa re, (dando titulos quibus vulgus talem rem, vel personam appellat) non debet esse, adstricta veritati talis locutio. In primo ergo dicto daretur falsitas: in secundo autem non datur, (& sic locuta est Virgo dum SS. IOSEPHVM Patrem appellat) quia nihil affirmatur vel negatur. An autem in his titulis detur decipere? Dici potest dari deceptionem, non quidem activam & quæ sit deceptio per se, benè verò passivam, quia solent auditores decipi occasione accepta, licèt non sit positivè ab ipso loquente data, saltem per se.

Igi-

316 Igitur ad instar horum, quando Deus facit res, vel ponit Imagines, ex quibus deceptio sequitur, illæ Imagines, licèt sint quasi quædam dicta, nutus, & locutiones mutæ; non tamen sunt locutio assertiva de eo quod res sit ibi, sed ad summum instar enunciativę, in quibus nulla est falsitas & deceptio activa; sed qui ex illis occasionem sumit deceptionis, ipse se decipit.

317 Ex his nota 2. Quod quando signum, Imago sive enunciatio est talis, quæ vel per se, vel inspectis circunstantijs ęquivaleat assertioni; admittenda non est vt si detur signum specialiter protestativum falsæ Religionis, (vel ex institutione vel ex alio capite) permitti nequit, secùs enunciativum purè; quodque tale sit, vt ex sua natura & ex intentione non sit deceptivum.

## §. II.

## DVO ARGVMENTA A GRATIA PER Christum.

318 OBijcies 6. Error potest esse favor, & Gratia per Christum, nempè quando quis ex errore concipiens cras moriturum, vitat hodie peccatum & convertitur ad Deum: ergo potest induci à Deo specialitèr. Nego antecedens: Tùm quia aliud est error, aliud permissio erroris vt proficua ad opus honestum. Licèt ergo ista possit esse Gratia; secùs ille, quia nisi à Deo fiat de intento ob Christi merita, non est Gratia; à Deo autem non fit error de intento, quia licèt sit occasio operis boni; non tamen est principium speciale istius. Etenim etiam vnum peccatum potest esse occasio vitationis alterius & conversionis ad Deum. Vt si quis determinatus ad occidendum inimicum, postea decernat percutere illũ arundine & per hoc retrahitur ab homicidio: & ne postea interficiatur ab inimico, ingreditur in Religionem.

Ec-

319 Replicabis: Salum actus movens, & dirigens ad operationem honestam potest esse Gratia, & opus Dei; atqui id facit deceptio: ergo. Minor probatur in eo, qui viso paupere existimato, movetur à deceptione ad succurrendum illi. Item in eo, qui volens occidere Petrum, & audiens quod sit Presbyter quin sit, detinetur ab homicidio, doletque de determinatione facta. Respond. concessa maiori, negando minorem: quia deceptio solum est occasio, vel aliquid mediatum & remotum ad illos actus. Ad probationem respond. eos actus ab errore solùm remotè dirigi, nam proximè movetur primus à prudentia dictante pauperi cognito vt tali succurrendum esse, & hoc verissimum est, licèt ille non sit talis. Secundus movetur à cognitione, vel volitione non faciendi sacrilegium, quod quidem tale esset coram Deo; licèt ille non esset verè Presbyter, sed existimativè. Vndè dato, quod pia affectio posset esse de credendo Mysterio falso prudentèr proposito vt vero, & vt dicto à Deo, (de quo in §. sequenti) secùs assensus ipse intellectualis, tunc enim esset naturalis falsus, & non supernus, quia iste est de re vt exercitè est vera, illa de obiecto vt proponitur. *Videnu.* 237. & 295.

320 Obijcies 7. Divum Augustinum *in Enchyrid. cap.* 17. dicentem sic: *Nonnullis errare profuit, sed in via pedum, non in via morum*: In cuius confirmationem adducit quod ipse fuit liberatus ab insidijs Donatistarum, quia perdendo iter erravit in via pedum. Prosequitur vlterius dicens, quod tunc contigit: *Vt cognitis insidijs, nos gratularemur errasse, atque inde gratias ageremus Deo.* Concludit autem dicens: *Quoniam est & error bonus, qui non solum nihil obest, verum etiam prosit aliquid.* Ex quo arguitur sic: Augustinus dedit Gratias Deo pro isto errore & deceptione, habendo illum pro bono: ergo licèt error practicus & morum sit malus, speculativus & pedum erit bonus & Donum Dei. Consequentia probatur: quia nihil solemnius apud ipsum in Libro de Dono Perseve-

ran-

rantiæ, quam quod irrisoria est Gratiarum actio, si ob id Gratiæ agantur Deo, quod non donavit ipse neque fecit.

321 Responderi solet, quod Gratiæ collatæ fuerunt non ob errorem, sed ob bonum effectum erroris ex eo secutum, scilicèt evasisse insidias inimicorum. Talem ergo effectum voluit Deus directè, errorem verò permisive tantum. Contra replicant. Tùm quia de effectu secuto, etiam possunt dari Gratiæ, quando sequitur ex errore practico & ex peccato, vt in Apocalypsi dantur Gratiæ Deo à Beatis de damnatione Meretricis magnę; & de pœnitentia & contritione secuta ex peccato possumus etiam nos Deo agere gratias: ergo. Tùm quia iuxta Augustinum aliter se habet Deus erga errorem practicum, *sive in via morum*, quàm circa errorem speculativum, *seu in via pedum*; sed circa errorem practicum se Deus habet permissivè: ergo circa errorem speculativum aliter quam permissivè: patet maior, illis verbis: *Nonnullis errare profuit, sed in via pedum, non in via morum*: & infra: *Nec malus abstulit error, quoniam & est error bonus, &c.*

322 In primis respondetur ad argumentum. Deum non eodem modo se habere respectu veriusque erroris; licèt neutrius sit causa specialis. Concedo enim quod deceptionis speculativæ possit Deus esse causa positiva licèt practicę solũ possit esse permissiva, est tamẽ causa positiva solum generalis, imò & non à se, sed ad exigentiam causarum secundarum, & cum ex illa eis resultaret vtilitas, debuerunt Deo gratias agere, sicut & de omni bono causato ab ipso, non solum vt Authore speciali, sed etiam vt generali. Peccatum autem, aut error practicus non causatur à Deo, adhùc vt à causa generali, sed illorũ malitiæ voluntas creata est causa prima non Deus, & sic Gratiæ nequeunt dari Deo. Numquam ergo Deus ex primaria sua intentione voluit deceptionem, (licèt voluerit liberationem Augustini.) Sicut diximus de productione speciei ligni curbi existentis in

aqua

aqua,cum tamen in aqua non sit curbum, sed rectum. Peccatum autem nequit Deus positivè velle poni, adhuc ad exigentiam causarum secundarum. Vide pro hoc notabilem doctrinam in fine paragraphi sequentis.

323 Alius responderet secundo ad argumentum: Deum respectu talis deceptionis adhùc se habuisse pure permissivè manente salva causa gratiarum; etenim Deus decrevit liberare Augustinum à Donatistis,& prę videndo errorem itineris ponendum ab ipso, si Deus permittat; purè decrevit permittere, quia si permittat certa erit liberatio. Sic à *num.685. de Incarnatione*, decrevit Deus Christum vt Redemptorem à peccato, quod homo ponet, si Deus purè ex parte sua permiserit, licèt nec inducat, nec velit illud. Et hoc etiam modo asseritur à Theologis permissio peccati effectus specialis prædestinationis. Augustinus ergo egit gratias de sua liberatione volita à Deo,& disposita atque obtenta per dispositionem causarum secundarum, sci licèt distractionem mentis ipsius vel aliàs, & permissionem erroris à Deo positam.

324 Si replices. Prædestinatus nequit dare gratias Deo de permissione peccati sui, etiam vt effectu prædestinationis: ergo nec Augustinus de permissione suæ deceptionis. Nego consequentiam: quia licèt ex parte Dei neutra permissio inferat effectum permissum, & vtraque sit vtilis ad finem liberationis intentum à Deo; tamen est differentia ex parte hominis, qui quando liberatur per permissam deceptionem inadvertenter conceptam, liberatur sine admixtione peccati sui: secùs quando per permissum à Deo peccatum, admixtio enim tanti mali impedit vt homo de ea permissione, sibi gratuletur & Deo gratias agat.

325 Sed contra: Quia hæc solutio solvit quidem argumentum & differentiam dat inter vtrumque errorem, qua parte summitur ab actione gratiarum pro beneficio, ( & sic continet bonam doctrinam ) sed non

qua

qua parte Augustinus admittit errorem vnum, qui sit bonus & factibilis à Deo, & alium qui sit malus, quia nodum huius differentiæ permissio æqualis non solvit. Ideò admitti potest error à Deo causatus, sed non vt à causa speciali sed generali, & obligatus à causis naturalibus.

## §. III.

### *ARGVMENTVM SVMPTVM AB ERRORE CAVsato per actum supernum volitivum.*

326 DE causato per intellectivum, Artic. sequent. nunc sermo est de volitivo. Objicies ergo 8. Pia affectio superna potest imperare creditionē supernā de falso existimato vero & à Deo revelato, & virtus superna studiositatis potest imperare assensum falsæ opinionis, existimatę vt verę: ergo iam ista creditio erit superna & falsa. Consequent. probatur: Tùm quia falsæ sunt istæ cognitiones imperatę. Tùm quia etiam est falsa cognitio superna prudentię dirigens illam piam affectionem & illam studiositatem supernam. Patet autem, quod ipsa etiam sit superna, nam volitiones supernę in hoc ordine rerum non diriguntur nisi à cognitione superna.

327 Respondebit quis primo distinguendo anteced. pia affectio superna, (idem de studiositate) potest imperare creditionem supernam falsam, quę sit superna exercitè, & in re nego, nam in re esset naturalis licèt honesta. Superna solum existimativè & naturalis in re. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem de prudentia respondēt, esse supernam secundum partem practicam, sed iam eo pacto est vera; quatenus dictat Mysterium tali modo propositum debere credi: non secundum speculativam de veritate illius, quo pacto est falsa & non virtus.

328 Et si replices, quod saltem sequeretur quod ista pia affectio superna erit principium determinans intellectum & efficaciter inducens ad illum actum, sive creditionem naturalē falsam. Respondēt quidam creditionem falsam non procedere vt à causa à pia affectione, (quæ ex se intendebat imperare actum superum) nec ab ea vt à principio superno, sed (posita ea vt conditione, aut motione quadam generali) procedere illum actum falsum vt à principio à solo intellectu vt potentia naturali; quod fortè infra magis declarabitur. Sed displicet hæc solutio replicē; quia intellectus credit, tunc vt obediens & imperatus à Voluntate: ergo ista est causa determinans per piam affectionem vt principium ad illam creditionem.

329 Ideò ad argumentum, aliter secundo respondet Pater Oxea *disput.4.num.*33. negando tales actus esse supernos, & quod possit Deus dare auxilium superum tunc ad actum prudentiæ superna, qui moveat ad piam affectionem supernam: & sic ibi solum dabitur prudentia naturalis. Ratio autem est, quia posteà sequi debet creditio naturalis falsa, quæ cum sit specialiter imperata à pia affectione, directa per illum actum prudentiæ, creditio falsa & deceptiva procederet necessario vt à principijs specialibus suis ab affectione & prudentia. Ex quibus duo absurda sequerentur. Primū, quod talis creditio esset superna, vtpote à principio superno. Secundum, quod si ille actus essent superni, opusque speciale Dei; sicut operatio superna tribuitur auxilio moventi, & Deo propter illud; ita etiam ista creditio falsa & deceptiva procedens ex illorum influxu & inductione, tribueretur Deo. Sed hæc solutio secunda minus placet, nec aliquid probant inconvenientia quæ adducit.

330 Pro vera ergo solutione, nota primo, actui superno sufficere objectum naturale vt probavimus à *num.*1386. *de Incarnatione*. Iam enim ex alio capite

habet rationem *sub qua* supernam à qua sufficienter sit supernus & specificetur. Nota secundo, ab actu superno vt causativo procedere posse operationem, quæ sit pure naturalis, dummodo sit honesta, vt patet in elargitione externa eleemosynæ imperata à Misericordia superna & in cognitionibus certis & evidentibus naturalibus, imperatis à Charitate superna pro docendo aliquem litteras. Imò & in operationibus alijs naturalibus immixtis errore & deceptione, vt in coitu Iacobi cum Lia existimato maritali; qui potuit procedere à Iustitia superna, & etiam à Charitate, si scopus esset adventus Mesiæ ex sua stirpe procurandus, vel motivum placendi Deo. Nec dicas, eas actiones procedentes à principio superno, eo ipso esse supernas (quod erat primũ inconveniens adductum à Patre Oxea num. præcedenti.) Respondeo esse, quando ex necessitate petunt supernum vt supernum: secùs istæ, quæ licèt de facto procedant ab imperio superno, sed non vt superno, cum potuerint à naturali de eodem objecto.

331 Nota tandem Deo non repugnare, quod sit principium & causa specialis operationum naturalium & inducere ad eas specialiter, etiam per actus supernos, dummodo tales operationes sint honestæ & decentes. Quotiescumque autem Deus medio Imperio voluntatis suæ vel voluntatis creatæ speciali, imperat aliquid, talis operatio erit decens, quod causetur à Deo & tribuatur ei, si sit honesta: sicut & decet ipsum imperare, tribuereque auxilia superna pro prudentia superna, dictante debere fieri mendatium existimatum invincibiliter obligatorium ex charitate proximi, in occasione defendendi vitam Innocentis. De quo supra *num.295.* per quod solvitur secũdum inconveniens P.Oxea.

332 His positis, respondetur ad argumentum, quod prima solutio est vera. Etenim illa pia affectio circa cognitionem falsam existimatam veram, honesta & superna

perna, & ex prudentia superna est, licèt sit de objecto naturali:& idem de studiositate, quia illa opinio falsa apprehenditur vt vera,& vt objectum honestum atque honestè amplexabile. Idem de prudentia superna, qua parte virtus est, quia dum dictat illam opinionem apprehensam vt veram, amplecti debere, verum dictat.

333 Nec dicas 1. Indè sequi Deum esse causam illius amplexionis de falso. Distinguo enim: de falso indirectè & in alio existimato vt verò, & vt honeste amplexibili; concedo. De falso secundum se, nego. Nec dicas secundo, illa falsitas existimata vt vera fœdat intellectum; ergo nequit à Deo causari, quia est quid oppositum naturæ rationali vt tali. Respondeo, quod fœdat physicè non moraliter, sicut nec amentia involuntaria. Dices tertio: id sonat non fœdare voluntatem, fœdat tamen intellectum, qua parte rationalis est, & cognoscitivus veri: ergo dedecet Deum: Distinguo: fœdat præter intentionem Dei, concedo.

334 Vndè fœditas illa intellectus comparari potest, vel ad piam affectionem volentem; vel ad Deum inducentem; vel ad intellectum patientem. Respectu affectionis nulla est indecentia, quia volitur vt bonum existimatum Nec respectu Dei, quia ipsi Deo cognoscenti errorem, est præter intentionem: Respectu intellectus est quid malum physicum. Sed quid mirum in intellectu existente in statu imperfecto? Sicut nec est mirum, si propter peccatum puniatur à Deo cæcitate mentis atque evecudine, sive amentia: sicut & damnati in Inferno à Deo tenebris cæcitatis puniuntur.

335 Ex his pro coronide. Nota valdè triplex dari genus volibilium,& à Deo intendibilium. 1. Est eorum quæ sunt tàm decentia vt possint velli à Deo ex se & à se:& horum est Deus causa specialis. Alia quæ etiam

possint velli, sed non à se nisi vt obligato à causa secunda, vt v.g. mala pœnæ, & horum est causa positiva, sed generalis. Alia quæ possunt solum purè permitti, & horum est causa purè permissiva. Secundi generis sunt error & deceptio speculativa. Vndè hæc non possunt intendi intentione primaria, aliquando verò possunt secundaria, positiva & ad exigentiam alterius, & prout concipiuntur honesta: & dum sæpè diximus esse præter intentionem, intellige; aliquando præter omnem tàm primariam quàm secundariam: aliquando præter solam primariam, id est ex se, & à se. Nam iam possunt esse de secundaria, quando obligatur ab alio.

336 De primis & secundis volibilibus potest Deus habere voluntatem positivam vt fiant. De tertio autem volibili, præter carere voluntate positiva vt fiat, habet positivam displicentiam quod fiat & præcipit, & consulit, minando ne fiat. De primo, Deus est causa specialis. De secundo, causa generalis. De tertio purè permissiva: & de hoc intelligitur illud: *Servire me fecisti in peccatis tuis.* Id est me obligasti vt concursu meo servirem in operatione peccaminosa tua. Servirem inquam, quia ego quidem concurrebam, quia tu fecisti me facere, & feci quasi repugnans & renitens, & quasi ab obligatione causæ primæ coactus. Huic ergo doctrinæ attemperari debent, quæ diximus hucusque hic, & etiam *in Tomo de Incarnatione, Quæstion. 29. Art. 5.*

## ARTICVLVS VLT. & §. I.

### *AN PRÆMISSA FIDEI SVPERNÆ POSSIT concurrere ad conclusionem falsam? Vbi Sententiæ proponuntur.*

337 SIT exemplum in hoc syllogismo: Omnis Homo est lapis; sed Christus est Homo: ergo Christus est lapis. Est difficultas, an præmissa superna se habeat ad conclusionem vt pura conditio, qua præsupposita, intellectus ex se sit totalis causa conclusionis falsæ, motus ab alia præmissa falsa? An verò præmissa Fidei sit principium & causa conclusionis falsæ? Si enim causa est, videtur quod Deus erit per illam vt specialiter suam & à sua gratia, causa specialis falsitatis. Duplex ergo est sententia. Prima affirmat esse causam. Ita Ripald. & alij quos citat, & sequitur Lugo *disputat.* 4 *sect.* 7. *nu.* 110. & etiam Suarez apud ipsum. Idem tenet P. Oxea.

338 Probatur 1. Quia in tali syllogismo intellectus nequit moveri & determinari ad conclusionem, nisi à complexo vtriusque præmissæ, & nisi præmissæ falsæ addatur consortium veræ. Cùm enim vtraque concurrat ad connexionem extremorum cum tertio æqualitèr, (quæ est ratio determinandi ad connexionem inter se in conclusione) neutra se habebit vt conditio, sed vtraque vt movens; atqui præmissæ non aliter influunt in conclusionem, nisi alliciendo, & determinando intellectum sua persuasione ad conclusionem. Non enim influunt efficienter, sed formalitèr: ergo præmissa Fidei, sicut simul cum falsa movet sive est virtus movendi, ita & simul cum illa influit.

339 Respondebis pro sententia contraria, quod aliud est, quod posita præmissa Fidei, intellectus male applicando illam, & abutendo atque conjungendo cum alia, assentiatur & influat in conclusionem. Aliud, quod ipsa præmissa influat. Primum est verum, non secundum. Solum enim illud influit in aliud, quod in sua virtute, sive vulba continet illud. Præmissa autem Fidei cum sit vndequaque vera, nihil habet vnde contineat falsum, sed hoc continetur in præmissa falsa. Procedit ergo conclusio, non à præmissa Fidei sed ab alia, male applicante illam, & abunte illa.

340 Sed contrà, quia intellectus ideò assentitur Christo lapidi, quia assentitus erat, quod omnis homo sit lapis, & quod Christus sit homo: ergo assentitur vt motus & determinatus à complexo vtriusque permissæ vt talis, & vtraque determinat & causat assensum. Probatur: quia neutra identitas seorsim extremitatis cum medio, habet vim movendi intellectum; sed hæc vis est in vtraque identitate extremitatum cum medio vt assentita: ergo neutra præmissa se habet vt conditio, quia pura conditio est illa quæ requiritur, sed non movet ad operationem: hic autem vtraque movet.

341 Probatur 2. Quia cum precedit illa major propositio: *Omnis homo est lapis*, quę erat indifferens ex se, vt poneretur in syllogismo illo ad conclusionem falsam educendam, vel non poneretur; potiùs ipsa applicatur & determinatur ad conclusionem falsam à propositione minori de novo adveniente, (quę propositio est prępmissa Fidei) quam major falsa male applicet & determinet prępmissam veram: ergo si conclusio falsa potiùs est tribuenda prępmissę applicanti aliam, potiùs erit tribuenda prępmissę Fidei, quàm vniversali falsę; hoc autem non admittes: ergo dici debet, quod sicut vtraque prępmissa equaliter componit illud complexũ movens & determinans intellectum, vtraque

equa-

æqualiter causat: non quidem vt conditio, sed vt verè adjuvans sua suasione & motione ad determinandum intellectum, in quo adjutorio consistit causalitas propria præmissarum.

342 Objicies primo: Ergo talis conclusio falsa erit superna. Consequentia probatur: quia eo ipso eget principio superno nempè præmissa superna, ac per consequens non poterit existere per solas naturæ vires. Respond. negando consequent. Ad probationem resp. quod licèt de facto procedat à præmissa superna, non vt superna, sed præcisè vt repræsentante Christum vt hominem, quę propositio potest esse naturalis, vt patet in hęretico: non ergo eget principio superno, nec viribus supernis.

343 Objicies secundo: Ergo præmissa Fidei, & Deus per illam vtpote supernam & specialiter causatam, poterit esse causa specialis conclusionis falsę, & deceptivę. Respond. distinguo consequens, causa per se nego; per accidens concedo: nam præmissa Fidei non decipit per se intellectum, sed ipse se decipit dum facit conjunctum illud præmissę falsę & verę; quod eo ipso moveat & determinet ad falsum. Qui ergo est causa specialis illius conjuncti vt talis, ipse est etiam deceptionis. Sicut autem dum Deus influit in aliquem effectum ad exigentiam causę secundę, non est causa specialis ipsius; ita nec præmissa Fidei conclusionis falsę, quia eo quod deprimatur ab altera præmissa ad conjunctionem falsam extremitatum cum tertio, influit & ipsa in conclusionem, ac per consequens per accidens & ad exigentiam alterius.

344 Objicies tertio: Pia affectio superna non potest influere in creditionem naturalem falsam per vos ex responsione data: ergo multò minus præmissa superna poterit. Consequent. probatur contra P. Oxea à paritate rationis. Respondent negando consequentiam: disparitatem dant, quia in eo tunc pia affectio esset

causa per se illius falsitatis, cum ex se ipsa determinaret ad illam, & non ad exigentiam alterius sicut contingit in præmissa Fidei. Vndè superna pia affectio, si esset causa deceptionis, esset causa per se, & licèt posset esse specialis causa & per se operationis invincibiliter malę, (si ista concipiatur vt bona. Etenim sic concepta, sicque facta non deturpat voluntatem, quę est de bono vt apprehenso;) secùs deceptionis, quia deceptio etiam invincibiliter facta, eo ipso deturpat intellectum estque magna imperfectio potentię circà proprium objectum, ac per consequens nequit procedere ab affectione superna, nec à prudentia superna vt causis per se, nec Deus daret auxilia superna ad illas. Hinc idem dic de superna studiositate non posse supernè imperare assensum ad opinionem falsam in re ob rationem datam; posset tamen imperare actionem studendi tales opiniones & memorię commendandi ex fine veritatis, quia talis studitio est actio honesta ex fine veritatis inveniendę. Adde posse imperare etiam assensum illius opinionis, licèt sit falsa in re, (dum non constet) illius inquam opinionis vt probabilis; quia iste assensus est verisimus: Logicam esse practicam probabile est.

345 Ex quibus sequitur, quod Deus dicendo propositionem vniversalem Fidei, cui intellectus addit particularem falsam, v.g. in hoc syllogismo: *Omnis Canonizatus est in Cœlo; atqui Calvinus est Canonizatus: ergo est in Cœlo*; non influit per se in conclusionem falsam, quia licèt vniversalis aliquando per se influat in particularem, influit in eam quando subjectum particularis verè & in re continetur in subjecto vniversalis, vt subalternata in subalternante; secùs quando intellectus vult nobum objectum ex falsa existimatione per aliam propositionem, introducere in subjectum propositionis vniversalis: in qua non continebatur.

Con-

346 Contrariam tenet P. Gonet *disput.1.de Fide, artic.4.§.6.* negans contra aliquos etiam Thomistas, præmissam Fidei concurrere, vel esse causam falsę conclusionis. Probat, quia numquam res procedit ab alia vt à causa etiam per accidens, nisi contineatur in ipsa vt in semine, vel virtute; atqui in vero nequit falsum contineri vt in semine aut virtute, iuxta illud: ex vero non nisi verum: ergo, &c. Vndè admittit quidem veramque præmissam posse movere intellectum ad hoc vt cognita bonitate illationis, procedat necessario specificativè ad conclusionem, sed negat sufficere istam motionem precisè ad concursum causę, si effectus non contineatur in præmissa, vt semine vel virtute.

347 Vndè impugnat Victoriam, asserentem quod sicut Deus est causa naturalis per se tibię claudicantis quoad entitatem solum; respectu autem claudicationis, & aliorum defectuum naturæ est solum causa per accidens & indirecta & mediata, causando eos media causa secunda; ita & præmissa Fidei est causa conclusionis falsæ, mediante præmissa falsa. Impugnat inquam: Tùm quia non continetur illa conclusio in virtute præmissæ. Tùm quia nec Deus respectu claudicationis est vera causa adhùc indirecta nec tribuitur ei, sicut nec respectu malitiæ moralis peccati, cum tamen sit causa per se entitatis.

348 Et ratio vtriusque est, quia non continetur in virtute ipsius. Similitèr Serram & alios impugnat, qui docent esse causam conclusionis quoad substantiam, sed non quantum ad modum falsitatis. Sicut bono Scriptori formanti litteras malo calamo, tribuitur substantia Scripturæ; deformitas verò calamo. Impugnat, quia in conclusione idem est assensus extremitatum inter se ac falsitas ipsius; nec aliter præmissæ naturales concurrunt & causant falsitatem conclusionis, nisi determinando ad assensum connexionis, quæ tamen non datur in illis.

§.II.

## §. II. VERA SENTENTIA.

349 CIrca has sententias & difficultatem nota 1. Quod intellectus convincatur & determinetur ad assensum conclusionis, non provenire à veritate reali præmissarum, nec à supernaturalitate, quia iste se habent de per accidens, sed provenire ab assensu veritatis existimatæ, vt per se patet. ¶ Nota 2. ad conclusionem in re falsam, de qua sermo est, præmissam supernam non solum se habere de per accidens (eadem enim conclusio proveniret à præmissa naturali simili, qualis est in hæretico) sed respectu talis conclusionis præmissam supernam vt supernam se habere æquivocè & quasi remotè atque indirectè, & prout in alio.

350 Sicut enim diximus *in Tomo de Incarnatione*, Deum esse formam offensæ, & istam esse infinitè malam à Deo infinite bono, contra quem est; esseque infinitè detestabilem; ita modo dicimus complexum illud falsum, nempè connexionem falsam vtriusque extremitatis cum tertio, componi æquivocè, & esse æquivocè falsum à præmissa verà: non enim ex vero vt tali posset resultare falsum, nisi quasi remotè, indirectè, & æquivocè, atque dissimilariter, sicut ex Deo bono, offensa infinite mala.

351 Assero ergo 1. Quod præmissa superna non influit vt causa per se in conclusionem falsam. In hoc convenit veraque sententia, nam prima solum concedit, quod sit causa per accidens & influat ex consortio contingenti, atque applicatione alterius præmissæ falsæ.

352 Assero 2. Quod nec influit vt causa proxima adhùc per accidens. Ita secunda sententia, & probatur, quia nulla virtus influendi in conclusionem falsam, atque assensum connexionis extremitatum inter se, reperitur in præmissa superna. Patet quia ipsa ex se nec est virtus formalis ad falsũ, nec est adhuc radicalis, quia

cum

cum ipsa sit totaliter & essentialiter vera & superna, nequit ex se esse virtus, aut continentia falsitatis adhùc partialiter, sive vt virtus influxiva, aut motiva partialis. Si dicas, conclusionem proximè procedere ab illa vt virtute movendi. Contra, quia in ipsa secundum se nulla est virtus adhuc movendi, ad talem conclusionem falsam. Quod enim Christus sit homo nullam habet virtutem ex se movendi intellectum, vt assentiatur quod sit lapis ob rationem sæpè dictam, quod falsum non continetur in vero, nec assensus de isto est virtus motrix ad assensum de illo, ac per consequens nec causat univocè illum.

353 Assero 3. Præmissa superna solum æquivocè & quasi remotè atque indirectè, & prout in alio (in quo dissimilaretur quasi confunditur) potest concurrere ad talē conclusionē falsam, & hoc de per accidens. Probatur, quia non aliter fit potens concurrere ad falsum, nisi prout inclusa in illo complexo falso, quia soli illi complexo vt falso inest vis motiva, aut allectiva ad talem conclusionem. Sicut enim falsum solum potest contineri in falso, ita & solum ab illo proximè causari; atqui ad tale complexum falsum solum se habet æquivocè talis præmissa vera. Item solùm remotè, quia non habet vim ex se causandi adhuc partialem, nisi prout confunditur, & quasi transmutatur in illud complexum, in quo vt falso incipit, & residet tota vis, & continentia movendi ad assensum falsum.

354 Declaro amplius. Etenim offensa infinitè mala licèt componatur ex Deo infinitè bono, sitque infinite detestabilis; tota tamen vis movendi ad detestationem incipit & residet penès complexum vt tale, quin Deus ex parte sua habeat vim partialem ex se movēdi ad detestationē de ipso, & in hoc stat quod moveat indirectè, remotè, & prout in alio, sive æquivocè, & prout in toto, à quo toto vt tali, incipit detestabilitas infinita, quin ex parte Dei præcesserit aliquis sapor de-

tentabilitatis fui. Idem cernitur in comestione prohibita movente ad vindictam, quin prohibitio cum sit ex se lex sancta, habeat vim adhuc partialem movendi ex se, sed æquivocè & prout in toto; in quo differt ab opere bono Iusti præmiabili, atque movente Deum ad præmium: bonitas enim operis importat virtutem incohatam partialē movendi, & sanctitas operantis etiam aliam virtutem partialem; & ex vtraque resultat vis totalis movendi ad præmium condignum. Sunt enim causæ similares & quæ ex se important aliquam incohationem placendi Deo, & virtus plena placendi & movendi conflatur ex vtraque. Præmissa ergo superna ex se nullam habet vim movendi ad falsum, nisi quatenùs priùs sit fundatio eius in illo complexo falso.

355 Obijcies: Potest actus supernus fieri proximè ex imperio voluntatis malo: ergo etiam conclusio falsa ex motione proxima supernæ præmissæ veræ. In primis negatur antecedens à multis, quia Deus tunc non dat principia superna ad opus illud internum, quod cedit in beneficium ipsius operantis, si operans moveatur ad illud ex voluntate inhonesta; *de quo in Materia de Bonitate, & Malitia*, & alibi, nisi tamen detur in operante, simul cum imperio malo aliud bonum movens ad tale opus, & tunc motio à malo se habeat concomitanter. Vndè si homo vellet conjungere præmissam supernam cum falsa, ex intentione concludendi talem conclusionem, adhùc posset esse sub lite, an Deus daret auxiliū ad talem præmissam veram vt eliceretur superne; an verò tunc negando auxilium, eliceretur præmissa naturalis vera. Quod si admittatur dare auxilium ad ipsam secundum se, dicendum vt supra, tunc se habere remotè & de per accidens ad conclusionem falsam.

356 Sed respond. 2. ad argumentum, dato antecedens, negando consequent. quia tunc actus ille supernus solum esset malus ab imperio extrinsecè; non verò intrinsecè

secè & in se, quo solum pacto procedit ab auxilio superno dato operanti, vt operetur ob finem bonum, & ipse abuteretur. Quod autem habet de denominatione mala, non habet à Deo, sed à mala hominis applicatione, qui est promotor talis ordnationis ad finem, & promotor vsus comprincipiorum supernorum ad illum finem; sicut contingit in consecratione mala, cuius Deus non est causa specialis moralis, sed specialis physica.

¶ Vndè illud imperium habet vim obligandi, & determinandi voluntatem pro vsu libero comprincipiorum ad actum supernum, cum imperium sit efficax, & talis vsus sit positus à Deo in potestate hominis, & quantum ad hoc materialiter se habente supernaturalitate talium principiorum, quia ita posita sunt in manu hominis pro quocumque fine extrinseco, ac si essent principia naturalia & pro actu naturali. Hæc pro antecedenti concesso.

357 Consequentia autem negari debet, quia si in præmissa vera, esset motio proxima pro conclusione falsa, deberet ista contineri in vulva intrinseca illius. In vero autem secundum se, falsum contineri nequit intrinsecè. Vt enim contineatur iam probavi debere transmutari, & confundi quasi per novam funditionem in illud conflatum falsum identitatis extremorum cum vno tertio. Insuper, quia omnis actus intellectus necessario est intrinsecè virtus mentis. Qui ergo essentialiter est Virtus perfectiva intellectus non poterit ex se esse vis, sive vires ex se ipsis vitiativè intellectus & inductivè ipsius ad falsum. Vndè licèt Virtuti permitti possit aliqua vitiatio extrinseca, secùs intrinseca, & ideò dici solet quod Virtute, id est vi Virtutis, nemo male vti potest.

358 Hinc dico, non ideò negandus est prædictus influxus, quia tribueretur Deo Authori talis præmissæ, (potiùs enim tribueretur homini abutenti ea) sed ratione non continentiæ.

QVÆSTIO

# QVÆSTIO VI.

## DE REVELATIONE DIVINA.

### ARTICVLVS I.

### NOTANTVR ALIQVA DE DIVINA locutione.

359 SVmmitur hìc revelatio pro locutione propria & stricta Dei. Nota ergo primo, quod hæc non est quævis productio signi adhùc cum intentione significandi, nam hoc etiam convenit divinæ inspirationi, quę non est locutio stricta. Prętęr ergo significare rem, requiritur quod significet, producentem signum ita sentire. Probatur: Tùm quia locutio est instituta ad significandas res prout conceptas. Tùm quia veracitas, cuius est gubernare locutionem, habet de per se ordinare signa rerum prout conformia cum mente.

360 Vndè loquutio etiam divina, & potest esse locutio impropria, & propria atque stricta. Illa intendit significare rem, sed non vt concepta m. Talis est inspiratio, quę à Patribus etiam vocatur locutio Dei ad cor animę. Sic etiam res inanimatę aliquando dicuntur voces Dei sicut de motu Cœlorum dictum est: *Quod Cœli ennarrant Gloriam Dei, & quod non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum*, id est voces Cœlorum. Sic etiam mors amicorum repentina dici solet admonitio & vox Dei pro conversione nostra. Vocantur autem sic, quia licèt non significent cõceptũ Dei, sunt tamẽ secũdario signa, vel quasi signa facta ex intentione, vt aliquid nobis innotescat, sed non significant primario conceptum Dei ita

sen-

sentientis. Stricta autem locutio addit significare Deum ita sentire. Solum stricta est obiectum formale Fidei, secùs lata; nam solum stricta explicat Deum ita sentire, ac per consequens sola hęc applicat Mysterio revelato Authoritatem Divinam includentem iudicium Dei.

361 Nota 2. pro Sacrę Scripturę studiosis, locutionem strictam Dei esse duplicem. Vna est interna & alia externa; nam licèt vtraque fiat extra Deum, illa tamen fit per signa interna facta intra nostras potentias internas, v. g. quando Deus loquitur cum dormiente, sensibus externis nihil percipientibus. Externa autem fit, dum Deus profert signa externa locutiva, quę percipiuntur per sensus externos, vt dum Deus format voces in aere, quæ auribus percipiuntur. Interna est adhuc duplex; nempè vel intellectualis quę fit per signa & cognitiones spirituales immediatè producta in ipso intellectu, quin præcesserint in potentijs corporeis, sed immediatè repręsentant intellectui obiectum ipsum & conceptum Dei; tales autem cognitiones dicuntur immissę à Deo, non quia intellectus non concurrat vitaliter ad illas, sed quia non concurrit liberè, sed Deus determinat per species intellectum ad illas.

363 Alia est imaginaria, quando locutio fit per signa interna, immediatè producta in potentijs internis corporeis. Per hęc autem signa, obiectum quod percipitur, debet esse sensibile & modo sensibili, quia potentia corporea solum potest percipere sensibile vt tale, licèt indè intellectus manuducatur, vt percipiat obiectum spirituale, vel modo spirituali. Hęc autem locutio imaginaria adhùc fit dupliciter, id est vel per voces, vel per imagines & spectra sensibilia, nempè si absque vocibus externis infundat Deus, vel excitet species impressas corporeas, significativas imaginum sive vocũ, quę exprimant rem & conceptum loquentis. Sic apud plures fuit imaginaria interna in Isaia acclamatio illa

Se.

Seraphinorum clamantium. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Pro his & alijs similibus videatur P. Antonius Fernandez in præludijs ad visiones Veteris Testamenti.

364 Nota 3. Locutionem Dei aliam esse mediatam & aliam immediatam. Illa datur, quando Deus immediatè loquitur Ministro, & iste loquitur nobis. Ista verò quando Deus ipse loquitur nobis manifestando rem & conceptum suum, vt loquebatur Prophetis. Vndè locutio immediata Dei consistit in immediata productione ab ipso Deo cognitionis repræsentantis rem, procedente immediatè à iudicio divinæ mentis, ex eiusque directione, Deo specialiter influente, & operante ex illa. Tàm immediatam voluit esse Deo hanc locutionem Noster Bonæ Spei, vt docuerit, revelationem divinam consistere in ipsa cognitione increata Dei, applicata per vnionem ipsi intellectui Prophetę, sicut docuerat de Visione Beata *in Tract. de Visione.* Sed examinare hoc non est huius loci. *Vide à num.* 1317. *de Incarnatione.*

365 Hinc perceptio sive auditio divinę locutionis interne consistet in cognitione altera reflexa percipiente primam cognitionem Dei in nobis productam vt repręsentantem rem & conceptum Dei, quia nihil aliud est auditio, quàm perceptio signi locutivi alterius. Vndè S. M. THERESIA in Libro suę Vitę atque itineris perfectionis, dicit quod, cum Deus Animę loquitur, (locutione stricta) eam tanta claritate & certitudine percipere vocem Dei, & cognoscere Deum esse qui loquitur illi, vt pro tunc non possit de hoc dubitare. Nec mirum, quod talis perceptio sit certa, cum D. Bernard. apud Fernandez dicat, quod auditio illa est operatio ipsius Dei.

366 Dedimus hanc locutionis divinę immediatę explicationem, iuxta probabilem sententiam. Etenim alij *in Materia de Angelis* censent infusionem speciei impressę à Deo, posse eo ipso esse locutionem; erit autem

tem auditio productio cognitionis. Sed decisio hujus nihil interest nobis pro nunc. Melius autem dici videtur cognitionem ipsam prove activè à Deo, fore locutionem, & prove passivè in nobis fore auditionem. Iuxta explicationem autem superius datam divinæ locutionis, dicendum est quod etiam si ad imaginariam precedat productio, vel excitatio speciei representantis rem & vocem Dei; eam tamè consistere in productione phantasmatis expressi proveniente à Deo ex directione judicij sui, quia per eam Deus nobis manifestat rem & conceptum, & per eam, vel per aliam reflexam nos audimus ipsum loquentem.

367 Nec ex eo quod ibi non detur vera vox, nec res sensibilis significata, sequitur deceptio à Deo significans vocem & rem. Etenim cum illa significatio sit figurata & non detur affirmatio existentiæ vocis aut rei ibi, non erit deceptio, vt dictum est de apparitionibus in Eucharistia, & de signis non assertivis, sed enuntiativis, Quæst. præced. Art. 3. Licèt enim ex tali imaginatione locutiva, sequatur apprehensio intellectualis: hæc non erit locutio, quia non est signum productum à Deo in intellectu, sed resultans ex locutione imaginaria. Similiter dicendum de locutionibus externis consistere in productione signi, imaginis, vel vocis formatæ in aere ex directione divini judicij ad significandam rem prove conceptam: talis censetur fuisse vox Patris Æterni in Iordane, & in Tabor.

368 Diximus de locutione immediata Dei; locutio autem mediata, sive per Ministrum, vltra dicta *num.* 320. potest fieri à Deo multipliciter. Nam primo, potest Deus Angelum facere instrumentum ad signorum productionem, ad eamque specialiter determinare. Tunc autem locutio divina erit mediata, quia fit medio Angelo, & consistet in illa signorum productione significantium rem & divinum judicium ita sentire, procedenteque à Deo vt causa principali, & ab Angelo

gelo vt instrumentali. Secundo, potest contingere vt Angelus se determinet physicè ad locutionem, Deusque physicè concurrat ad illam solum generaliter: tribuatur autem locutio Deo, quia sua authoritate specialiter assistit Angelo vt loquatur verum & non falsum. Sicut Spiritus Sanctus assistit Ecclesiæ in definitionibus. Tunc autem locutio meditata consistit in productione talis signi ab Angelo, sed non vt procedentis à Deo, sed solum vt infallibilitati à divino judicio suæ assistentia significante Deum ita sentire. Et hęc non est rigorosa locutio Dei, quia non est à Deo.

## ARTICVLVS II.

### *AN PVBLICA REVELATIO SVFFICIAT AD Fidem? Sententia hæreticorum reijcitur.*

369 DVplex est revelatio: alia publica, alia privata. Hæc vel est privata ex parte materiæ, vel ex parte personæ cui fit, vel ex vtroque simul. Ex parte materiæ, quia talis materia revelata non pertinet ad commune Ecclesiæ bonum sive statum, nec dirigitur à Deo vt credatur à tota Ecclesia; sed dirigitur ad bonum particulare. Ex parte personæ, quia revelatio fit personę privatæ, & non fit Principibus & Capitibus Ecclesiæ, quatenùs destinatis ad docendam Ecclesiam Mysteria accepta à Deo, v.g. Apostolis & Prophetis, qui instituti sunt à Deo vniversales Magistri, vt Ecclesiæ tradant veritates, quas à Deo acceperunt. Revelatio igitur facta istis est revelatio publica, Catholica id est vniversalis, quia credenda ab omnibus fidelibus. Est autem difficultas, an ista sufficiat ad Fidem divinam infusam, & Theologicam exercendam, vel an requiratur vt cuilibet homini fideli fiat privata alia revelatio? Istud secundum docent Calbinistæ, & ali j

alij hæretici apud Belarmin. *de Verbo Dei*, *lib.* 3. *c. cap.* 3. Asserentes non requiri primam, nec sufficere. Ita etiam tenet Schola illa, quam Hispani vocamus *de los Alumbrados*.

370 Hæc sententia est manifestè hæretica, & contra primam partem arguo: nam Ioannis 1. dicitur de Baptista missum fuisse à Deo; *vt omnes crederent per illum*. Vndè non per solas revelationes privatas factas spiritui cujuscumque. Et Marci vltimo dicitur Apostolis: *Vt prædicent Evangelium omni creaturæ; & quod ille qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; & qui non crediderit condemnabitur.* Confirmatur: Tùm quia docere per hominem & per caput visibile est maximè conforme suavitati providentiæ Dei, qui sicut primos parentes per se produxit, quia non erat alius homo producens; & deindè per ipsos producit alios homines: sic ipse per se ipsum primos homines, id est Prophetas & Apostolos per se ipsum instruxit, & per illos nos. Tùm quia in Republica qualibet dantur Principes & Iudices ferentes sententias, quin instructio & decisio dubiorum relinquantur spiritui cujuscumque: ergo multo melius in Republica Christiana, & in rebus tantæ difficultatis & momenti. Requiritur ergo ad Fidem vniversalem & communem revelatio publica, & per Magistros vniversales.

371 Contra secundam partem arguo sic: Tùm quia sequeretur confusio magna in Ecclesia. Quilibet enim somniare posset aliquid sibi à Deo revelatum, sicque pro libito separari ab Vniversali Ecclesia, & aliam sibi Ecclesiam fundare in Fide suæ revelationis, & cum alter posset somniare oppositum, fierent plures Ecclesiæ, sibi ipsis contrariæ in dogmatibus cum summa confusione. Est enim Ecclesia, vnum Ovile, & vnus Pastor: ergo Fides vniversalis & communis non pendet à proprio spiritu. Tùm quia si homines non sunt instruendi per alios homines in Mysterijs Fidei, sed

quilibet particulariter à Deo immediatè, quomodò isti hæretici suos instruunt sequaces? Vndè enim instruunt eos in doctrina Fidei, vel in alia doctrina humana? Si primum: ergo non immediatè à Deo sunt discipuli instruendi. Si secundum: ergo si quis dicat, sibi esse aliquid revelatum contra humanam doctrinam hæreticorum, ex hac privata revelatione corruet omnino securitas vestræ hæreticæ doctrinæ.

372 Tandem quia hæretici ajunt, neminem posse credere Fide divina sine privata revelatione; & posita ista, iam non posse non credere. Hinc probo nullum posse dari hæreticum in mundo, qui talis esse convincatur. Quilibet enim homo, vel habet talem revelationem, vel non? Si habet, eo ipso credit, & non est hæreticus. Si non habet, non credit; tamen quia nec tenetur, nec potest: ergo non erit hæreticus vllus, quod est contra Sacram Scripturam, & Concilia: imò & contra ipsos adversarios, qui nos Ecclesiam Romanam sequentes, impudenter vocant hæreticos.

373 Obijciunt 1. illud Ierem. 31. *Dabo legem in cordibus eorum, & non docebit vltra vir proximum suum, nec homo fratrem suum dicens: cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me à minimo vsque ad maximum.* Hæc Ieremias: ergo omnes noscent Deum absque homine docente, Deo illos privatim in corde instruente. Confirmatur: quia certum est absque superna illustratione neminem posse credere Fide divina; atqui talis illustratio eo ipso est revelatio privata: ergo. Quidam respondent, Ieremiam loqui de Beatis: si autem de illis loquitur, facillima & optima est solutio.

374 Respond. tamen 1. Ieremiam negare, quod vir privatus egeat docere domesticè proximum, vel fratrem suum de Deo tempore Apostolorum, quia tunc tanta fuit copia noscendi Deum, vt non esset necessarium in gentilitate sicut antea, magisterium privatum & domesticum, quod exercebant Patres familias,

lias, vel antiqui iusti in domibus suis. Postea autem missi sunt Prophetæ post Patriarchas docentes populum, sed populum tantum Israel & vnam parvam nationem; è contra verò Apostoli docuerunt totum mundum, & tàm extraneas nationes, quàm amicas illustrarunt: *Siquidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*; & per eorum ministerium introduxit Deus legem in cordibus credentium.

375 Vel respond. 2. Res magnas in Scriptura tribui soli Deo, sicut montes alti vocantur montes Dei. Cognitio ergo de Deo in Lege Gratiæ, cum sit valde sublimis, dicitur esse edoctio & instructio Dei; Ipse enim fuit causa principalis & Apostoli instrumentales, docentes nomine Dei & non suo: non ergo docebat vix fratrem ita vt Viro tribueretur, sed Deus erat qui docebat per virum, doctrinam præbendo & miraculis confirmando. Ad confirmationem respond. ad Fidem divinam requiri illustrationem vt conditionem, applicativam particularem, sed supponentem revelationem vniversalem. Talis autem illustratio, nullatenùs est loquutio, nec revelatio privata, sed nuda inspiratio, vt supra dictum est Articulo præcedenti.

376 Objices 2. Illud Ioann *Epist. 1. cap. 2.* dicentis: *Vnctionem quam accepistis à Deo, in vobis maneat; & non necesse habebitis vt quis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendatium*: Ergo vnctio interna Spiritus Sancti docet nos credenda, ita vt non sit necessarium quod Apostoli, vel alia Ecclesiæ Capita visibilia nos doceant de credendis: ergo sufficit revelatio privata, & non est necessaria publica. Argumentum istud tanto est difficilius, quanto clarius videtur alludere & conformari cum textu Ieremiæ nuper adducto, & Ioannes in isto annuere videtur, advenisse iam tempus illud in Lege Gratiæ, quod fuit Prophe-

patum à Ieremia, de eo quod non sit necessaria instructio hominis pro credendis.¶ Nota tamen Ioannem in loco isto capitis docere Discipulos: quod non faceret, si nulla esset necessitas sui Magisterij. Tria autem præcipuè ex his quæ docet ibi, notanda. Vnum est, quod cõstanter teneant quod audierunt, (utique ab Apostolis) Aliud est quod non audiant seducentes. Tandem quod attendant ad suam vnctionem.

377 Cum autem duo requirantur ad credendum de Fide, vnum quod Mysterium sit à Deo dictum atque ab Apostolis promulgatum, aliud quod adsit Spiritus Sancti interna inspiratio & illustratio, quam vocat Ioannes vnctionem, quia sequitur ad lumen Fidei quo vngimur in Baptismate, intentum ejus fuit advertere, quod cum iam simus ab Apostolis edocti exterius de credendis, & interius ab Spiritu Sancti illuminati (per inspirationem, non per locutionem,) nulla est necessitas, vt audiamus alienos Magistros, qui seducent nos. Ita Cornelius Alapide ad hunc locum ex Belarmino, & hoc fuit, ac si Catholicus Magister diceret Christianis, videns quod hæretici intenderent illos pervertere: *Non est necesse, vt vos instruamini à Lutheranis, cum sufficientèr sitis instructi per Catholicos exterius, & per inspirationem Spiritus Sancti interius.*

378 Tandem obijciunt illud dictum Christi ad Apostolos, Matth. 23. *Nec vocemini Magistri. Vnus est enim Magister vester, qui est Christus*: Ergo Apostoli non sunt Magistri nostri, sed Christus solus; atqui Christus nunc non aliter doces nos, quam per internam illustrationem: ergo in hac stat nostra Fides, & non in publica revelatione proposita per Ministros. Respond. cum Maldonato, Christum non intendisse, quod Apostoli non sint Magistri nostri, sed solum non esse Magistros in præsentia Christi, vel comparative ad Christum. In quo sensu alibi dixit, quod nemo bonus nisi Dominus, id est comparatus cum Domino.

Dum

Dum autem prohibet se vocari Magistros, non est quia non sint, sed vt fugerent fasum & vanitatem Pharisæorum, qui ex ambitione tunc vocabant se Magistros antonomasticè.

379 Infero requiri pro Fide communi Ecclesiæ, revelationem publicam; privatam autem revelationem, quæ sit revelatio stricta, non esse necessariam ad Fidem divinam, quia sufficit authoritas divina revelans publicè proposita. Licèt enim vt dictum est, ad exercendam Fidem sit nobis necessaria interna inspiratio sive illustratio, quia nemo potest credere vtiliter sine divinis auxilijs, sed inspiratio non est revelatio privata, sed instigatio ad credendum, quod iam erat revelatum.

## ARTICVLVS III.

### *AN SALTIM SVFFICIAT AD FIDEM PRIvata revelatio?*

380 DIximus, sermonem posse esse de Fide divina, vel sumpta vt vniversali, & Catholica, vel sumpta vt superna Theologica præcisè. Vtrumque convenit eidem habitui, sed est divinus, & Theologicus ex propria natura; Catholicus autem videtur esse ex conditione applicativa objecti ad potentiam, sive ex denominatione sumpta à publicitate, & vniversalitate propositionis Mysterij revelati. Hæc autem publicatio per Ecclesiam contingens est habitui Fidei. Etenim hęc operabatur in primis Parentibus, & etiam in Angelis à primo instanti, credendo Mysteria revelata absque vlla propositione per Ecclesiam. Variæ igitur sunt sententiæ circa hanc quæstionem. Prima affirmat revelationes privatas vt à Deo factas sufficere ad Fidem respectu eorum, quibus certo innotescunt. Ita communiter Recentiores. Secunda negat, & est com

mionis inter Thomistas. Verum tamen est, quod Pater Gonet hic *disput. 1 artic. 3.* ait Thomistas esse intelligendos, dum negant, non de Fide divina vt Theologica, sed vt Catholica; nam hęc apud omnes petit revelationem publicam, tàm ex parte materię, quàm ex parte proponentis.

381 Ipse verò adhùc distinguit duas revelationes privatas à Deo factibiles. Vna quæ sit de re pure temporali, & non pertinente ad Deum; alia quæ sit de re prout pertinente ad Deum. De ista secunda affirmat, pertinere posse ad Fidem vt Theologicam & divinam, licèt non vt Catholicam. De prima autem negat omnino, docens solum pertinere talem assensum ad donum Prophetiæ, & non ad Fidem divinam, quia hæc in omni actu suo est de re prout pertinente ad Deum tanquam ad objectum *quod* essentiale Fidei.

382 Assero 1. Ad Fidem Catholicam sub denominatione Catholicæ non sufficit privata revelatio; ita communiter Doctores. Probatur: quia sub hac ratione Fides fundata est, vt dicit Scriptura, supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum: & ad hanc doctrinam præcipuè vocatur Ecclesia Fundamentum & Columna Veritatis. Et in hoc sensu dixit Augustin. quod non crederet Evangelio, nisi authoritas Ecclesię ipsum docuisset. Ratione prob. etiam, quia Fides vocatur Catholica, id est vniversalis, ac per consequens de credendis ab omnibus Christi fidelibus.

383 Assero 2. Sufficere revelationem privatam quando est de re pertinente ad Deum, ad Fidem divinam, & Theologicam entitativè & essentialiter sumptam. Hanc docent Recentiores, & etiam tenet Gonet. Probatur: quia omne specificativum essentiale Fidei Theologiæ reperitur in tali revelatione privata, nempè prima Veritas revelans, & revelans aliquid Dei; ergo sufficit ad Fidem Theologicam. Hoc intellige,

quan-

quando sufficienter constat, & certissimè constat de tali revelatione facta à Deo, vt quando ipse qui credit, revelationem talem habuit. Si autem solum constet probabilitèr, & ex privata relatione alterius, insufficiēs erit talis applicatio ad Fidem Theologicam supernam, quę non tendit, nisi in certissimum sub ratione & applicatione certissima.

384 Probatur 2. Conclusio *ex Tridentin. Sess. 6. Can.* 13 vbi ait: Si quis dixerit magnum illud perseverantiæ donum vsque in finem se certe habiturum absolutè, & infallibili certitudine, nisi hoc speciali revelatione didicerit, anathema sit. Ecce Concilium satis insinuat posse aliquem ex speciali, & privata revelatione scire certo & infallibilitèr se moriturum in gratia. Hęc autem certitudo est Fides divina & Theologica. Tùm quia est assensus certus propter dictum Dei: ergo est Fides. Non autem Angelica & humana: ergo divina. Tùm quia ab isto assensu propter dictum Dei, & ab assensu Trinitatis propter dictum Dei abstrahit ratio communis assentiendi propter divinam Authoritatem, quę non solum est infallibilis in testificando publicè, sed etiam privatè. Vndè Belarminus, Suarez, Granad. & plures alij pręsenti habitui tribuunt assensus propter revelationem privatam, ne multiplicēs habitus sine necessitate.

385 Si dicas: privatam de qua loquimur, sufficere quidem ad Fidem Theologicam supernam possibilem, secùs ad hanc quę de facto est, quia ista non solum est Theologica, sed Catholica ex se, atque ex se ipsa, determinata ad assensum objecti revelati, vt ab Ecclesia proposita, ita vt specificativum essentiale sit Mysterium revelatum prout sub hac modificatione propositi ab Ecclesia. Sic nos dum sermo esset de Virtutibus Theologicis Christi diximus, Fidem actualem esse essentialitèr coarctatam ad Mysterium prout obscure propositum, licèt non habet id Fides alia possibilis. Sed contra, quia Fides hęc nostra actualis est ejusdem speciei

cum

cum Fide primorum Parentum, & Apostolorum in via, qui crediderũt revelata à Deo absque eo quod daretur propositio Ecclesiæ: ergo ex se non habet hæc Fides talem limitationem, & sic ratio universalitatis & Catholicæ est contingens tali Fidei Theologicæ. Vndè si alicui fieret à Deo privatim talis revelatio, eo ipso teneretur credere divinè & Thvologicè, quia Deus dicit, & crederet superuè, siquidem habet principia superna ad talem Fidem.

386 Dixi Fidem nostram de facto existentem, non esse essentialiter Catholicam. Assero tamen 3. Quod non repugnat de possibili habitus Fidei supernus, ita essentialitèr Catholicus & alligatus ad rem revelatam à Deo, prout propositam ex authoritate publica, vt nequeat ellicere assensum Fidei circa revelationem privatam vt talem. Probatur primo: Quia in tali habitu nulla apparet essentialis repugnantia: ergo, &c. ¶ Probatur 2. Quia dantur alij habitus, & actus specificati essentialitèr ab objecto formali suo; sed prout proposito tali, vel tali modo, quin modus proponendi, & si essentialitèr requisitus, sit ratio motiva attingendi. Patet, tum in voluntate essentialitèr specificata à bono vt bono, sed prout intentionalitèr proposito. Item apud plures Virtus superna affectiva specificatur essentialitèr ab objecto suo prout honesto, sed tamen proposito cognitione superna. Item habitus scientificus, sive discursivus specificatur essentialitèr ab vno objecto suo prout illato ex alijs, tamen vt propositis per præmissas formales: ergo licèt habitus Fidei divinæ essentialitèr specificetur, vt à motivo formali, à divina revelatione, atque authoritate, poterit dari habitus, qui essentialitèr specificetur ab illis, tamen prout propositis propositione quadam publica & vniversali; talis autem habitus esset essentialitèr Catholicus.

387 Objicies 1. Est dabilis Fides essentialitèr Catholica: ergo talis erit, quæ nunc datur. Probatur consequentia, quia ita insinuat Scriptura. Sic in Tractatu

de

*de Incarnatione*, diximus Fidem, quæ de facto est esse essentialiter obscuram, licèt sit possibilis non obscura positivè; ducti, quia habet signa obscuræ in Scriptura: ergo Fides præsens nequivit esse de revelatione privata, adhuc per aliquem actum, quia in Scriptura signa ejus sunt signa Catholicæ. Respondetur negando consequentiam & paritatem, quia signa pro Fidei præsentis obscuritate sunt Textus Scripturæ, & Patrum, qui sunt *definitio Fidei præsentis* per obscuritatem in subjecto; ac licèt dentur aliqui Textus significantes universalitatem in hac Fide, sed non tales, qui sint definitio, & sic non repugnat, quod illa eadem Fides, quæ Catholica est eliciat assensus revelationis privatæ, quia signa Catholicæ non sunt essentialia, sicut signa obscuritatis.

388 Major difficultas est, quando res revelata est privata ex parte materiæ, & non pertinet ad Deum, sicut si Deus revelaret alicui numerum stellarum, Pater Gonet citatus tenet cum alijs non posse assentiri per habitum Fidei, sed per lumen Prophetricum. Existimat enim, ad Fidem præter assentiri ob Dei dicentis authoritatem, requiri vlterius essentialiter quod habeat pro objecto Deum, vt Deum, sive rem, provt relatum ad Deum.

389 Assero 4. Quod assensus cujusliber rei etiam temporalis nixus divina authoritate, etiam si sit de numero stellarum revelato à Deo, vel de qualibet alia re extranea, est assensus Fidei divinæ Theologicæ. Probatur: Tùm quia daretur ibi essentiale specificativum Fidei provt divinæ, & provt Theologicæ, nempè divinum testimonium infallibilitans talem assensum ex illo motivo, *quia Deus dicit*, per quod differt à Fide humana. Tùm quia cum esset de numero stellarum vt dicto à Deo & vt existenti, & non vt futuro, esset Fides & non Prophetia. Item etiamsi, vltra talem motivum essentiale includens ipsum Deum in ratione objecti

for-

formalis attestativi, requiratur quod in objecto credito attingatur Deus, iam id reperitur modo sufficienti ad Fidem. Etenim non requiritur ad istam, quod objectum ipsum creditum sit Deus, nec quod in objecto credito exprimatur relatio ipsius ad Deum, vt patet in illo actu: *Assentior Abraham genuisse Isac*, quia Scriptura dicit, Deusque attestatur, vbi non expressatur relatio ad Deum ex parte objecti crediti: ergo solum requiritur, quod objectum creditum sit reducibile ad Deum, vt effectus ipsius, vel alio modo, quod iam convenit numero stellarum, & cuilibet alij rei revelabili.

390 Objicies 1. Quod non potest referri ad Deum nequit specificare Fidem Theologicam, sicut nec Charitatem, aut Spem; atqui quando Deus revelat aliquod temporale sub ratione temporalis, & non pertinens ad communem statum Ecclesiæ, nec ex parte modi proponendi, nec saltim ex parte sua, non potest referri ad Deum, v. g. si revelet numerum stellarum; ergo. Hoc argumentum est Pater Gonet pro sua Sententia.

391 Objicies 2. Ex D. Thom. in 3. Sententia ab ipso adducto, vbi docet, objectum diversimode tangi à Fide & à prophetia: à Fide enim tangitur passio Christi, v.g. sub ratione aliqua æterna, v.g. *Deus est passus*; à prophetia verò sub ratione temporali: ergo quando aliquid proponitur à Deo sub ratione temporali vt tali, eo ipso nequit esse objectum Fidei.

392 Respond. distinguendo majorem: quod non potest referri ad Deum ex parte motivi, id est ad Deum vt dicentem, nequit esse objectum Fidei, concedo; ex parte rei dictæ, nego. Sicut enim Petrus amatur ex Charitate propter Deum solum ex parte motivi, ita & in Fide potest contingere. Secundo, data major. nego minorem: quia ex parte rei dictæ, quivis effectus referri potest ad Deum, vel vt effectus, vel vt signum,

vel

vel vt contrarium ipsius, licèt per illum actum non exprimatur hujusmodi relatio, nam nec id requiritur expressatè, dummodo expressetur ex parte motivi. Tunc autem refertur ad Deum vt *quod*, nō relatione expressionis, sed solum ordinationis & conducentiæ, imbibitæ ad plus manifestandum Deum, vt *quod*.

393 Ad confirmationem, respond. Divum Thomam non negare, quod res temporalis possit credi Fide divina, sed solum; quod ille actus, sive assensus, vt est prophetia attingat objectum sub ratione temporali vt tali, nempè quatenùs est futurum: vt autem est Fides prescientiæ à futuritione objecti, & attingit rem secundum se sub ratione æterna, & secundum quam semper sit vera, vt v. g. creditio Passionis Christi ad Redemptionem, quæ credi poterat in omni tempore, præscindendo à futuritione, à qua nequibat præscindere Prophetia vt talis. Vndè Prophetia, si innitatur dicto Dei, non excludit rationem Fidei; non tamen est Prophetia quia Fides, sed quia de objecto futuro & procul; nec est Fides quia Prophetia, sed quia de re dicta à Deo, quæ vera est secundum rationem æternam, etiam postquam futuritio transivit.

## QVÆSTIO VII.

### *DE CONTINENTIA VNIVS OBIECTI IN alio in ordine ad Fidem.*

### ARTICVLVS I.

### *VTRVM PARTICVLARE CONTENTVM IN universali revelato sit de Fide eo ipso?*

394 TRIPLICITER potest constare de continentia in vniversali. Primo, evidenter absolutè; sic in omni homine redempto à Christo continetur Petrus.

trus. Secundo, evidenter moraliter: sic in omni Concilio legitimo habente assistentiam Spiritus Sancti, continetur Tridentinum; de quo fuisse legitimum, constat nobis evidentia morali ob tot signa, ita vt nullus prudens possit dubitare. Tertio, probabiliter: sic sub omni Hostia consecrata ritè, continente Christum, continetur hæc Hostia particularis determinata.

395 Nota 2. ad Fidem duo essentialiter requiri, nempè objectum revelatum, & propositionem, media qua constet potentiæ de illo. Quando objectum particulare verè continetur in vniversali revelato, iam est revelatum, sive contentum in revelatione. Sicut vnus piscis cum alijs in rete omnes capienti. Sed vltra hoc requiritur, quod constet intellectui de continentia, & quod constet modo sufficienti, vt potentia assecuretur, & judicet prudenter certam talem continentiam. Quæritur ergo, an sufficiat, quod constet physicè, aut evidenter moraliter? Vel an sufficiat probabiliter, vel an requiratur, quod evidenter metaphysicè?

396 Assero 1. Vt particulare sit de Fide, sufficiunt prima & secunda continentia. Ita Petrus Hurtado *disputat. 11. sectione 3.* Bonæ Spei, & plures alij. Probatur: quia eo ipso informatur verè & in re divina revelatione de omni, & insuper habet proponi ab Ecclesia: ergo hoc sufficit ad Fidem Theologicam. Consequentia patet, quia eo ipso datur specificativum essentiale, & conditio necessaria propositionis Ecclesiæ, nam constat nobis per Ecclesiam Deum in vniversali propositione loqui de omni. Confirmatur: quia constat nobis evidenter physicè de Petro homine, & evidenter moraliter de Tridentino vt Concilio legitimo contineri in vniversalibus: ergo eo ipso tenemur credere Fide divina Redemptionem de Petro, & assistentiam Spiritus Sancti de Tridentino, quia Deus revelavit, ad quam creditionem, cum sit de objecto

verè

verè revelato, non poterit habitus Fidei non concurrere.

397 Objicies 1. Hęc conclusio non est metaphysicè certa: *Omnis homo est redemptus; sed Petrus est homo: ergo redemptus*; atqui propositio non est de Fide divina, quando non est metaphysicè certa: ergo. Major patet, quia conclusio sequitur debiliorem partem, & quod Petrus sit homo non est certum metaphysicè, nam potuit esse phantasma.

398 Nota, quod magna est differentia inter hunc actum: *Ergo Petrus est redemptus*, & hunc: *Petrus est redemptus*. Iste est Fides & metaphysicè certus, quia nititur vt motivo dicto Dei revelante. Ille est conclusio Theologica, & non certus metaphysicè à motivo, nempè *quia Petrus est homo*; potuit enim esse phantasma. Concedo ergo totum argumentum de illa conclusione, secùs de isto assensu immediato ob dictum Dei.

399 Assero 2. contrà aliquos Recentiores: Continentia probabilis non sufficit ad Fidem divinam, v.g. quod *hac Hostia sit ritè consecrata*, siquidem vt sit de Fide, quod Christus est in hac numero Hostia, pendet essentialitèr ex eo quod sit rite consecrata, & etiam ex eo quod constet, proponi ab Ecclesia formaliter vel ęquivalenter, Christum in tali Hostia; atqui licèt à parte rei sit verum esse ibi Christum, non constat, nec est nobis certum, sed probabile proponi id ab Ecclesia: ergo. Minor probatur: quia Ecclesia solum proponit, Christum esse in omni Hostia ritè consecrata; non autem est certum, nec physicè, nec moralitèr, hanc esse de illis: ergo non est certum, quod Ecclesia in sua propositione loquatur de ista: non ergo habet omnes conditiones essentialiter requisitas ad Fidem divinam.

400 Confirmatur 1. Non potest quis prudentèr credere vt certum & firmum & quod non possit aliter se habere, id de quo judicat, non esse certum & firmum,

sed

sed probabile, quodque possit aliter se habere; atqui qui crediturus est Fide divina superna Theologica, Christum in hac Hostia, est crediturus vt firmum & certum,& impossibile aliter se habere: ergo non poterit credere Fide divina, si solum habeat judicium probabile de continentia hujus Hostiæ in propositione generali de ritè consecrata.

401 Confirmatur 2. contra aliquos Recentiores, oppositum tenentes: Tùm quia posset quis credere de Fide Mysterium Conceptionis (contra Bullam Alex. 7.) cum sit sume probabile. Tùm quia sequeretur, posse aliquem Suaristam credere Fide divina, quod pro actu libero bono dada est physica prædeterminatio. Probatur: quia de Fide est, dandum auxilium efficax; atqui physica prædeterminatio constat probabiliter, quod continetur sub auxilio efficaci: ergo poterit credi Fide divina Theologica. Idem argumentum fit de auxilio non efficaci ex se, sed ex cooperatione. Hoc argumentum aliquando feci in publicis Thesibus, & docti Suaristæ concesserunt totum, quod satis mirati fuimus adstantes. Confirmatur tandem, quia judicium probabile potest esse falsum, secùs Fides divina.

402 Sed dices 1. Ergo cum populus bona Fide adorat Hostiam hanc elevatam à Sacerdote, credens firmitèr ibi esse Christum, non exercet Fidem, nec habet Fidei meritum, quod sane durissimum videtur: imò esset populus admonendus, vt non credat de Fide, Christum esse ibi, sicut admoneatur, ne credat de Fide puritatem conceptionis, donec ab Ecclesia definiatur. Adde quod Cæremoniale, dum Viaticum administratur moribundo, iubet quod Sacerdos dicat ei, ostendendo illi illam Hostiam: *Credis frater, hoc esse verum Corpus Domini nostri IESV Christi?* Et infirmus respondet, *Credo*: ergo sufficit continentia probabilis ad credendum.

403 Resp. in primis, tunc habere meritum Fidei in ge-

generali animi præparatione. Respond. 2. Exercere Fidem, quia credit ex implicita suppositione, quod verè sit consecrata: An verò si creditio esset omnino absoluta? Fortè (posito quod sit consecrata verè) habitus Fidei applicabitur ad credendum, quia fortè illa bona Fides sine vlla hæsitatione concepta, supplet pro propositione Ecclesiæ in ordine ad certificandum subjectum de continentia in tali Hostia, quantum attinet vt se applicet ad credendum. Dixi, *si verè sit consecrata*, quia juxta supra dicta, nequit Fidei subesse falsum, etiam si detur bona Fides, & prudens credibilitas.

404 Objicies 2. Si non proponeretur sufficienter per propositionem probabilem, maximè quia est moralitèr possibile, quod Sacerdos non ritè consecraverit; sed hęc ratio est nulla: ergo. Minor probatur. Quod Parochus nos fallat, proponendo Articulos Fidei, est moralitèr possibile; & tamen dum verè proponit, teneor credere. Confirmatur: quia sequeretur, hanc numero Hostiam non posse licitè adorari verè; quia fortè adoro substantiam panis, dum Christum adorare intendo. Concessa majori, nego minorē. Ad probationem respond. credendum Parocho, non propter solam ejus authoritatē, sed quia tota Ecclesia, & Respublica Christiana eum approbans prudēter cēsetur, id ipsum sentire; & est moralitèr impossibile, vt tot homines pij, & docti fallantur. Vel credendum Parocho, quia præter ejus authoritatem, adsunt alia signa evidentia credibilitatis. Circa consecrationem autem hujus numero Hostiæ, nihil horum reperitur. Adde facta per Parochum propositione nomine Ecclesiæ, si quod propositum est Mysterium Fidei, sufficit bona Fides, vt habitus Fidei influat in Fidei actus.

405 Ad confirmationem nego assumptum, quia cum adoratio sit actio moralis, sufficit ad eam judicium prudentèr probabile, & recta intentio adorandi

Christum existimatum: sicut ad eleemosynam sufficit pauper prudenter existimatus talis. Applica etiam huic argumento solutiones datas præcedenti.

## ARTICVLVS II.

### ALIÆ DIFFICVLTATES DE CONTINENTIA.

406 QVæritur 1. An quando objectum solum indirectè revelatur, eo ipso maneat de Fide? Affirmo, si talis revelatio indirecta æquivaleat directæ. Vt v.g. revelatum est, in principio Deum creasse Cœlum & Terram; creatio Cœli est directè revelata, & ipsum Cœlum indirectè; sed existentia Cœli est de Fide saltim pro eo tunc: ergo revelatio indirecta sufficit; vt objectum sit de Fide. Confirmatur: quia talis revelatio verè, & immediatè attingit Cœlum, licèt indirectè, ita vt nequeat verificari creatio sive existentia terminis: ergo revelatio certissime informat illud, ac per consequens reddit illud objectum Fidei. Est tamen notandum, solum reddere illud objectum Fidei pro illo statu, in quo indirectè, & æquivalenter directè revelatum est, non pro alio; nam si creatio actualis est revelata, Cœlũ vt actuale est revelatum; si creatio Cœli solum vt possibilis est revelata, Cœlum solum vt possibile manet revelatum.

407 Quæritur 2. An revelato vno objecto, eo ipso maneat revelatum, & de Fide aliud in ipso virtualiter contentum? Respond. dupliciter posse vnum contineri virtualiter in alio. Primo, separabiliter saltim divinitùs. Secundo, inseparabiliter. Respond. ergo ad quæst. 1. negativè, si sermo sit primo modo. Ita Molina, Valentia, Contuch, Suarez, Bonæ. Spei, & plures alij. Probatur: quia ignis virtualiter continet calefacere, & ab

hoc

hoc potest separari divinitus quoad existere, vt contigit in fornace Babilonico, dum ventus roris flabat: ergo existere ignis non est metaphysicè eo ipso, existere calefactionis, aut combustionis: ergo si possunt separari quoad existere, multo magis quoad cognosci, quoad dici, & quoad revelari, & sic revelatio vnius nõ est eo ipso revelatio alterius. Est ergo de Fide revelata existentia ignis in illo fornace, secùs calefactio & combustio virtualitèr contenta in illo separabiliter.

408 Respond. 2. Etiam negativè, adhùc quando continet inseparabilitèr, & per identitatem, etiamsi inseparabilitas evidenter constet nobis, sicut de risibili respectu rationalis. Ita plures contra alios plures. Probatur: quia cum revelatio sit locutio per cognitionem, vel per vocem, & locutio sit præcisiva, potest dicere vnum, non dicto alio: sicut de movente se à longe dicimus esse animal, & non dicimus esse rationale. Confirmatur: quia rationale & risibile, licèt sint in entitate connexa, sed non metaphysicè, nec quoad dici, cum habeant diversa connotata, & discursus independens sit à risu: ergo potest nosci & dici in ordine ad illum, quin in ordine ad istum. Patet in definitione essentiali hominis solum detegente & exprimente essentialia, nempè animal rationale, prescindendo ab extraessentiali & secũdario, nempè risibili; imò esset mala definitio si exprimeret risibile. Respondebis, eo ipso manere revelatum risibile, saltem mediatè, quatenùs rationale est revelatum, & est nobis evidens, quod rationale sit ipsum risibile.

409 Contra, quia rationale est risibile quoad esse, sed non quoad dici & revelari. Etenim revelare est, *auferre velum à re*, & illam detegere, sive exprimere audienti; at risibile nec manet detectum, nec revelatum, nec dictum per illam propositionem, v.g. *Christus est rationalis*, loquendo in ordine ad proprium connotatum, quod quidem est manifestativum risibilis: sed detegitur media evidentia, qua nobis alias constat, ra-

tionale esse risibile: ergo nec est revelatum, nec de Fide. Consequent. probatur: quia illa evidentia medians, nec reddit de Fide risibile vt ratio formalis, quia non est revelatio ipsius: nec item vt conditio proponens, nam conditio proponens objectum Fidei supponit tale objectum jam informatum revelatione; atqui ante evidentiam risibile non supponitur revelatum nec dictum, vt probavi: quia revelatio est præcisiva à risu: ergo non reddetur objectum Fidei à tali evidentia, cum non sit dictum ex vi revelationis, sed manifestum alia via, nempè evidentię.

410 Nec obest 1. contra hanc conclusionem: quod duplex voluntas in Christo est de Fide; atqui solum propter vniversalem continentiam in duplici natura revelata: ergo. Concessa enim majori, nego minorẽ; sed propter specialem revelationem de ipsa voluntate. Humana enim constat ex illo textu: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*; & vtraque propter Scripturas definita est à Concilijs. ¶ Nec obest 2. Quod rationale est eadem formalitas objectiva cum risibili; vel si objectivè diversa, illa est radix istius: ergo vtraque revelata est eadem revelatione. Respond. quod etiam si sit eadem quoad esse, non est eadem impręscindibiliter propter connotata independentia, & sicut potest à nobis vna nosci sine alia, etiam poterit dici à Deo vna sine alia per locutionem, quę sit cognitio nostra, & per voces Prophetarum.

411 Nec obest 3. Carentiam corporis, & carentiam finis esse de Fide respectu Dei; atqui continentur solum virtualiter in ejus spiritualitate, & magnitudine revelatis: ergo sufficit hæc continentia. Respond. 1. eas per se ipsas esse revelatas, v.g. in Psalmo: *Magnitudinis eius non est finis, &c.* Respond. 2. Illam continentiam non esse purè virtualem, sed vel formalem, vel æquivalenter formalem. Etenim ex parte modi concipiendi, vel est idem omniaò esse spiritum & negatum corpore, vel saltèm sunt metaphysicè cla-

rè connexa, ita vt carentia corporis sit essentialitèr de expresso constitutivo spiritus, saltim connotativè, quin se habeant vt connotata diversa, & independentia.

412 Nec obest 4. Quod homo est revelatus de Christo; atqui risibile est homo: ergo est revelatum de Christo. Si neges consequent. arguo ad impossibile sic: *Risibile non est revelatum de Christo*; atqui homo est risibilis: ergo homo non est revelatus de Christo; contra concessa à me, & contra Fidem. Confirmatur 1. tàm certum est Christum esse risibilē, quàm esse hominem: ergo risibile orit de Fide in Christo, sicut homo. Et vrgetur 2. Quia negans Christum esse risibilē, haberetur hæreticus: ergo quia est contra Fidem. Respondetur argumentum non concludere, & benè negari consequent. quia facit transitum de vna linea ad aliam, nempè de esse ad revelari, sive de esse rei ad esse cogitū, quod non valet: sicut nec illatio hęc de animali à longe viso: illud quod venit expressè & clarè est animal; rationale autem est quod venit: ergo expressè & clarè est rationale.

413 Ad confirmationem respond. distinguendo *ly tam certum*: est tàm certum certitudine objectiva permitto; certitudine revelationis, & Fidei nego, quia risibile non est revelatum, nec detectum in ordine ad proprium connotatum. Vndè negans Christum esse risibilem, haberetur & puniretur vt hæreticus, sed tamen non esset propriè hæreticus, sed errans in Fide. Hæresis enim differt ab errore stricto, quia illa opponitur immediatè propositioni revelatæ, & ab Ecclesia propositæ vt revelatæ; error autem strictus revelatis opponitur mediatè, immediatè autem propositioni deductæ ex revelatis. Ratio autem propter quam puniretur vt hæreticus, est quia non præsumeretur negare omnem hominem esse risibilem, cum istud sit evidens naturalitèr; sed negare Christum esse hominem,

414 Quæritur 3. An omnia metaphysicè inclusa in revelatis, eo ipso sint revelata, & de Fide? Respond. inter objecta in alijs inclusa, aliqua esse, de quibus constat evidenter, sive ex modo concipiendi esse inclusa, & alia de quibus non constat. Quæ primo modo includuntur in revelatis, eo ipso manent revelata, & de Fide; secùs quæ secundo modo. Prima pars probatur: quia Deus revelat, Christum esse hominem, & dum Ecclesia id proponit, eo ipso proponit habere animam rationalem & corpus, & esse viventem, & Eos, quia ab his adhùc ex modo concipiendi penetrante illa, nequit revelatio aut propositio præscindere: ergo eo ipso manent informata revelatione, & propositione Ecclesiæ, si re vera ita includuntur, vt non præscindantur ex modo concipiendi.

415 Secunda pars probatur primo exemplis: nam licèt essentia gratiæ habitualis sit metaphysicè inclusa in ipsa gratia habituali, & existentia istius sit revelata, & de Fide; non tamen est revelatum, & de Fide, in quo stet talis essentia. Etiam vnio hypostatica est de Fide, & tamen prædicata inclusa in ipsa non sunt de Fide, v.g. an sit modus superadditus, vel non: quia probabile est, esse modum superadditum, & probabile est, non esse modum, sed ipsa extrema conjuncta: vna autem, vel altera ratio est essentialitèr inclusa in vnione. Secundo probatur ratione: quia vt aliquid sit de Fide, non sufficit, esse dictum à Deo impræscindibilitèr ex parte objecti, sed requiritur, quod detegatur, & certò constet, esse dictum; quia talis certitudo est conditio proponens objectum vt dictum à Deo, simplicitèr requisita ad actum Fidei, vt fiat sine formidine; nam est per quod objectum applicatur potentiæ, vt possit illud proximè credere.

416 Vndè ob defectũ talis conditionis, plura quæ hodie sũt definita ab Ecclesia, prout dicta à Deo & credenda de Fide, antea nõ erant de Fide nisi remote, licèt jam essent dicta à Deo, quia non constabat contineri,

&

& includi illa in verbo Dei; ergo objecta Inclusa cõfuse in revelatis, non sunt eo ipso proximè de Fide, sed remote; quousque constet de inclusione proposita per Ecclesiam: & hoc non ob defectum motivi, sed conditionis applicantis potentiæ tale motivum. Vndè fit primo esse de Fide Petrum esse redemptum à Christo, quia constat evidenter de inclusione in omni homine redempto à Christo. Fit secundo, ideò revelato rationali, risibile non est de Fide, non solum quia non proponitur inclusio risibilis in rationali prout revelato, sed quia vlterius deficit inclusio formalis metaphysica ipsius in revelato.

## ARTICVLVS III.

### *DE CONCLVSIONE DEDVCTA EX PRÆMISsis Fidei.*

417 DE duplici conclusione potest esse quæstio. Primo, de conclusione formali, an sit actus Fidei? Secundo, de propositione objectiva conclusa, an sit objectum proximum Fidei? Prima adhùc est duplex. Vna quæ deducitur ex præmissis habentibus pro medio verbo revelationem, v.g. *Quidquid Deus revelat, verum est, cum non possit mentiri; atqui revelat Incarnationem: ergo Incarnatio vera est.* Alia procedit ex præmissis habentibus pro objecto, & medio verbo, non quidem revelationem, sed rem revelatam, v.g. *Christus est Homo; sed Christus est in Cœlo; ergo Homo est in Cœlo.* De prima conclusione formali nihil communiùs apud Recentiores, quam esse actum Fidei specificatum ab objecto formali Fidei, nempè divina revelatione vt tali; assentitur enim connexioni extremorum inter se, propter connexionem extremorum cum medio: atqui hoc est divina revela-

tio: ergo assentitur propter divinam revelationem: ergo est Fidei. Sicut illatio in materia Logica, vel Physica propter objectum formale ipsarum, tanquam propter medium verbum, est scientia Logica, vel Physica.

418 Assero 1. Conclusio formalis innixa revelationi vt medio Verbo, non est Fides. Ita communior sententia doceos, & benè, Fidem non esse discursivam. Probatur contra aliquos Recentiores: quia Fides differt essentialiter ab alijs Virtutibus mentis, præcipuè à scientia, quia Fides credit Mysterio dicto quia dicto: ergo non quia illato. Conclusio autem formalis ita assentitur connexioni extremorum inter se, quia illata est ex connexione cum tertio revelationis: ergo non est Fides, sed scientia Theologica.

419 Assero 2. Multo minùs est Fides conclusio formalis deducta ex præmissis Fidei, non habentibus pro objecto assentito ipsam revelationem, sed Mysteria revelata. Probatur: quia assentitur existentiæ, v.g. Hominis in Cœlo, quia illata est ex duplici Mysterio, sive objecto materiali Fidei. 2. Quia iste assensus: *Ergo Homo est in Cœlo*, vt illatus, non nititur divina revelatione essentialitèr, adhùc virtualitèr per se, sed duplici alia veritate, nempè: *Christus est Homo, & Christus est in Cœlo*; quę veritates vt assentitæ, eo ipso inferunt assensum hominis in Cœlo, etiam si non essent assentitæ propter revelationem, sed propter quodvis aliud motivum.

420 Adde, quod etiam si conclusio formalis niteretur virtualiter revelatione & dicto Dei vt tali, adhùc non esset Fides, quia non nititur mediatè dicto Dei per modum dicti, ob quod assentiatur quia Deus dicit, sed quia infertur ex illo quod Deus dicit. Vndè specificatur essentialiter illa conclusio à suo objecto prout illato, *& quia hinc sequitur*: quod facit discursum esse Theologicum; non verò esse assensum Fidei, quæ ex se

est

est tendentia simplex in objectum, quia Deus dicit. Ex quibus patet solutio ad argumentum. Alię enim scientię, eo ipso quod scientię sunt, habent assentiri suo objecto, & etiam aliis provt illatis ex suo objecto; at Fides habet assentiri propter revelationem, & non propter illationem ex revelatione.

421 Objicies: quando assentior, hominem esse in Cœlo, sine discursu, facio actum Fidei, assentiendo quia revelatum est; atqui non aliter est revelatum, nisi quatenus Christus est in Cœlo, & Christus est Homo: ergo per discursum assentior Fide. Nègo vltimam consequentiam. Idem enim objectum potest tangi Fide, & non Fide. Verum enim est, revelationem ipsam de Christo in Cœlo, revelare & informare immediatè hominem in Cœlo, vtpotè evidentèr inclusum metaphysicè in ipso Christo; & sic Homo in Cœlo etiam est Mysterium Fidei. Si ergo Homo in Cœlo attingatur simplici creditione, quia Deus dixit dum dixit de Christo, verum est quod facio actum Fidei, secùs si attingo assensu illativo, & propter *hinc sequitur*.

422 Assero 3. De conclusione objectiva, & posse attingi per Fidem divinam, si sit evidentèr inclusa in revelatis & attingatur simplici creditione; secùs si discursu; & non posse, si sit de non incluso in revelatis evidenter, licèt sit de identificato. Hæc assertio patet ex dictis. Etenim Fide attingi potest objectum hujus conclusionis: *Omnis homo habet corpus substantiale; atqui Christus est Homo: ergo habet corpus substantiale*, secùs objectum hujus: *Omnis Homo est visibilis; sed Christus est Homo: ergo Christus est visibilis*. Ratio autem est, quia prima conclusio objectiva est materia evidentèr inclusa in Mysterio revelato, nempè in Christo Homine; secùs secunda, quia visibilitas solum est objectum identificatum, à quo vt tali prescindit revelatio. *Vide num.* 408. & 414.

Quan-

423 Quando autem conclusio objectiva,inclusa est in materia revelata, sed id non constat evidenter,nequit per vllum actum credi Fide divina,quæ debet esse certissima. Ratio autem est,quia licèt fortè sit implicitè revelata,fortè non. Et saltùm deficit propositio sufficiens de eo,quod sit revelata à Deo, quæ propositio essentialitèr requiritur. Sed dices contra hoc:vnio hypostatica est revelata à Deo, & est de Fide: ergo & conceptus modi distincti in illa essentialiter inclusus apud nos,erit revelatus, & de Fide. Nego consequentiam: quia solum erit probabilitèr revelatus, & probabilitèr in revelatione inclusus, & sic nequit de Fide credi. Replicabis: ergo erit probabilitèr de Fide; & sententia opposita erit probabilitèr hæretica.

424 Respondebit aliquis distinguendo tonam: probabilitèr hæretica per modum censuræ,nego; quia etiam opposita est probabilis; per modum argumentativę illationis,concedo. Sed idem argumentum potest formare contra nos sententia contraria. Respond. ego negando consequent. quia aliud est, rem esse revelatam,& aliud quod sit de Fide proximè;nam ad primum sufficit esse dictam à Deo,sive explicitè,sive implicitè; ad secundum vero,præter esse revelatam,requiritur esse propositam ab Ecclesia vt revelatam, vel ab alio æquivalenti: Hic autem licèt sit probabilitas de inclusione & de revelatione implicita, sed nulla datur probabilitas de propositione Ecclesiæ, nec per se, nec per æquivalens, ac per consequens erit probabilitèr revelata, sed non probabiliter de Fide. Nec opposita sententia erit probabilitèr hæretica. Adde, non valere argumentum de esse ad revelari sive cognosci,quia facit transitum;sicut non valet:*Homo est species; sed Petrus est Homo: ergo Petrus est species*;quia facit transitum de esse rei ad esse cogoitum.

QVÆSTIO

# QVÆSTIO VIII.

## DE SIGNIS CREDIBILITATIS.

425 NOTA, ad hoc vt objecta Fidei summè difficilia, fiant nobis credibilia, requiri aliqua signa convincentia. Etenim, aliud est rem esse veram, vel falsam; aliud esse credibilem, vel incredibilem. Sæpè enim plura vera sunt incredibilia, & plura falsa talibus muniuntur apparientijs, vt fiant credibilia. Stat ergo veritas in eo, quod res à parte rei se habeat sicut proponitur. Stat autem credibilitas, in eo quod res, sive in se vera, sive in se falsa, talibus protegatur signis veritatis, vt prudentes judicent, debere credi. Quæstio ergo est qualiter nobis possit constare de nostrę Fidei Mysterijs, quod non sint quid incredibile, sed valdè credibile.

## ARTICVLVS I.

### AN MYSTERIA SINT EVIDENTER CREDIbilia, & qua evidentia?

426 TRIPLEX quæstio est resolvenda. Prima de evidentia credibilitatis. Secunda, quanta sit. Tertia, quibus nitatur motivis, sive signis. Circa 1. dico primo cum communi sentent. contra Capreolum: evidens esse, Mysteria nostræ Fidei esse valde credibilia. Probatur 1. ex Psalm. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Et ex illo Christi apud Ioann. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, (id est non peccarent non credendo meæ doctrinæ,) *nunc autem excusationem non habent de peccato suo*: Ergo quia illa opera sive miracula faciebant doctrinam Christi valde

de credibilem,& dignam vt crederetur. Secundo:quia qui prudenter non credit, sive qui dissentitur rei, quę non habet signa convenientia vt sit credibilis, sed solum probabilia, non peccat: nam habet probabilem excusationem pro sua parte, si altera solum est probabilis:ergo si Iudæi non habebant excusationem peccati sui; ideò erat, quia non procedebant probabiliter, & quia signa convincebant illos de magna credibilitate doctrinę Christi.

427 Ex quo sequitur, eam non solùm esse valdè credibilem,sed debuisse credi. Tùm quia,si non tenerentur credere,non peccarent non credendo. Tùm quia præceptum credendi etiam est Mysteriam revelatum, & promulgatum cum eisdem signis, ejus credibilitatem convincêtibus. Tùm quia lumine naturæ constat, debere credi Deo dicenti,quando constat dicere; hoc autem constabat sufficienter per evidentiam moralem vel quasi,quàm signa faciebant. Tùm quia Epistolę Regię cum sigillo Regio,reliquisque consuetis signis credere tenemur: ergo & dicto Dei proposito cum signis consuetis,nempè miraculis,&c.

428 Ad secundam quæstionem dico 2. Quod hæc evidentia credibilitatis est evidentia metaphysica, & non solum moralis, vt voluit Bonæ-Spei cum alijs; nec solum physica, vt tenent Suarez,Hurtad, & alij. Pro quo nota,aliam esse evidẽtiam de veritate Mysterij, vel existentiæ revelationis, & aliam esse evidentiam de credibilitate talis existentiæ. De ista secunda procedit nostra conclusio,non de prima. Sicut autem est dabilis evidentia metaphysica de essentia falsitatis, & de essentia probabilitatis vt sic, non minus quam de essentia veritatis; ita est dabilis metaphysica evidentia de prudenti & morali credibilitate,si nempè essentia hujus constet reperiri in tali re, tàm certò vt nec divinitus possit non esse verum, quod sit credibile,sive quod illa signa faciant illud credibile.

Pro-

429 Probatur ergo conclusio. 1. Quia quando aliqua res ita est vera & certa, vt non solum ex natura rei sit infallificabilis, sed adhùc divinitùs; propositio evidens de ipsa vt tali est metaphysicè evidens; atqui quod Mysteria tot signis vrgentissimis munita habeant credibilitatem conformitèr ad regulas prudentiæ, ita est verum, & certum hìc & nunc, vt sit adhùc divinitus infallificabile: ergo propositio evidens affirmans talem credibilitatem est metaphysicè evidens. Vndè licèt existentia revelationis talibus signis proposita adhùc possit à parte rei esse falsa metaphysicè; imò & physicè, credibilitas tamen & quod prudenter possit credi vera, adhùc manet metaphysicè evidens.

430 Quod vlterius. 2. probatur: prudentia enìm est virtus mentis dirigens operationes honestas, prout conformes rationi; possunt autem tales operationes pati deceptionem ex parte objecti, & adhùc manere honestæ, & conformes rationi hìc & nunc, ita vt sit tam certa conformitas illarum actionum, prout hìc & nunc cum dictamine rationis, quam sit certa rationalitas in homine, ita vt non solum physicè, sed nec metaphysicè possint fallificari, aut earum veritas deficere in conformitate cum ratione. Sic Petro summam preferenti ægritudinem, paupertatem, & miseriam, honestum est, & conforme rationi hìc & nunc dare illi eleemosynam sub hac suppositione, & circunstantijs, ita vt veritas talis honestatis sit metaphysicè indefectibilis. Licèt enìm paupertas sit à parte rei falibilis physicè & metaphysicè; honestas tamen succurrendi pauperi sic proposito, est metaphysicè indefectibilis: ergo & honestas credendi Mysteria sub his signis, & circunstantijs proposita.

431 Confirmatur tota hæc doctrina: tale iudicium de credibilitate prudenti, apud vos, est saltem moraliter evidens: ergo & debet esse metaphysicè evidens.

Pro-

Probatur consequentia: quia tunc iudicium evidens est evidens metaphysicè, quando habet pro objecto rem ita infalibilem, quæ nec divinitus possit aliter se habere; atqui sic se habet istud iudicium, nam habet pro objecto essentiam prudentis credibilitatis cõstatam ex illis signis, quibus positis, nequit adhùc divinitus deficere ibi credibilitas prudens, & conformitas cum ratione: ergo est metaphysicè evidens.

432 Sicut enim linea entitativa habet suas veritates entitativas metaphysicè certas & evidentes, ita linea moralis & aliæ lineæ suas. Sic judiciũ asserens de aliqua opinione bene fundata esse probabilem, & à prudentibus assentibilem, est metaphysicè evidens; & judiciũ asserens de propositione difformi objecto esse falsam, etiam est metaphysicè evidens, quia affirmat de subjecto prædicatum essentialitèr conveniens subjecto; atqui judicium affirmans de doctrina, talibus signis munita, esse prudenter credibilem, sive asserens de creditione doctrinę sic propositę, esse rationi conformem, & prudentię; affirmat de subjecto prædicatum essentiale, & indefectibile illi: ergo est judicium metaphysicè evidens.

433 Objicies 1. Si credibilitas esset metaphysicè evidens, intellectus esset necessitatus ab illa ad credendum, & non daretur libertas, neque meritum in credendo; sicut nec datur in assentiendo rei evidenti, quæ intellectum convincit: ergo. Respond. duplicem dari assensum. Vnus est credibilitatis Mysterij; alter veritatis ipsi is. In primo, non datur libertas contrarietatis (sed contradictionis) & non dabitur meritum de specie assensus, sed forsè dabitur de exercitio. In secundo autem datur de vtroque, quia datur vtraque libertas. Nec enim ex eo quod Mysterium sit evidenter credibile, erit eo ipso evidenter verum metaphysicè, aut physicè, sed ad summum moralitèr, quatenùs videtur non posse non esse verum illud, cujus veritas

tan-

tantis firmatur argumentis. Quæ tamē evidentia moralis cum plurimum retardetur & minuatur: Tùm ex magna Mysteriorum difficultate: Tùm ex omissione communi ponderandi signa credibilitatis, locum reliquit magno merito, cum adhùc posset homo dissentiri Mysterijs peccando, nisi pia affectio libere ad assentiendum determinet.

434 Dices: si poterant non credere, quia non erant convicti de veritate: ergo habebant excusationem in non credendo contra dicta *num.* 377. Nego consequentiam: quia habebant præceptum, & habebant omne requisitum, vt possent credere, (liberè tamen) & obedire præcepto: quam libertatem non haberent, si de veritate haberent evidentiam. Vndè veritas Mysterij est tantum moraliter evidens, positis signis, quia adhùc posset esse physicè falsa: at credibilitas, sive quod creditio sit prudens, positis talibus signis, nec divinitus potest esse falsum. Vndè assensus de veritate erat prudens, & valdè alliciens, sed ipsi passione excœcati nolebant prudenter operari.

445 Objicies 2. Plura Mysteria sunt contra lumen naturale metaphysicè evidens & infallificabile, v.g. in Trinitate *communicari, & non communicari*, est contra illud: *Impossibile est, rem simul esse, & non esse*: Ergo non sunt prudenter credibilia. Respond. negantur antecedens: quia non sunt contra lumen, sed supra. De quo plura *in Tractatu de Trinitate*, dum sermo esset de distinctione virtuali maxima, in quæstione 1:

446 Objicies 3. Mysteria sunt evidenter credibilia: ergo evidenter possibilia. Probatur consequent. quod est evidenter impossibile est evidenter incredibile: ergo quod est evidenter credibile, est evidenter possibile. Consequentia probatur ex illo axiomate, ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis. V. g. est homo, ergo est animal: non est animal: ergo non est homo: ergo si ex impossibili evidenter, se-

qui-

quitur evidenter incredibile, ex opposito incredibilitati, nempè ex credibilitate, sequitur evidenter possibilitas. Concesso anteced. nego consequentiam. Ad probationem, concesso anteced. nego consequentiam. Disparitas est, quia vt res evidenter judicetur credibilis, sufficit ratio prudens sumpta ex adminiculis. Vbi autem adest assensus evidens de impossibilitate, nulla ratio extrinseca in eo tunc potest possibilitatem persuadere.

447 At ex credibilitate evidenti non arguitur possibilitas, quia ista sumitur à re prout intrinsecè est; illa verò ab apparientijs possibilitatis: & possunt dari multæ apparientiæ rei sine ipsa re. Ad axioma autem respond. esse quidem verum, quando consequens est propriè consequens, & consequitur ex antecedenti. Patet, quia illud adagium deservit pro reductione ad impossibile, & non deservit, nisi consequens ex antecedenti benè deducatur. Insuper requiritur, vt oppositum consequentis sit oppositum illi non vtcumque, sed contradictoriè, & per particularem *non*, vt patet in exemplo adducto in ipso argumento de homine, & animali. Ista autem requisita non reperiuntur inter credibile & possibile, & inter credibile, & incredibile, & sic nō valet argumentū ex adagio; valeret autem sic: est evidēter impossibile: ergo est evidēter incredibile. Non est evidenter incredibile? Ergo nec evidenter impossibile. Sic valeret, & non aliter. Quod si aliquando argumentum teneat sine his requisitis, tenebit per accidens, ex vi materiæ.

448 Objicies tandem: Est evidens metaphysicè, quod quis possit prudenter, imò & evidenter metaphysicè teneatur credere Fide divina, Deum verè esse Trinum & Vnum. Atqui tale credere est assentiri certissime, & verissime Deum esse Trinum & Vnum: ergo ex evidentia metaphysica credibilitatis & obligationis, sequitur evidentia metaphysica veritatis intrinsecæ Mysterij. Respond. concessa maiori, & minori nego con-

consequent.quia facit transitum de vna linea ad aliam, nempè de esse cognito,& existimato,ad esse rei.Etenim signa convincunt evidentèr metaphysicè obligationem credendi vt verum tale Mysterium. Sed non convincunt evidentèr esse exercitè & in re verum.Ad primum autem sufficit credi vt verum, & esse tale existimativè, licèt deficiat esse verum exercitè,& in re. Adimpletur enim obligatio per creditionem existimatam divinam & certam, licèt à parte rei nec sit divina, nec certa. Nec talis obligatio prudens metaphysicè evidens tollit libertatem credendi, nam adhùc est in manu hominis procedere,(vt sæpissimè contingit) contra prudentiam, & contra obligationem dictatam,omittendo sive discredendo.

449 Ex his constat primo,esse valdè diversos conductus veritatis exercitæ,& veritatis credibilis & existimatæ: atque istum se habere disparate ad illum. Constat secundo, solutio ad hanc instantiam, alijs visam valdè difficilem, nempè. Evidens est, quod Deus destinando homines ad finem supernæ Beatitudinis,dederit eis,vel saltìm Ecclesiæ suæ media in re simpliciter necessaria ad posse illam obtinere:atqui est evidens, hæc media esse Mysteria ipsa Fidei prout in re: ergo quod ista Mysteria dentur exercitè & in re, etiam est evidens. Respondetur enim ad evidentiam conclusionis requiri evidentiam in præmissis, & in supposito ipsarum. Quomodocumque autem sit ruptura vel vitiũ in conductu,aqua evidentię effunditur,& non pervenies ad locum.In hoc ergo discursu sive conductu sunt plura in præmissis foramina,per quæ ruat & exeat, & exulet evidentia. In primis suppositum in maiori,id est destinatio hominum ad gloriam,non est evidens, (licèt sit certa de Fide.) Secundo: admissa destinatione,licèt sit evidens ex parte Dei præparatio mediorum in animo suo, non est absolutè evidens præparatio externa exercita eorum, quia potuit ( loquendo de possibili)

Ecclesia se reddidisse indignam talis præparationis exercitę. Sicut Synagoga se reddidit indignam luce Fidei, & cognitionis certæ de Christo. Tertio: iterum data majori, negatur minor; quia non est evidens, quod media in re, sint ista Mysteria, sed ista vel alia: Licèt juxta Fidem certum sit, quod sint ista. Ex quo negauda est consequentia de evidentia Mysteriorum in re.

## ARTICVLVS II.

### DE SIGNIS HVIVS CREDIBILITATIS.

450 PLura & largè explicant DD. signa hujus credibilitatis. Pater Gonet *disputat.* 1. *artic.* 8. duodecim collegit & explicavit. 1. Ab antiquitate nostræ Fidei. 2. A Veritate, Sanctitate, & efficacia doctrinæ. 3. A modo mirabili, quo introducta & propagata est per totum mundum. 4. Ab ejus firmitate, permanentia, & incremento per persecutiones. 5. Ab exitu infœlici apostatantium ab ea. 6. A Prophetarum vaticinijs. 7. A Prophetijs Sybillarum. 8. A testimonijs inimicorum. 9. A miraculis. 10. A Martyribus. 11. A consensu, & concordia magna Doctorum Catholicorum. 12. A notis veræ Ecclesiæ, quæ solùm reperiuntur in Ecclesia Romana, & Catholica. Nos ex his pręcipua signa declarabimus.

451 Primũ motivũ credibilitatis est ipsa doctrinæ puritas, & excellẽtia, quę valdè est cõsentanea rationi in omnibus, quæ docet, nihilque continet, quod evidentèr pugnet cum ratione: sed potius sit juxta rationem. Sentit de Deo decentissimè, & nihil admittit in illo, quod non redoleat sanctitatem, perfectionem, & majestatem, omnesque Virtutes. Insuper nihil continet, quod potuerit vnquam convinci falsitatis, quod sane mirabilissimum est in tanta rerum, & dictorum varietate, quę locis & temporibus tam diversis & distantibus evenerunt,

funt, & scriptæ sunt. Item ex fine est præclarissima, cum doceat ex intento veram sanctitatem, morum honestatem, & conformitatem cum ratione, Virtutes, & Cultum Dei; quem finem sæpè validissimè consecuta est, dum homines innumerabiles servavit à vitijs intactos, & alios jam perditos restauravit, & ad magnam perfectionem evexit. Et tandem mirabilis est hujus doctrinæ veritas & perseverantia per tot sæcula, quæ non reperitur in alijs sectis.

452 Secundum motivum summitur ex dignitate, & sanctitate testium, se à Deo illam accepisse testificantium. Tales fuerunt Prophetæ testes digoissimi, & mirabiles doctrina, & operibus; siquidem cum Christum per tot sæcula præcessissent, de eo multa dixerunt, sicut & de alijs rebus Ecclesiæ, quæ omnino impleta sunt, non obstante malorum contradictione, quæ adimpletio magnam conciliat authoritatem, ipsorum prophetijs. Inter hos Ioannes Baptista valdè doctrinam Fidei confirmat, cum fuerit tantę sanctitatis Vir, vt ipsi hostes Christi ipsum pro Messia nomine Concilij decrevissent accipere. Tandem id probat eximia & infinita Sanctitas Christi, & etiam Sanctitas Apostolorum, quæ tanta erat, & tam libera à convenientia temporali, vt ipsos ex remotioribus terræ partibus Gentiles quæsierint, & admirati, atque venerati fuerint, valdè persuadet doctrinam, quam ipsi prædicabant esse verissimam, & quod à vi ipsius convincebantur. Sic post omnes Sectas profunde examinatas, convictum est summum illud D. Augustini ingenium, & acumen: & ideò justissime inter signa credibilitatis nostræ Fidei D. Augustini judicium merito computandum.

453 Tertium motivum est multitudo innumerabilis Martyrum omnis ætatis, sexus, & conditionum, magnæ sapientiæ, & vitæ sanctissimæ, qui omni loco, & tempore, non solum patientissime & virilitèr, supra ætatem, sexum, & vires humanas, sed etiam gaudentes

passi sunt diuturnos, & immanissimos cruciatus cum summa mansuetudine, spreta vita & honore mundano. Si dicas etiam inter Hæreticos, & alios infideles fuisse qui morerentur pro sua secta. Contra: tum quia tales fuerũt pauci, Tùm quia, erant aliqui viri audaces & fortes, obstinate, & pertinacitèr patiẽtes, & fortè ob vanam gloriam: nõ autem puellę, aut pueri, sicut apud nos. Tùm quia, nec cum alacritate, mansuetudine, & consolatione magna, sicut nostri Martyres.

454 Quartum motivum sunt vera miracula sine numero, in quibus consideranda sunt. Primo, ipsorum veritas ex multis circumstantijs, & diuturnitate probata, vt in Lazaro post quartum diem resuscitato, & in cœco à nativitate. Et enim res apparenter parum durant. Secundo, multitudo, quæ adhùc continuatur, & examinatur rigidè in Canonizatione Sanctorum. Tertio varietas, fiunt enim ferè in omnibus materijs, & varijs modis, v.g. oratione, imperio, tactu. ¶ Quarto, considerandum est instrumentum, quod ferè semper est persona sancta, divitias & honores constantissimè recusans. Quinto, causa finalis, nempè confirmatio prædicationis, honor ipsius Dei, & quod multum mirabile est, conversio mundi ad Fidem, & adorationem Crucifixi, & per homines contemptibiles, & docentes Mysteria creditu difficillima secundum sensum, suadenteque modum vivendi difficilem, nempè abnegationem propriæ vitæ, mortificationem passionum, contemptum honoris, & famæ, abrenũtiationẽ divitiarum, admissionemque laborum, quę omnia difficile amplectì possent, cum sint tam opposita inclinationi humanę, nisi doctrina esset ex Deo: & tamen innumerabilis multitudo (& inter plures Nationes & gentes) doctrinam Christi amplexata est, & quotidie amplectitur.

455 Si dicas, etiam Mahometanam disseminatam esse per innumeras gentes. Contra: quia de illa nihil mirum, cum sit intellectu facilis, & valdè conformis in

plu-

pluribus appetitui sensuali hominum: neque patitur rationes, quibus ipsius falsitas convinci possit. Si enim pateretur, fortè non tot milliones perseverarent in illa; at Fides Christi continet multa captu difficillima, doctrinamque valdè repugnantem carni, & sanguini, decetque res asperrimas, vt humilitatem, mortificationem & pœnitentiam. Hoc ergo valdè mirum, quod sine strepitu armorum, sine suasione Potentium, potiusque per homines solos & humiles atque despectos, introducta sit: quod non potest tribui, nisi influxui Dei, & doctrinæ veritati, quæ habet omnia vincere. Vide alia apud Authores Et his positis.

456 Formo argumentum pro evidenti credibilitate sic: Doctrina, quæ nititur motivis tam vrgentissimis, est evidentèr credibilis; atqui sic se habet Catholica: ergo. Major. videtur per se nota. Min. autem prob. ex dictis. Non ergo magis licebit, juxta prudentię regulas, de ea doctrina dubitare, quam de existentia Romæ non visæ à nobis, & de similibus. Licèt autem veritas existentiæ Romæ solum sit nobis moralitèr evidens. At quod sit prudentia credere illam, est metaphysicè evidens: ergo similiter.

¶ Insuper, quia incredibile est, quod Deus tot homines bonæ indolis, desiderantes, & petentes à Deo lucem veritatis, ab eo fuissent missi per fortes inspirationes ad Catholicismum, milliones scilicèt millionum, vt sępè contigit. Quod si innumeros alios permittat manere in suo errore; ideò est, quia degunt vitam perditã, & peccatis plenam: si non manifestis, saltem aliquibus gravibus occultis. Pertinet etiam ad Providentiam Dei non permittere doctrinam falsam talibus signis, & argumentis muniri; nam censeretur ipse, illam persuadere. Quarè aliqui moderni, dicunt posse omnes Catholicos Deo dicere cum Ricardo Victorino *lib. 1. Doctrina, cap. 21. Domine, si error est, quod credimus, à te decepti sumus.*

457 Hinc constat, Sectas oppositas nostræ Fidei esse evidentèr incredibiles, quia nulla potest esse prudens ratio dubitandi eas esse falsas, utpotè oppositas Fidei. Confirmatur: Tùm quia omnes continent aliquid manifestè contra rationem naturalem: non supra, sed contra. Etenim Atheismus negans, dari Deum, & Gentilismus admittens plures Deos, evidentèr convincuntur falsitatis in Philosophia, & Theologia 1. *Part. Quæst.* 2. probante, Deum esse, & vnum esse. Iudaismus autem negans Messiam advenisse, ex veteri Testamento convincuntur, ita vt sola duritiæ cervicis ipsorum possit detinere ipsos in tali errore. Illum impugnavimus *Quæst.*2. *de Incarnatione.*

458 Paganismus, sive Mahometismus, licèt admittat vnum solum Deum, tamen ponit totam felicitatem in corporis voluptate, libertatem negat, adulteria admittit, quæ omnia clarè adversantur nobilitati animæ, & rationi naturali, & quod pejus est, disputationes cum Doctoribus alterius Sectæ non permittit, timens convinci ratione. De Hæreticis, quam sint contra rationem plurima quæ docent, Sancti Patres, & Doctores Theologi latè scripserunt, & constat Doctrinæ ipsorum incredibilitas, ex ipsius inconstantia, & varietate, cum veritas debeat esse vna & firma. Item ex fine, qui in multis rebus est inhonestus. Hanc etiam oppositionem cum ratione manifestè confirmat, quod Deum faciant Authorem omnis sceleris, tollendo libertatem à nobis: quod ipsum Dæmonem mendatij fontem puderet. Si autem aliquando appareat in ipsis Sectis aliquod signum credibilitatis, est insufficientissimum: & statim, si considerentur rectè res, apparet aliud per quod deceatur.

AR-

## ARTICVLVS III.

### *ARGVMENTA: VBI AN SIT EVIDENS MYSTE rica esse Fide Divina credibilia.*

459 OBijcies 1. Mahumetismum latè disseminatum esse, habereque pro se judicium innumerabilium hominum: ergo jam habet istud signum. Respond. nos non dedisse signa pro nobis diversa, quasi quodlibet divisim sufficeret, sed simul omnia, vel ferè omnia. Respond. 2. Mahumetismum, vt jam diximus, docere delectationes corporales, & introductum per homines potentes: quid mirum si habeat multos sequaces, & qui communitèr sunt viri perditę vitę?

460 Obijcies 2. Etiam esse patrata miracula in alijs Sectis. Respond. si benè examinentur, fuisse phantastica solùm, & apparentia, vel talia quæ fieri potuerint arte Dœmonis applicantis activa passivis, non autem solida, sicut nostra. Est autem valdè ridendum, id quod olim contigit Arriano in Hispania, & nostro ævo Calvinistæ in Germania, quod cum se offerret resuscitare mortuum pro sua doctrina, quidam hæreticus vivus finxit se mortuum, & cum Calvinista accessisset ad eum resuscitandum, inventus est verè mortuus, & sic permansit.

461 Obijcies vltimo: etiam in alijs Sectis fuerunt viri magnæ Virtutis, & propter illam prudenter ab omnibus æstimati: ergo. Respond. nego antecedens: quia licèt haberent scientias naturales, & aliquas Virtutes morales, erat in eis, si rectè attenderentur, aliqui notabilis defectus contra legem naturalem. Si enim illam integrè servassent, ad Providentiam Dei pertinebat illos illustrare, vt ad Catholicam Religionem pervenirent, vt probatum est in India mille exemplis. Vndè non erant veræ Virtutis absolutè tales homines, sed existimatę: habebant enim aliquod ocultum vitium; Propter quod Deus non illuminavit eos ad veram Fi-

dem. Quòd si in alijs Sectis etiam sint viri existimati magnæ litteraturę, & eximiæ authoritatis in apparientia, docentes homines simplices, atque in suis erroribus instruentes, adhùc non faciunt pro sua Secta signum sufficiens credibilitatis ob rationes allatas; nec Secta secundum se fit prudentèr credibilis, sed solùm faciunt pro simplicibus aliqualem excusationem à suis erroribus ob ignorantiam fortè invincibilem.

462 Quæres: an sit evidens, Mysteria esse credibilia Fide Divina, humana, vel in genere? Triplex est sententia juxta triplicem Fidei modum. Hurtado *disputat* 22. §. 14. tenet tertiam sententiam. Nota: *Alia est Fides objectivè divina: alia exercite & in re divina. Sola hæc, nō illa convincit, Mysteria esse in re vera.* Vide *num.* 283. Censeo 1. Evidens esse metaphysicè, vel saltùm physicè, quod sint credibilia Fide, (objectivè) divina, nēpè, quia Deus dixit. Probatur, quia Deū illa Mysteria dixisse, faciūt credibile omnia signa supra posita. Censeo 2. Non esse evidens metaphysicè, nec physicè, quod sint credibilia Fide quæ sit Divina in re, & exercitè, & ex parte principij superni. Probatur, quia Fides Divina verè superna, verè inferret evidentèr veritatem Mysterium in re, cum Deus nequeat revelare falsum. Si autem hæc esset evidens metaphysicè, rueret libertas in assentiendo veritatibus Fidei. Censeo tandem 3. dari evidētiam moralem de eo quod Fides per quam sunt credibilia, sit re ipsa divina, & superna, quia evidentia moralis de veritate Mysterij non tollit libertatem assensus, vt supra probatum est.

463 Nec obest cōtra 1. quod motiva credibilitatis constant nobis cognitione naturali: ergo solùm probant, posse credi Fide naturali, & ex motivo naturali. Nego consequent. sed probant, posse credi quod sunt à Deo dicta, ac per consequens, Fide Divina, saltùm objectivè divina, quia ad id persuadendum facta sunt. Nec enim

est

est inconveniens, quod Fides objectivè divina cognoscatur per evidentiam metaphysicam naturalē, quia precisè vt sic, non est superna, cum reperiatur in hæretico; superna autem vt in re superna, non potest nosci evidentia naturali metaphysica; benè verò evidentia morali, quia ista nec dicit essentialem connexionem cum veritate in re, nec tollit libertatem assentiendi.

464 Nota valdè, dum dicimus, prudentem credibilitatem esse evidentem metaphysicè, nos loquutos fuisse de illa, secundum prædicata essentialia credibilitatis, & ex suppositione talium signorum. Si enim prudentèr possemus dubitare de signis, an physicè essent falsa, & illusoria, (sicut diximus de Petro posse esse phantasma, loquendo metaphysicè) non esset certitudo metaphysica de tali credibilitate: est tamen; quia sicut physicè est evidens, quod Petrus sit verus Petrus, ita & de illis signis, quod sint res verę, & cum dubitare prudentèr non possimus de hoc, evidentia manet metaphysica de prudenti credibilitate, quia in signis physicis sic propositis fundari evidentiam metaphysicam, & certum est, facere prudentèr credibilia Mysteria.

## ARTICVLVS IV.

### *DE SIGNIS, SIVE NOTIS VERÆ ECCLESIÆ.*

465 QVæritur, vndè constet, quod sola Ecclesia Romana sit vera Ecclesia Christi, sitque sola, quæ conservat veram Fidei doctrinam, à Christo Domino Apostolos edoctam, ab ipsisque promulgatam? Respondeo cum communi Doctorum, constare, quia soli illi conveniunt illa quatuor, quæ Symbolum Nicenum expressit de vera Ecclesia; nempè, quod sit Vna, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia. Quod valdè interest pro credibilitate.

Quod

466 Quod vero Ecclesia debeat esse vna, constat ex Ioann. 10. *Fiet vnum Ovile, & vnus Pastor.* Est autem nostra Ecclesia vna, tum vnitate Principij, & Fundatoris, id est Dei, & Christi. Tùm Vnitate Finis, & Scopi, nempè Beatitudinis Æternæ. Tùm Vnitate mediorum ad finem, quia vna Fides, vnum Baptisma, vnũ Sacrificium, & vnitas Sacramentorum in tota Ecclesia. Tùm vnitate vnius Capitis visibilis, id est Pontificis Romani, cui omnes verè fideles per totum Orbem obedimus. Tùm denique vnitate ejusdem corporis mistici cum varietate membrorum, sive Officiorum, quæ tamen interne vniuntur vnitate Fidei Theologicę; externè autem vnitate Civitatis per easdem leges vniversales substantiales gubernatę.

467 2. Nostra Ecclesia est Sancta. Dictum enim est de Ecclesia, quod sit gens Sancta, & sit Sponsa Immaculata, non habens maculam, neque rugam: quod quidem intelligitur de Fidei puritate, & immunitate ab omni errore. 2. De Sanctitate stricta vitæ, quam quidem per Fidem, & leges in multis hominibus consequitur, & in alijs intendit consequi. 3. Est Sancta Sanctitate Consecrationis, quia tota consecratur Divino Cultui, Obsequijsque Divinis.

468 Est etiam Catholica: Tùm ratione loci, quia per totum mundum, atque per omnes Nationes diffusa, sicut vitis viva, & vera, quæ plus & plus suos palmites diffudit. Tùm ratione temporum, quia à tempore Apostolorum fuit, est, & erit semper permanens, quod non competit alijs Sectis, post illam incipientibus, & ante illam desinentibus, & semper mutabilibus. Tandem est Catholica, & Vniversalis ex parte doctrinę, quia pro omni virtute sequenda, & pro omni vitio fugiendo, abunde doctrinam prębet.

469 Vltimo, est Apostolica, quia fundata est supra Fidem Apostolorum, & Prophetarum. Permanet autem Apostolorum successio semper, Petri nempè in

Sum-

Summis Pontificibus; aliorum Apostolorum in Episcopis, illorum successoribus. Cum autem Ecclesia Romana fundata sit à Petro, illa est cui verè conveniunt omnes notæ veræ Ecclesiæ. Nulla autem Secta Hæreticorum, (& idem de alijs) habet ista signa; nam non est vna, cum Hęretici sequantur proprium spiritum, & non admittãt vnum Caput visibile, Iudicemque Controversiarum, qui contineat eos in vnitate doctrinæ. Nec est Sancta, cum plurima doceat contra rationem. Præcipua autem Secta Lutherana magnam apperuit januam omnibus vitijs. Nec item est Catholica, cum non per totum Orbem, sed ad aliquas Nationes sit contracta, vt palmites aridi, & præcisi, qui non extenduntur. Nec est Apostolica, cum nec Lutherani, nec Calvinistæ possint ostendere suam doctrinam successivè continuatam ex Apostolis, & idem de alijs Sectis. Videantur Authores, late de his agentes, quos congerit P. Gonet.

## QVÆSTIO IX.

### *DE IVDICIO CREDIBILITATIS.*

### ARTICVLVS I.

### *AN REQVIRATVR.*

470 IVdicium credibilitatis judicat evidenter, credibile esse Mysteria nostræ Fidei esse dicta à Deo. Solet assignari pro vno ex requisitis ex parte intellectus ad actum Fidei exercendum. Pia autem affectio (de qua Quæstione sequẽti) requiritur ex parte Voluntatis. Affero ergo circa tale Iudicium, quod non est necessarium ad exercendum quemlibet assensum Fidei, postquam Fides jam recepta est, & à Christiano pacificè possidetur. Etenim experimur quotidie in nobis

ex ef-

exercere tales credituiones, supposito solo judicio illo habituali firmo subjectivè, de eo quod credi debeat, quidquid Ecclesia proponit tanquam de Fide credendum. Solùm ergo tale judicium erit necessarium in adulto infideli, vt primo admittat res Fidei, seque ad illam convertat.

471 Difficultas prima est: An tale judicium evidens sit necessarium ad primo recipiendam Fidem, in adulto qui ad eam convertendus est; vel sufficiat judicium probabile de prudenti credibilitate, vel de credibilitate obligatoria? Respondeo primo: In quocumque convertendo ad amplectendam Fidem requiri simplicitèr judicium firmum & certum saltim subjectivè, & sine vlla formidine, & esitatione prudenti, de tali credibilitate. Ita communior sententia, & probatur: Tùm quia, cum quis recipit Fidem, recipit illam tenendam firmitèr pro tota vita, tuendam, atque vsque ad sanguinis effusionem defendendam: quod quidem pro primo requirit judicium valdè maturum, & firmum, & sine vlla esitatione, aut formidine prudenti: Tùm quia cæteris paribus, & sine ratione certa in contrarium, ratio naturalis dictat antiquam Religionem non esse deserendam. Et qui desereret illam absque judicio prudenti & firmo, quod alia Religio opposita est prudētèr credibilis, talibusque signis munita vt debeat credi, sane imprudentèr & lebitèr se ad novam Religionem converteret. Requiritur ergo judicium firmū & absque vlla esitatione, & formidine prudenti.

472 Secundo probatur: Quia publicatis rebus Fidei, requiritur tale judicium de eorum credibilitate & obligatione credendi, quod reddat inexcusabilem non credentem. Atqui si judicium est tantum probabile, ita vt maneat probabilitas de opposito prudēsque formido, non credens jam habet sufficientem excusationem: ergo requiritur, quod tale judicium sit firmum, & certum, & non sufficit, quod sit probabile.

Nec

473 Nec obest, quod ad adorandam Hostiam consecratam, sufficit assensus probabilis, de eo quod sit consecrata: ergo ad amplectendam creditionem de re vt dicta à Deo, sufficit probabilitas de eo quod credi possit vt dicta à Deo. Pro responsione nota, quod duplex datur assensus probabilis. Vnus qui licèt sit entitativè solum probabilis & non certus, habet tamen sapores certi, & firmi, excludensque omnem formidinem, & esitationem. Alter verò, qui non habet talem firmitatem prudentem subjectivam, vt non admittat aliquam formidinem, & esitationem. Respondeo ergo ad argumentum: Si assensus probabilis de Hostia consecrata sit primi generis, concedo posse absolutè adorari; quia tunc adest actus prudentiæ certus & supernus dictans certo esse honestam, & sine vllo periculo talem adorationem. Si autem esset secundi generis, dictaret adorandam sub conditione solum, ne se exponeret periculo idolatrandi. Eodem modo distinguendum est consequens. Si enim adsit certitudo prudens subjectiva de credibilitate prudenti & de obligatione, tenebitur credere, quia nulla se ei offert ratio prudens dubitandi; si autem se offerat, nec tenebitur, nec prudentèr Religionem mutabit.

## ARTICVLVS II.

### *DE TALIS IVDICII CERTITVDINE, & evidentia.*

474 SEcunda difficultas: An pro quocumque adulto convertendo requiratur tale judicium, quod non solùm sit subjectivè prudentèr certum, expellensque omnem hęsitationem & formidinem, (quæ omnia non extrahunt judicium à ratione entitativè probabili) sed vlterius requiratur, quod sit per seipsum metaphysicè & formalitèr certum, & evidens? Duplex est sententia. Prima affirmat debere esse evidens, ita

vt

vt non solum in sapientibus; sed etiam respectu rudium, mulierum, & puerorum requiratur talis evidentia judicij. Ita Pater Oxea *disputat.10. de Fide, sect.4. à num.27.* Sed Pater Ripalda *de Fide, disputat.6. sect. 5. num48.* docet: quod licèt actus Fidei perfectæ per se supponat evidentiam prædictam; dari tamen alios imperfectos, qui eam non supponunt. Quam secundam partem probat multis argumentis, quæ refert, & solvit Pater Oxea citatus. Ego pro adulto sapienti non dubito, quod requiratur judicium entitativè, & formalitèr evidens, vt de novo credat, & convertatur ad Fidem; sed de pueris, & rudibus valdè dubito, quia istis summè difficilè esset ponderare motiva, & signa credibilitatis prudentis, tàm perfectè, & tàm profundè, vt pertingant ad evidentiam vsque.

475 Pro quo adverto: quòd commune est apud Moralistas, motiva illa, quæ requiruntur pro homine docto ad operandum prudentèr & secure in conscientia, non requiri pro homine indocto, & rudi. Iste enim sufficientèr satisfacit obligationi suæ conscientiæ, si bona Fide, & sincere sequatur consilium sui Parochi, vel alterius Confessoris, etiam si isti alias essent indocti, & eis consulerent, quod aliàs nec verum, imò nec probabile est; esset enim magnum gravamen, si quilibet rudis, & mulierculæ teneretur pro qualibet re suæ conscientiæ adire Primarios Vniversitatum Cathedrarios, vel saltèm majores Magistros ad consulendos eos. Quod tamen sufficit pro rudibus, vt operentur prudentèr (scilicèt fidere suam conscientiam, ejusque dubia, ordinarijs Confessoribus) sanè non sufficeret pro homine docto. His suppositis.

476 Assero. Pro hominibus rudibus ad amplectendam de novo Fidem, non requiri evidentiam formalem entitativam Iudicij, sed sufficere judicium entitativè probabile, cum saporibus certitudinis, id est cum exclusione formidinis, aut cessationis prudentis. Probatur;

Tùm

Tùm quia in initio Ecclesiæ plura de mutatione, persuassa sunt à Prædicatoribus, antequam miracula facerent, ex sola energia, persuassione, atque authoritate prædicantium. Tùm quia si hodie in parvo Oppido Parochus indoctus audiens Alexandrum Septimum definisse Cultum Ecclesiasticum datum Conceptioni Virginis, respicere primum instans, existimaret jam esse Conceptionem definitam, & persuaderet suis ovibus credi debere de Fide, & teneri ad id pro tota vita, isti prudentèr resolverent credere, imò & sanguinem effundere pro tali Mysterio. Quod tamen judicium esset falsum, (licèt probabile entitativè, & fundatum in Fide humana Parochi.)

477 Si ergo simplices inducerentur à Prædicatore ad novam Religionem, prædicante eo cum magna energia, & persuassione, (præcipuè si aliqui essent sapientiores plaudentes) prudentèr judicarent simplices, illam novam Religionem esse prudentèr credibilem, & debere credi. Tale autem judicium nullo pacto esset evidens, quia fundaretur in motivo omnino insufficienti ad faciendam evidentiam.

478 Confirmatur: Quia pro re tam gravi, qualis est Sectæ, & Religionis mutatio, non datur sufficientia in sola prædicantis, Mysteriaque declarantis energia, pro prudenti credibilitate; nec in sola Parochi authoritate respectu intellectus benè penetrantis, quid ponderis habeant talis energia, & talis authoritas, quæ ex tantis Capitibus vacilare possunt, impedientibus prudentem, & securam creditionem. Solùm ergo possunt sufficere pro intellectu rudi, (& hoc non pro evidentia, sed pro excusatione à levitate) muliebri, aut puerili, qui à propria ruditate excusantur à majori obligatione inquirendi: ergo in illa energia, & authoritate, licèt fundari possit entitativa probabilitas prudens, respectiva ad intellectus rudes, secus evidentia; quæ necessario est conjuncta cum certitudine. Etenim sicut error invin-

ci-

cibilis, non facit opinionem probabilem, licèt faciat excusationem pro intellectu rudi, quia ex se non habet Fundamenta sufficientèr solida, ita nec talis energia, & authoritas facient judicium evidens absolutè de credibilitate, licèt faciant excusationem adhæsionis in illo intellectu rudi; siquidem illę absolutè non sunt verè sufficientia fundamenta pro prudenti creditione absoluta, nec tales judicantur à Deo.

479 Respondebis cum Patre Oxea; pro quocumque intellectu sive Sapienti sive rudi, requiri necessariò evidentiam, sed non æqualem, nec in eodem gradu; nam pro intellectu sapienti requiritur fundata in cumulo de varietate signorum. Pro rudi autem sufficit fundata in authoritate Parochi, vel similibus. Sed contra: quia ista vt probatum est, licèt sufficiant pro judicio probabili, & excusatione à majori obligatione in rudibus, secùs pro evidentia, quæ non datur vbi deficiant essentialia motivi evidentis veri, & certi, & talis judicati à Deo, vel à quolibet intellectu penetrante essentialia requisita evidentię. Nullus autem intellectus Sapiens judicabit, quod creditio Mysterij difficilis, & mutatio Religionis, fundata solum in persuasione Parochi, faciat in intellectu rudi, plusquam excusationem, sed non evidentiam.

480 Objicies 1. ex Patre Oxea. Sine judicio evidenti credibilitatis, & obligationis credendi, nequit stare prudens mutatio Religionis, quia hæc trahit secum propositum firmum amplectendi Fidem pro tota vita, illaque Mysteria firmiter tenendi vsque ad mortem: quæ firmitas nequit prudentèr concipi absque evidentia credibilitatis: ergo. Concessa majori, nego min. quia hoc propositum ejusque firmitas in rudi sufficientissime concipitur ex judicio existativè probabili concepto absque vlla hæsitatione aut formidine, ac per consequęs subjectivè certo. Istud enim sufficit vt postea firmitèr, & tenacitèr talis creditio conservetur per totam vitam.

Obij.

481 Objicies 2. Potest quis rusticus convictus à Prædicatore Fidei, judicare Mysteria, certo & evidenter credibilia. Si postea suum judicium communicet cum aliquo Doctore suæ Sectæ, & iste ei proponat tales rationes, & suo videri tam efficaces, vt faciat illum dubitare & manere ancipitem. Vel tunc ille tenetur amplecti Fidē; vel non tenetur. Si tenetur: ergo potest quis licitè, imo debet Fidem sequi & paternam Religionem relinquere, etiam dubius & non convictus. Si non tenetur: ergo non peccat manendo in sua Secta; & si non peccat potest in illa & extra Ecclesiam salvari. Respondetur: quod non tenetur, imò male faciet non convictus, & in casu dubio. Nego tamen, quod possit salvari in sua Secta, quia aliud est quod non damnabitur propter non acceptationem Fidei, (secus propter alia peccata) & aliud quod salvabitur in illa Secta. Solùm enim salvabitur, si eliciat contritionem supernam de suis peccatis, si ea habet; sed tunc contritio jam est Baptismus flamminis, & ponit eum intra Ecclesiam in Voto, & sic salvatur non in sua Secta, sed beneficio Ecclesiæ, & in ordine ad illam. Dixi, *si ea habet*, nam si non habet, quia integre servavit totam legem naturalem; ad providentiam Dei pertinet illum dirigere, vt accipiat Baptismum in cujus vi salvabitur.

482 Objicies alius 3. Sicut est evidens, quod ille qui operatur cum opinione probabili, operatur honeste, ita est evidens quod respectu rudium, energia prædicantis, aut authoritas Parochi, aut Confessoris (saltem hæsitatione cessante) facit pro rudibus opinionem certo probabilem: ergo etiam erit evidens, quod facit pro illis rem prædicatam prudenter & honeste credibilem: ergo etiam in illis præcedit judicium evidens de credibilitate ex hoc motivo, non minus quam præcedat in sapientibus. Respondetur, duplex posse efformari judicium à rusticis de prudenti credibilitate. Vnum absolutum; aliud respectivum. Primum dicit: *Sanè quòd ista*

*dicit, fit ab eius energia & authoritate, valdè credibile prudentèr.* Secundum, nempè respectivum dicit: *Sanè quòd iste dicit, fit ab eius energia & authoritate valdè credibile prudentèr pro nobis rudibus, & maiorem indagandi obligationem non habentibus.* Istud iudicium est quidem evidens, secùs primum: quia ad primum, insufficienti ad certificandum fundamento ducuntur, ideòque est solum entitativè probabile. Primum autem est, quod ipsi efformant communitèr, & de illo dicimus, quod sufficiat, & non sit iudicium evidens.

## ARTICVLVS III.

### *AN TALE IVDICIVM DEBEAT ESSE SVPERnum, & à quo habitu procedat.*

483 DEBERE esse supernum, affirmant plures. Censeo 1. non semper debere esse supernum. Probatur: quia aliquando oritur à solis naturę viribus, quod visis per oculos talibus portentis, natura à se ipsa moveatur, vt judicet credibilia esse, quæ talibus muniuntur signis. Confirm. quia hoc iudicium non nititur veritate Mysterij, quæ superna est, sed solum credibilitate fundata in illis adminiculis externis, nempè portentis per oculos visis, qua ratione nititur motivis modo naturali propositis.

484 Objicies: tale iudicium evidentèr cogitans & assentiens credibilia esse Mysteria, valdè conducit ad credendum: ergo est superuum, & ex gratia per Christum. Probatur consequent. ex Arausicano 2. Canone 7. dicente: *Hæretico falli spiritu eum, qui per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet cogitare vt expedit, contendat.* Respondetur, dupliciter aliquid posse pertinere ad salutem, nempè remote & proximè. Primum solum sine secundo, non est cogitare vt expedit. Cogitat autem vt expedit, qui post eviden-

tam

tiam speculativam credibilitatis mediate se habentem, postea practicè cogitat. & suasivè. Vt credat, hoc secundum debet esse supernum, vel in substantia, vel in modo, secus primum.

485 Si objicias 2. Quod Fides superna petit, quod illustratio illam precedens semper sit superna: ergo & tale judicium utpote illuminans. Nego consequentiam, quia istud judicium non se habet proximè ad Fidem, sed alia sancta cogitatio ad illud subsequuta, suadensque immediatè assensum Mysterij, hæc autem est superna.

486 Censeo 2. Tale judicium posse esse supernum, si Deus præbeat auxilium supernum ad illud, sicut diximus to 1. de conclusione Theologica *in Quæstione de Sacra Doctrina*. Probatur: quia non est inconveniens, vt idem objectum sub eadem ratione *qua* expressata (v.g. eadem sublevatio miseriæ) attingatur modo per actum naturalem, & modo per supernum sub diversa attingibilitate *sub qua*. De quo *anu* 1395. *de Incarnat.*

487 Objicies: Nihil solemnius apud Concilia & Patres quam dicere, quod Fides est initium justificationis. Atqui si tale judicium esset supernum jam ab illo incepisset Ordo supernaturalis & justificatio: ergo non est supernum. Respondetur: si hoc argumentum aliquid probat, etiam probat, auxilia data ad Fidem non esse superna. Patres ergo ponunt pro fundamento Fidem, sed præparatam piaaffectione, auxiliis, &c. Sicut initium edificij sunt lapides fundamenti, sed adducti & præparati. Sed vide infra *Quæst.* 10. *artic* 3.

488 Quæritur 2. A quo habitu provenit tale judicium supernum? Cajetanus aliique Thomistæ ad 2. 2. *quæst* 1 *artic* 4. *ad* 3 docent provenire ab habitu Fidei. Probant ex verbis D. Thomæ, vbi hæc habet: *Lumen Fidei facit videre, eaque creduntur. Sicut enim per alios habitus virtutum, homo videt, illud quod est sibi conveniens secundum habitum illum, ita*

*etiam per habitum Fidei inclinatur mens hominis ad assentiendum ijs, quæ conveniunt rectæ Fidei, & non alijs.* Atqui non videt ipsa Mysteria vt constat ex Divo Thoma in corpore: ergo videt eorum credibilitatem ex signis. Alij tribuunt eliciendam hujus judicij habitui prudentiæ supernaturalis, quæ quidem dictat evidenterè, res, quæ talibus signis probatæ sunt, valdè esse credibiles. Ita communiterè Recentiores contra Thomistas.

489 Tandem Pater Oxea *disputat.10. de Fide, num.68.* tribuit peculiari habitui superno specialiterè ordinato ad talia judicia. Probat: quia tale judicium evidens, nequit elici à scientia superna per se infusa; si quidem ista est propria status Beatifici, & sic non datur in via. Nec à dono intellectuali Spiritui Sancti, quia ista solum dantur ad eventus raros & extraordinarios. Addere potuisset talia dona solum reperiri in homine justo, qualis regularitèr non est Gentilis, dum primo format tale judicium de Mysteriorum credibilitate. ¶ Nec potest provenire à prudentia infusa, quia istud judicium solum judicat, quod istę res habeant sufficientissima signa probantia, quod sint dictæ & revelatę à Deo: quod quidem judicium est purè speculativum. Prudentia autem est habitus practicus dictans juxta circunstantias præsentes hoc esse faciendum, vel non faciendum. ¶ Item nec potest provenire à Fide infusa, quia tale judicium non habet pro motivo divinam revelationem, quod est vnicum & speciale specificativum Fidei, sed habet pro motivo testes & alia signa, per quę Mysterium factum est prudenterè credibile: ergo necesse est quod proveniat ab habitu speciali.

490 Mihi certum est. Primo, tale judicium quando est naturale procedere à sola vi naturali intellectus convicta à vi patenti signorum, sicut contingit in omni actu evidenti naturali. Secundo probabilius mihi est, quando judicium est supernum ex parte principij, pro-

ve-

venire à sola qualitate sive auxilio transeuntis. Ratio est, quia talia judicia sunt parum frequentia in his, qui convertuntur ad Fidem. Positis enim illis, ferè statim sequitur conversio regularitèr. Post conversionem autem rarissime fideles faciunt tales actus. Pro actibus autem infrequentibus non est ponendus habitus, sicut nec ponitur pro primo actu Fidei disponente ad justificationem, per quam simul cum gratia habituali infunditur habitus Fidei.

491 Assero 3. Quod si habitus est admittendus, sufficit habitus prudentiæ infusæ, si tunc adsit in intellectu. Ratio est, quia dum homini proponuntur Mysteria, tanquam dicta à Deo à Prædicatore, vt illa credat, non solum proponuntur Mysteria vt verè à Deo dicta, (de hoc enim evidentiam strictam formare non potest) sed vt credenda, vel credibilia, vel debita credi, tanquam à Deo dicta. Vnde nõ est judicium purè speculativum, sed practicum, & in ordine ad creditionem.

492 Tandem assero tale judicium non posse procedere ab habitu Fidei. Tùm quia iste, contractus & determinatus est specificari à motivo divinæ revelationis vt tali, nempè quia Deus dicit: ergo non potest extendi ad alios actus specificatos à signis evidentèr credibilitatem persuadentibus. Tùm etiam, quia talia judicia præcedunt regularitèr in adultis conversionem ad Fidem, cum in ipsis adhùc habitus Fidei non est.

## ARTICVLVS IV.

### SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRA SECVNdam partem.

493 OBijcies 1. Habitus Fidei est instar potentiæ: ergo valet vniversalitèr extendi ad actus Fidei, & ad judicia evidentia. Confirmatur: quia forma & dispositio ad formam, nempè ignis & calor vt octo

procedunt in igno ab eodem igne: ergo & Fides, & aliud judicium ab eodem habito. Concesso antecedentis, nego consequentiam; quia Fides limitata est ad ly *quia Deus dicit*: & nequit extendi ad alios actus, etiam si sit instar potentiæ: aliàs idem habitus esset Charitatis & Spei, quia etiam sunt instar potentiæ. Sed non sunt instar in universalitate, sed in dare simpliciter posse. Ad confirmationem distinguo antecedens. Forma & dispositio possunt provenire ab eodem principio, aliquando concedo, semper nego. Ad contririonem enim Fides, & Spes, & illustratio atque inflammatio disponunt vltimo, & non procedunt ab eodem principio. Quòd si ignis & calor procedunt ab eodem igne, id provenit, vel quia habent eandem rationem specificativam sive saltim connexam, nempè de linea combustibilitatis, vel calefactibilitatis, vel quia potentia ignis non est ita contracta ex natura sua ad vnum, teste experientia, sicut est contracta natura & essentia habitus Fidei, vt constat ex ejus definitione à Thomistis admissa, nempè; substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium: ergo nequit esse de evidentibus, quale est objectum talis judicij.

494 Objicies 2. Habitus Fidei est lumen & lucerna ex Scriptura: ergo facit aliquem actum clarum. Atqui ipse actus Fidei non est clarus: ergo facit judicium credibilitatis, quod est clarum. Respondeo distinguendo primum conseq. Facit actum clarum, id est illuminantem intellectum vt certo noscat, quod non sciebat, concedo; actum evidentem, nego.

495 Tandem objicies, ex authoritate D. Thomæ supra posita, quod homo per lumen Fidei videt credenda in generali, sive in ratione credibilium; quatenùs noscit credēdas esse res, quę talibus signis probatę sunt. Respondeo, ibi Divum Thomam satis obscure loqui, solum tamen vult, quod id præstetur per lumen Fidei; non quidem ellicitivè & formaliter per ipsum, sed solum

lum præsuppositivè & exigitivè; quatenùs propter Fidem inducendam præbet Deus, prævie aut subsecutivè pro ea exercenda, auxilia transcendia, vel prudentiam infusam, per quæ judicet evidentèr tales res esse credibiles. Hęc solutio est conformior quam adducta à P. Oxea, docente Divum Thomam ibi *per videre*, non intelligere idem, *ac evidentèr cognoscere*; sed idem *ac certo cognoscere*, & sic intendit Divus Thomas, quod intellectus per Fidem videat, id est certo noscat ipsa Mysteria revelata. Vudè de his loquitur, dum ait, videre per lumen Fidei, & non de credibilitate per eam visa.

496 Sed contra, quia D. Thom. in toto Articulo sumpsit videre pro cognitione evidenti, & præcipuè in fine corporis Articuli, vbi ponit distinctionem inter videre & credere; quia videre datur quando actus sufficientèr movetur ab objecto proprio; credere, quando non sufficientèr, sed per quandam electionem vt continetur in opinione, & Fide: ergo non potest à D. Thom. *videre* per Fidem, summi pro *certo cognoscere*, incluso in ipsa Fide; sed pro cognitione evidenti, non de Mysterio: ergo de credibilitate. Item quia ex *art.* 5. *ad* 1. clarè constat loqui de, videre esse credenda.

497 Dices 2. D. Thomam non posse summere ly *videre* in verbis adductis in sensu quo sumpserat in corpore; nam in corpore sumpsit pro *intuerì*, quia tale judicium licèt sit evidens, sed non intuitivum, sed abstractivum & per discursum: ergo in diverso sensu summit, ergo pro *cognoscere certo*. Sed contra, quia in corpore ly *videre* sumpsit pro actu evidenti assentienti ex motione sufficienti ab ipso objecto; quod potest intelligi de motione per se, mediata vel immediata, vt sumpserat in initio corporis. Hoc autem est idem, ac summere pro evidentia communi intuitivæ & abstractivæ, non autem determinatè pro intuitiva. Insuper etiam si loquatur de intuitiva cumuli signorum, nullum

appareret inconveniens, quia talia bona oculis visa sunt.

498 Contra eandem, quia vt constat ex respond. ad 2. clarè D. Thom. loquitur de evidentia Mysteriorum sub ratione communi credibilium: ergo etiam de illis loquitur in responsione ad tertium, dum ait, videri per Fidem. Sed vt dictum est, non loquitur elicitivè, sed causalitèr inductivè. Tùm quia ait: *Quod Lumen Fidei facit videre*: Id est, est causa vt homo videat. Quod tamen satis præstat, per aliud principium, ob Fidem datum. Insuper ait, quod per habitum Fidei inclinatur mens hominis ad assentiendum, inclinare autem ad assentiendum, est quidē esse causam assensus, sed non elicitivam. Bona ergo est solutio data à nobis, *n.* 495.

## QVÆSTIO X.

## DE PIA AFFECTIONE.

### ARTICVLVS I.

### AN REQVIRATVR PRO ACTV INTERNO Fidei.

499 POST judicium credibilitatis, quod præcedere solet exercitium Fidei, communior sententia ponit piam affectionem, sive imperium voluntatis ad determinandum intellectum ad assentiendas res Fidei, sed hoc non est absque controversia. Scotus enim *in 3. distinct. 25. quæst. 1. & 2.* & aliqui alij tenuerunt, tale imperium voluntatis non requiri. Quæ sententia negans.

500 Probari potest 1. Quia quoties intellectus habens ex parte principij habitum, & alia comprincipia intellectualia; & ex parte objecti habet sufficiens mo-

motivum assentiendi; non indiget aliquo alio, vt assentiatur. Atqui in Mysterio revelato proposito prudentèr vt dicto à Deo, habet sufficiens motivum assentiendi. Quotiescumque enim assentitur Fide divina; ideò assentitur Mysterio, quia dictum est à Deo: ergo in ipso Mysterio provt prudentèr proposito vt dicto à Deo, habet sufficiens motivum assentiendi. Confirmatur: quia omnes potentiæ necessariæ possunt (eo solum quod non impediantur) ferri in objectum suum sufficientèr applicatum & propositum. Sola enim voluntas quia est libera, non necessitatur, positis omnibus requisitis, ad operandum, & eget determinari: ergo, &c.

501 Respondeo: quod intellectus tam in exercitio Fidei, quam opinionis, siquidem non operatur convictus ab objecto, (hoc enim solum evenit, quando objectum est evidens, non quando dubium, vel obscurum) operatur ex electione, ac per consequens ex determinatione voluntatis ad quam spectat eligere. Ita Divus Thomas *secunda secundæ, quæst. 1. artic. 4. in corpore.* Solius autem electionis, sive actus voluntatis proprium est, quod quando in objecto datur sola sufficientia vt moveat, & non sufficientia vt determinet atque convincat potentiam, ipsa supplear, & determinet positivè eligendo & mandando, quid tenendum sit. Sic in Materia de Actibus Humanis communitèr dicitur contra Bazquez, quod inter media omnino, omnino æqualia potest voluntas eligere quod voluerit, (imò inter inæqualia potest minus vtile, relicto vtiliori) v.g. ad sedandam sitim potest ex duobus aquæ vasibus omnino, omnino æqualibus, assummere quod maluerit; non enim homo in eo tunc se sinet siti perire. Tunc autem ex parte objecti datur causa & motivum assumendi, nempè vtilitas illius aquæ ad finem. Non autem motivum & causa præ eligendi, quia ista non summitur ab objecto, sed à principio sive à voluntate. ¶ Vndè si quæratur: *Cur voluntas assumpsit vas aquæ?* Respondebitur: *Quia vas*

*ha-*

*habebat sufficientem utilitatem ad finem.* Si quæratur: *Cur sumpsit hoc præ alio, cum utrumque esset æquè utile?* Respondetur, supposita sufficientia ad finem, ideò prælegit: *Quia erat libera ipsa, & erat in sua manu determinare; sive quia voluit: sive quia cum esset libera, potuit.* Non ergo tunc sufficientia objecti est quæ determinat (quia in similibus rebus datur indifferentia ex objecto) sed determinatio summitur ab electione principij, quia ad prælectionem vt talem, & vt importat præscisè ly *hoc præ alio*, non requiritur ratio, vel motivum, sed est pro ratione voluntas.

502 Nunc in forma respondetur ad argumentum distinguendo majorem. Quando intellectus habet ex parte objecti sufficiens motivum assentiendi, non indiget aliquo alio vt assentiatur, si motivum sit sufficiens, non solum ad assentiendum; sed etiam ad determinandam potentiam, concedo majorem. Si non sit sufficiens ad determinandam potentiam (vt contingit in objecto Fidei & opinionis) nego majorem. Cum enim ad assentiendum exercitè requiratur determinatio potentiæ, si ipsa non habet determinationem ab objecto, non verificatur, quod habeat omnia requisita ad determinatè assentiendum: est enim vnum ex requisitis principium aliquod distinctum determinans. Quod principium nequit esse ipse intellectus, quia iste non est formalitèr liber ad se determinandum. Debet ergo esse voluntas, quæ positivè ipsum determinet, nec sufficit solum quod non impediat. Ex quo patet ad confirmationem, quę solum est vera, quando objectum convincit ad exercitium, & voluntas non impedit.

503 Ex his patet solutio ad secundum argumentum, quod potest esse illud, quod pro ratione dubitandi adducit Pater Oxea *disputat.* 11. *sect.* 1. Nempè quia si intellectui non apparet motivum assentiendi, non assentietur, etiam si imperet voluntas; quia sine specifi-

ca-

cativo nequit dari assensus. Si autem apparet, ad quid imperium voluntatis? Non vt assentiatur infra motivum, quia non esset affectio pia, sed impia, facere vt intellectus minuat de Fide debita: nec supra motivum, quia talem excessum præstaret sine motivo. Nec æqualitèr ad motivum, quia ad hoc sufficit motivum ipsum.

504 Respondetur enim requiri ad hoc vltimum; & nego motivum ipsum sufficere, quia licèt sufficiat ad assensum terminandum, & specificandum, sed non ad determinandum. Intellectus autem, cum sit potentia necessaria, assentietur juxta motivum, quando adsint omnia requisita. Non autem adsunt pro potentia necessaria, donec adveniat determinatio à voluntate, eo quod intellectus nequeat determinari à se.

505 Objicies 3. Voluntas licèt possit cohibere, vel movere intellectum quoad exercitium secus quoad specificationem. Ita docet D. Thom. 1 2. *quæst. 9 artic. 1.* & merito, quia ipsa motivum determinationis supplere non potest: ergo nequit ejus motio determinare ad assensum Fidei præ dissensu. Respondeo: omissa solutione Patris Gonet, nego antecedens in rebus obscuris sive dubij. D. Thomas autem solum negat de evidentibus, in quibus voluntas solũ potest exercitium imperare, aut cohibere. ¶ Ad probat. Respond. motivum sufficiens specificativum actus assentiendi, jam supponi necessario ex parte objecti, quia cum sit essentialis forma specificativa, hæc insupplebilis est à voluntate, imò & à Deo ipso. At si loquaris de motivo determinationis, jam est dictum determinationem ad se conformandum cum motivo assensus præ motivo dissensus, non egere motivo intellectuali, sed libertate. Si dicas, quod motivo deficit vt determinet, est evidentia; sed hæc est insupplebilis à voluntate: ergo. Distinguo minor. est insupplebilis quoad reddere objectum clarum, cõcedo;

quo

quo ad munus determinandi, nego: quia istud sicut aliquando est ab objecto, etiam est in obscuris ab alio principio.

506 Objicies 4. Posito judicio evidenti dictante hominem debere credere dicta esse à Deo Mysteria talibus signis munita, homo non potest non credere illa, si voluntas non impediat: ergo non indiget positiva motione. Consequentia probatur: quia evidentia credibilitatis, & obligationis, non minus ligat intellectum ad credendum, quam præmissæ ad eliciendam conclusionem, quia non est minus evidens, quam præmissæ cum sit metaphysicè evidens: ergo sicut intellectus, si non divertatur & impediatur à voluntate, non potest non elicere conclusionem, ita non potest non elicere creditionem. Respondeo distinguendo antecedens, non potest non, *moralitèr, & licitè*, concedo antecedens, (nempè non posse); Physicè, nego antecedens: quia Physicè tale judicium solum convincit evidentèr, quod illa Mysteria debeant ex obligatione conscientiæ credi, id est debeant assentiri vt dicta à Deo. Convincunt ergo evidentèr debitum & obligationem vt credantur, sed non necessitant physicè ad exercitium creditionis, sicut necessitant præmissæ ad conclusionem. ¶ Ratio est, quia hoc debitum cum sit debitum morale præcepti; eo ipso concernit voluntati, cui imponitur: sed relinquendo liberam vt vellit, vel nollit & peccet; sicut & alia præcepta relinquunt in manu voluntatis, quod vel obediat prudentèr, vel imprudentèr resistat. Tale autem debitum obligat, vt positivè vellit creditionem; quia non impedire, solum sufficit, vbi aliàs supponitur convictio, vt in præmissis.

507 Replicas: Intellectus non potest non assentiri rebus, si dictæ sunt à Deo, scit enim evidentèr Deum in suis dictis, nec posse falli, nec fallere: atque illud judicium dictat evidenter talia Mysteria esse dicta à Deo: ergo. Confirmatur: positis his præmissis atque as-

assentiris: *Quidquid Deus dicit verum est. Atqui dicit Mysterium Incarnationis* Impossibile est, quod non convincatur,& concludat: *ergo verum est.* Et hoc absque pia affectione ad conclusionem (quæ illatio apud multos est actus Fidei:) ergo similitèr posito judicio evidenti credibilitatis. Respondeo concessa majori, nego minor. Solum enim dictat evidentèr, credibile esse quod sint dicta; non verò dictat evidentèr quod sint dicta,& valdè est in hac materia cavendum, ne fiat transitus de credibilitate ad veritatem in re. Sicut enim vt sæpè dictum est probabilitas, non summitur ab eo quod res est, vel non est, (quia ab hoc summitur veritas) sed à fundamentis id persuadentibus,& allicientibus ad assensum opinativum: sic nec credibilitas summitur ab eo quod res sit, vel non sit, sed à signis allicientibus ad creditionem de eo quod sit; quamvis in re & vere numquam sit. Vndè veritas summetur à re, prout est, vel non est, probabilitas autem & credibilitas ab apparientia rei fundata.

¶ Ad confirmationem, concesso antecedenti, nego consequentiam: quia illatio illa ex præmissis in forma necessitat physicè ad conclusionem, (nec illa conclusio est Fides, sed Theologia: nec si esset, indigeret forsè pia affectione, sed de hoc in quæstione de evidentia in attestante) At illud judicium solum convincit debitum morale credendi, non verò physicè necessitat ad creditionem.

508 Objicies 5. Fides compatibilis est cum evidentia in attestante. Atqui hæc non eget motione voluntatis vt dictum est de præmissis: ergo. Minor probatur: quia Dæmones credunt Mysteria,& contremiscunt, ex *Epistola Iacobi, cap.2.v.19.* Credunt autem ex evidentia in attestante, & evidentia signorum: ergo vbi datur evidentia signorum,& in attestante, non erit necessaria pia affectio. Responderi potest. 1. & facilitèr concedendo totum, quia vbi datur evidentia in

at-

attestante, dantur equivalentèr illę duę præmissæ physicè ad creditionem convincentes: *Quidquid Deus dicit, verum est: Atqui ipse dicit Incarnationem: ergo vera est.* ¶ Cùm præmissæ sint evidentes illi intellectui, manet convictus physicè ad assensum conclusionis: imò fortè dici potest idem de Dœmonibus etiam in illis, quæ credunt ex sola evidentia signorum, si ista talia sint, vt formare possent judicium evidens (ex signorum & circunstantiarum penetratione) de eo quod impossibile sit Deum talia signa fecisse, nisi vera esset doctrina pro qua facta sunt. Est tamen magna disparitas inter eos & nos, non habentes similes evidentias, nec rem ita penetrantes, sed solam illam de credibilitate prudenti.

509 Respondeo 2. Si posita evidentia in attestante, adhùc Mysterium manet obscurum, & non convincens intellectum, adhù requiritur pia affectio & imperium voluntatis. Tùm quia, adhùc intellectus determinante indiget; quod cum non sit objectum, debet esse voluntas. Tùm quia, adhùc illa creditio est meritoria, vt constat ex illo Pauli: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*: ergo adhùc creditio erat libera, ac per consequens imperata positivè à voluntate. Ad illud de Dœmonibus, ex Divo Thoma *hic quæst. 5. artic. 2.* respondent Thomistæ, intellectum eorum convinci à signis, vt judicent talia Mysteria esse credenda, sed cum sint aliàs obscura, egent, vt voluntas determinet intellectum: non quidem voluntate laudabili, sed quasi coacta.

## ARTICVLVS II.

### *REQVIRITVR PIA AFFECTIO.*

510 NOTA 1. Quod in rigore non est idem pia affectio voluntatis, & imperium voluntatis, (quę hucusque visi summus confundere, & fortè parum

refert pro dictis) licèt vterque actus sit pro eliciendo actu Fidei; nam pia affectio sonat actum volitionis ex motivo alicujus convenientiæ, molitèr & lenitèr intellectum non convictum à veritate objecti, inclinantem & demolientem ad præstandum assensum præ dissensu; imperium autem his pietatibus non indiget. Dæmones enim ex Divo Thoma, ex imperio voluntatis credunt: sed non ex pio, nec suavi, sed ex coacto per signa: non quidem coacto simpliciter, sed secundum quid, (nolent enim credere si possent) sicut qui à tempestate obligatus, merces proijcit, ex imperio voluntatis proijcit, sed coactè.

511 Nota 2. Quodcumque motivum Fidei vel Opinionis probabilis, esse quidem intellectui sufficiens ad assentiendum; sed non ad determinandum vel convincendum, quia talem vim sola evidentia sortitur. Quod ergo deficit motivo de vi determinativa, supplet voluntas, non quidem addens motivum pro intellectu, sed pro voluntate ipsa, vt determinet illum. Pono exemplum: Proponantur intellectui alicujus Thomistæ duæ opiniones probabiles, vel vt æquè probabiles, vel vna scilicèt Thomistica, aliquantulum deficilior. Si ista sit inter Thomistas communior, ex amore ad Scholam, piè afficietur erga istam, & intellectus illam amplectetur, ex motivo quidem convenientiæ; non quidem pro intellectu, sed pro voluntate electiva.

512 Nota 3. Ex dictis à *num.* 501. Voluntatem ad eligendum, & præeligendum, non ægere motivo præelectionis; eget quidem motivo volitionis, scilicèt bonitatis objecti apprehensa, sed pro præelectione sufficit sine motivo libertas sola principij, scilicèt: præelegit, quia eum sit libera, potuit: Attamen, licèt hoc sæpè verum sit, in eligenda Religione, quam sequatur, meo videri semper debet dari pro intellectu aliquod motivum, licèt non convincens, præponderans. Quod debeat esse non convincens, patet, nam aliàs non daretur locus

piæ

pię affectioni, nec libertati; debet autem esse præponderans. Aliàs voluntas, si pensatis signis credibilitatis Sectæ antiquæ, & paternæ, & signis Religionis Catholicæ de novo propositæ, invenirent ea æqualia & non magis vrgere, & præponderare ista; imprudenterè relinqueret antiquam, quia cæteris paribus ratio dictat, quod Paterna Religio semel amplexata, facilè relinquenda non est.

513 Probatur ergo necessitas pię affectionis pro Fide. 1. Ex Scriptura Sacra, in qua, quod plures non crediderint tribuitur duritiei cordis, sive obstinatę ipsorum voluntati, *Lucæ* 24. dixit Christus Discipulis suis euntibus in Emaus: *O stulti, & tardi corde ad credendum.* Dicuntur tardi corde, quia cor, & voluntas eorum tardo gressu ad credendum movebatur. E contra vero Fides tribuitur cordi, sive voluntati, ad Romanos 10. *Corde creditur ad Iustitiam.*

513 Secundo probatur necessitas impulsus positivi, sive piæ affectionis ex *cap. vlt. Marci*, vbi mandato imposito Apostolis à Christo, vt omni creaturæ Evangelium prædicarent, prosequitur dicens: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit condemnabitur.* Ex quibus verbis arguo sic: Qui non credit Evangelio sibi prædicato, condemnabitur, vtique propter peccatum infidelitatis. Salvabitur autem, qui crediderit, & baptizatus fuerit: In quibus verbis manifeste apparent demeritum, & meritum in exercicio discredendi, & credendi. Atqui ratio meriti & demeriti non possunt stare immediatè in actu intellectus, vel ejus carentia; sed in solo imperio, sive obedientia, vel inobedientia voluntatis: ergo Fides necessario requirit actum voluntatis; quæ sola libera est ex se. Confirmatur: quia in Scriptura sępè constat, quod actus Fidei sit meritorius. Dicitur enim Lucæ 1. *Beata, quæ credidisti, &c.* Item ad Romanos 8. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad Iustitiam.*

3.

514 3. Probatur, quia creditio debet esse libera: Atqui libertas non datur formaliter nisi in voluntate: ergo. Major. probat. authoritate Concil. Tridentini *Sessione 6. cap. 4.* loquendo de his, qui justificantur asserentis quod: *libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.* Item authoritate D. Augustini, *tractatu 36. in Ioannem*, dicentis: *Intrare quisquis in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, sed credere non potest, nisi volens.* ¶ Insuper, quia Mysteria obscurè proposita, quantumcumque sint munita signis credibilitatis, intellectui non adferunt determinationem vt in re & exercitè credat, vt constat experientia. Act. enim 28. Dum Apostoli prædicabant, & mirabilia operabantur, eisdem signis visis, quidã credebant, alij irridebant, alij vero judiciũ suspẽdebant. Quod est evidens argumentum de non convictione, aut determinatione intellectus per ea ad creditionem, sed de libertate. Alia multa Conciliorum, & Sanctorum Patrum testimonia invenies, apud Cardinalem Lugo *disputat. 10. de Fide, sect. 1.*

515 4. Probatur ratione: quia Mysteria fidelibus proponuntur obscure. Proposita autem obscure, non necessitant intellectum, nec convincunt assentiri esse in re vera, nec quoad exercitium, nec quoad speciem, quia id solum est proprium objecti evidenter propositi: Mysteria ergo obscurè proposita, movent quidem vt prudenter credibilia ad assensum: non tamen ad assensum necessarium sed voluntarium, cum adhùc talis veritas non sit aperta, patens, & convincens, sed aliqualiter latens, & non convincens: ergo adhùc indiget intellectus, aliquo determinativo supplente defectum evidentiæ convincentis, distincto ab ipso intellectu, quia cum intellectus non sit liber, nequit se ipsum determinare, nec sibi tollere indifferentiam. Id enim est proprium voluntatis, quæ sola est voluntas & libertas, & determinativa sui, & aliarum potentiarum

516 Insuper 5. Quia vt repetitū est sæpè & molestè (licèt nō ineptè attēta difficultate rei) sicut signa evidēter convincentia probabilitatem alicuius opinionis, non ideo convincunt veritatē in re, nec intellectum vt assentiatur illi; ita vt adhùc possit dissentiri, & si assentitur voluntariè & liberè assentitur. Sic nec signa convincentia evidenter credibilitatem Mysteriorum, convincunt eorum veritatem in re, nec obligant ad assensum physicè talis Veritatis. Imò etiam si convincant evidenter (vt verè possunt convincere) obligationē strictissimam credendi, ea esse verè dicta à Deo; adhùc non necessitant ad re ipsa credendum ea: Quia cognita evidenter ab homine quacumque obligatione sua, (etiam si sit imposita per legem naturalem) est in manu hominis, atque in ipsius libertate, tali obligationi non correspondere, & peccare contra illam: ergo etiam est in manu hominis, non credere Mysterium post evidenter cognitam ejus credibilitatem, atque obligationē credendi. Requiritur ergo voluntas positiva. Nam dum intellectus manet quasi ancept, & indeterminatus, cum intellectus non sit liber ex se, neque ex se possit se determinare, si etiam voluntas maneat suspensa omnimodè, nihil erit, quod intellectum determinet: ergo requiritur positiva affectio, & imperium voluntatis determinans. Si ergo in quocumque casu libere creditura est, præire debet positiva voluntas credendi.

## ARTICVLVS III.

### *ILLATIO NOTABILIS.*

517 EX dictis sequitur, vltra judicium credibilitatis Mysteriorum, dari aliud judicium in intellectu ante creditionem, proponens convenientiam in ipsa re credenda, v.g. conducentiam ad vitam æternam

nam repromissam. Quę convenientia objectũ credendũ (id est Mysterium propositum, vt dictum à Deo) complet, atque determinat ad rationem objecti voluntarij credibilis, sive objecti placentis intellectui jam emolito, & disposito (de quo Ioan. à Sancto Thoma *secunda secundæ, quæst. 1 art. 1 num. 3.*) Vndè objectum Fidei potest considerari, vel comparativè ad intellectum, (quo pacto stat in sola veritate obscurè proposita; sufficiẽte quidem ad determinandũ assensum, sed non ad determinandum, nec convincendũ) Vel potest cõsiderari plenè vt objectũ intellectus, quatenùs determinatè credentis; sive liberè, & voluntariè credentis. Quo pacto, licèt nihil addat de veritate, nec de evidentia, nec de luce objectiva intellectuali, addit ipsi objecto aliquid de convenientia respectiva ad voluntatem, per quam convenientiam, licèt non fiat assensibile, constituitur in ratione voluntarie assensibilis, & conflatur ex vtroque ratio objecti vtriusque simul potentię.

518 Dicitur autem tale objectum placens intellectui, quia jam præcomplacente voluntate in tali objecto propter convenientiam, facilè intellectus emolitur, mitescit ejus renitentia & ferocitas, & finit se à voluntate, nõ solum induci, sed determinari & captivari. Sic manet explicatum, quomodo sit de essentiali specificativo Fidei hæc convenientia objectiva, quia cum Fides essentialitèr debeat esse exercitium liberum & voluntarium (eo quod repugnet determinari intellectum ad assentiendum ab objecto inevidenti sine imperio voluntatis) etiam repugnabit creditio, quin vt talis consurgat ex exercitio intellectus & voluntatis; ac per consequens, & quia specificetur à convenientia vt placibili. Vndè pro Fide, defectus piæ affectionis: est insuperabilis, etiam à Deo; cum sit de specificativo determinativo intellectus vt emoliti, & determinati. ¶ Manet etiam explicatum, quomodo veritas objectiva Fidei placeat, emoliatque intellectus duritiem. Sicut enim potentia loco motiva tarda (quę nequit se move-

re absque imperio voluntatis) eo quod, licèt sit ex se potentia necessaria, absque illo non habet omnia requisita; post illud verò movet se motu celeri & placido juxta imperium voluntatis, atque vincit corporem, quantum sibi possibile est juxta talis imperij efficaciam: Similitèr evenit in intellectu, qui quasi placentèr sinit se duci, & determinari ab objecto in evidenti, emolitus, & quasi allectus à voluntate complacente.

519 Aliquando cogitabam de potentijs necessarijs nostris: an possint emoliri, atque allici per assuefactionem? Sæpè enim experimur, plura quæ primo aspectu sensibus sunt displicentia & horribilia, vt voces valdè raucæ, & modi vestitionis larvatæ vel nationis extraneæ, qui primo aspectu incutiunt oculis horrorem, postea (cum ab assuetis non fiat possio) assuefactione placent, imò & in cibis comedendis solet dari similis experiēcia. Mitescunt ergo & quasi emoliuntur ab vsu, & assuefactione, sicut & Bruta ferocia. Similitèr in physicè evidētibus, intellectus cōvictus de substantia, v.g. panis in Eucharistia, sinit se ad oppositū assentiēdū ligari & captivari. Item in primis principijs metaphysicis: *Impossibile est rem simul esse, & non esse*; & similibus, sinit se à Scopo deviari in Trinitate, per interpretationem ejus, & assuefactus facilius captivatur: ergo multo facilius in obscuris, & quæ non sint contra evidentiam naturalem.

520 Potest igitur dubitari: an sicut potentiæ nostræ materiales ex consortio intellectus spiritualis, fiunt perspicatores, (ita vt extendi possint apud plures Thomistas ad honestum materiale) perspicatiam aliquam participando ab illis, participent etiam à consortio voluntatis assuefactionem aliquam. Sed meliùs videtur dicere, quod objecta ipsa assuefactione fiant. Voluntati placentia, & ab hoc potentiæ materialis à voluntate placente emoliantur, & mitescant, quin po-

nas

nat aliquid ipsa in illis. Sed quia cum voluntas sit appetitus non solum suppositi, sed etiam omnium potentiarum, ipsę assuefiunt vt vincant difficultates, eisque placeat per complacentiam ipsius, quidquid voluntati placeat.

521 Obijcies, non requiritur pia affectio, vt quis credat dari Romam, eo quod ejus existentia sit moralitèr evidens. Nec item requiritur pro assensu credibilitatis Mysteriorum: ergo nec requiritur pia affectio pro assensu, & creditione Mysteriorum Fidei: positis siquidem signis, etiam est moralitèr evidens Deum ea dixisse. Respondetur permisso antecedenti quoad primam partem, & concesso quoad secundam, (quia judicium credibilitatis, non est evidens moralitèr solum, sed metaphysice) nego consequentiam, quia assensus existentiæ Romæ fundatur in motivo, non quidem obscuro sed evidenti, scilicèt in impossibilitate reperta, in eo quod convenerint ad mentiendum tot homines testes oculares, & aliàs experti veridici. Licèt autem etiam convenerint innumeri in consensum Mysteriorum Fidei, nobis ea dicēntes. Sed tot qui nobis dicunt, non sunt testes oculares. Et ideò motivum semper manet obscurum, estque necessaria pia affectio.

522 Dixi permisso antecedens: quia licèt regulariter pro Roma assentienda, non sit necessaria pia affectio, si tamen se offerrent cōtradictiones, & difficultates, sicut se offerunt circa Mysteria Fidei, necessaria esset. Vt si plures conjurarent hodie contra testes oculares. Sicut enim contra evidentiam physicam oculorum, credimus nunc in Eucharistia non dari panem, melius contra evidentiam moralem existentiæ Romæ, possemus Fidem præstare viris gravibus negantibus illam. pro qua Fide egeremus pia affectione. Et quia possemus similitèr assentiri existentiæ Romæ, non obstantibus tali contradictione, & possibilitate physica deceptionis In talibus testibus, qui se dicunt oculares,

etiam pro tali Fide posset requiri pia affectio. Admittenda ergo est in nobis necessitas piæ affectionis pro exercitio Fidei Divinæ.

## ARTICVLVS IV. & §.I.
## *AN TALIS PIA AFFECTIO DEBEAT ESSE Superna.*

523 SVfficere quod talis pia affectio sit entitativè naturalis, tenuit Pater Gaspar Hurtado *disputat.4.de Fide, diffic.8.* Probatque, quia nullum datur fundamentum propter quod honestas credendi, & assentiendi dictis Dei, non possit apperi affectione pia naturali, & propter talem honestatem creditio imperari naturalitèr. Contra quem insurgit Pater Oxea *disputat.11.de Fide, sectione 2.* estque communior sententia Theologorum tam Thomistarum, quam PP. Suarez, Molina, & Recentiorum.

524 Probat Oxea intentum primo, quia ille actus est intrinsecè supernaturalis, ad quem constat requiri gratiam per Christum. Atqui constat requiri pro tali pia affectione: ergo. Minor probatur ex Arausicano 2. Canone 5. dicente: *Si quis sicut augmentum, ita etiã initiũ Fidei, idest ipsum credulitatis affectum, non per gratiam, id est, per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad Fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturalitèr nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus contrarius approbatur.* Item ex Tridentino *sessione 6.cap.6.* sic dicente: *Disponuntur autem ad ipsam Iustitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum credentes.* Qui motus liber, est ipsa pia affectio: ergo ista fit ex gratia. Confirmatur: quia non ex alio capite convincitur supernaturalitas ipsius Fidei entitativa, nisi ex necessitate divinæ gratiæ ad illam.

2.Pro

525 2. Probat: quia talis pia affectio, & imperium exigit & inducit, & facit poni actum Fidei supernæ ab intellectu: ergo non potest esse entitativè naturalis. Consequentia probatur: quia aliter nec actus Fidei esset supernus, cum supponeret in natura, sive in illo imperio naturali exigentiam, & vim inductivam sui. Ex quibus patet ad Patrem Hurtado. Fundamentum enim ob quod non sufficiat affectio naturalis, est quia requiritur affectio egens gratia Dei, & vlterius affectio in qua detur exigentia ad superna.

526 Pro resolutione nota, *ex Tractatu de Visione Beata, à n. 119. & 122.* diversam quæstionē esse: Si sermo sit de facto, & attento hoc ordine rerum. Vel si sermo esset de possibili, & in alio. In alio enim fortè nulla esset repugnantia in eo quod actus supernus Fidei fieret ex motione naturali. Nec enim esset contra objectum formale piæ affectionis, (quod est honestas credendi dictis Dei.) Est enim attingibilis, & amabilis naturaliter. Nec item contra supernaturalitatem actus Fidei esset. Primo, quia adhùc eam conservaret iste à suo principio superno influente, simplicitèr requisito ad elicientiam talis actus. Sicut enim nullum est inconveniens contra supernaturalitatem assensus, quod procedat ab intellectu naturali, (dummodo simul procedat efficientèr à principio effectivo superno, elevāte & relicto in manu liberij arbitrij vt operari possit cum illo.) Sic nec officeret supernaturalitati assensus, quod applicatio principij superni ad assensum Fidei, fieret per volitionem naturalem.

527 Nec itē 2. esset contra supernaturalitatem Fidei, quod in natura detur exigentia ipsius quando exigentia est solum affectiva elicita, & efficax tantum quoad affectum, quia non importat connexionem: imò nec quod detur exigentia inductiva quoad effectum, dummodo hæc non sit ex parte sua per modum virium, nec per modum appetitus innati connexi, sed solum

lum per modum applicationis elicitæ affectivæ applicantis ad opus supernum, principium illud supernum effectivum ipsius, jam antecedenter datum à Deo ex sua gratia, & sine ullo debito ex parte naturę, relictum que quoad vsum in arbitrio voluntatis.

528 Sicut enim, quod Christus sit in Eucharistia, est quid supernaturalissimum: est tamen naturale, quod eo semel ibi posito, ego moveam illum localiter in Hostia, & manu mea applicem illum ori, & deglutiam ad stomachum, & positus ibi causat in me gratiam; sic (ad aliqualem modum explicativum) supernum quid est, quod homo habeat habitum supernum Fidei; estque ex sola gratia Dei. Applicatio autem ipsius, vt cum intellectu producat actum supernum Fidei, potest esse per piam affectionem naturalem moventem tale principium supernum ad operationem. *Vide omnino plura ad intentum istud in Tomo de Visione, quæst. 2. ab art. 4.*

529 Si autem sermo sit de facto, mihi tenendum est, piam affectionem immediatè inductivam intellectus ad Fidem, esse entitativè supernam. Nulla enim est repugnantia vt ibi diximus, in eo quod de objecto formali, & ratione *qua* naturali, possit dari non solum actus naturalis sub attingibilitate & ratione sub *qua* naturali, sed nec in eo quod præbente Deo principium supernum, possit dari de ea alius actus supernus sub attingibilitate superna, tanquam sub diversa ratione sub *qua* specificativa superna. Quando autem res duplici via fieri à Deo potest, & non constat nobis certo, quanam ex illis facta sit, recurrendum est ad Cócilia, & Patres tanquam ad divinæ voluntatis Interpretes.

530 Ex his autem satis constat, piam affectionem, quæ de facto est, fieri ex gratia divina, ac per consequens ex principio superno: & sic debet ea, quæ de facto datur, esse entitativè superna, vt probant Textus

adducti à Patre Oxea Et probari insuper potest ratione adducta, *num.* 352 *de Visione*: Vbi diximus esse ordinis superni, illa omnia quæ se habent specialitèr vt causæ, dispositiones, aut effectus gratiæ. Cum ergo pia affectio vltimo præparet, & disponat ad creditionem supernam eliciendam ab intellectu, medio principio elicitivo superno, necesse est saltim pro connaturalitate operandi, vt sit superna. *Vide infra art. 5 in fine.*

## §. II.
## *ARGVMENT. DIFFICILE P. ANTON. PEREZ.*

531 OBijcies ex ipso: Omnis actus specificatus ab objecto superno vt exercitè, & intre superno, necessariò debet esse supernus. Atqui pia affectio specificatur ab honestate credendi superna, vt in se superna: ergo de necessitate debet esse superna. Minor patet, quia honestas credendi Deo vt talis, imbibit, vel importat signa credibilitatis. Hæc enim vt talia reddunt credibile Mysterium prout talibus signis munitum, & circunvalatum. Signa autem vt talia imbibunt necessario supernaturalitatem, quia imbibunt miracula, vel martyria constantissime tolerata tali fortitudine, quæ superet vires totius naturæ; vel doctrinam prout imbibentem res supernaturalissimas, & quæ non potuerint nisi per gratiam innotescere; vel doctrinam prout prædicatam à Viris Sanctis, ita vt Sanctitas ipsa refundatur in ipsa signa, augendo credibilitatem. Vel tandem honestas credendi, ita respicit Deum vt Deum loquentem, vt etiam ipsa natura Dei refundatur in ipsa signa: ergo honestas ipsa prout specificativa piæ affectionis, vel in se, vel in imbibitis, est superna vt superna. Quod argumentum etiam probat supernaturalitatem de omni judicio credibilitatis, vel saltem de evidenti. Etenim evidens connectitur essentialitèr in se, & exercitè, (& non solum intentionalitèr) cum signis

nis credibilitatis, vt talibus, à differentia judicij entitativè probabilis.

532 Responderi potest 1. ex doctrina Patris Arriaga *adducta à num. 181. de Incarnatione*, negando majorem. Quia eos supernũ debet superare vires, debitum, & inductionem à priori totius naturæ, secùs connexionem entitativam naturæ subsequutam à posteriori, qualis est in actibus jam illud supponentibus. Est enim superans naturam, sed induci, potest autẽ inducere connexionem exercitij naturalis secum, causando illud. Natura autem non connectetur cum illo, licèt exercitia naturæ connectantur cum illo, quia natura solum est potentia conditionata ad talia exercitia. (*De quo à num. 68. de Visione:*) scilicèt ex suppositione, quod superna existant, quin egeat pro se eorum existentia, imo nec possibilitate, nec eas absolutè petat.

532 2. Respondetur, concessa majori, negando minorem: quia honestas credendi dictis Dei, munitis pluribus signis, potest esse naturalis, & dictari à ratione naturali, etiam si talia dicta Dei sint munita signis supernis. Etenim honestas, etiam si vt obligatoria apprehendatur & detur, non pendet à signis supernis, prove exercitè & in re, & physicè veris, sed prove præ seferentibus veritatem: ita vt etiam si essent falsa, per severante magna apparientia, suffi ientem vim conservarent ad reddendam rem prudentèr credibilem. Sicut enim, vt eleemosyna data pauperi vt pauperi sit honesta, & aliquando obligatoria, non requiritur, quod verè & exercitè sit pauper; sed quod per signa appareat talis prudentèr. Sic vt creditio pro dictis Dei sit honesta & obligatoria, non requiritur, quod verè dixerit, sed quod per signa, prudentèr appareat dixisse. Vndè talis honestas vt specificativa præ affectionis, & judicij credibilitatis, asserentis quod Mysteria prove talibus signis munita sint valdè credibilia, & debeant credi, solum pendent essentialitèr à veritate vt apparien-

rientia multa munita, sive à veritate signata, non autem ab exercita & in re, ac per consequens à signis supra adductis, sed non vt exercitè, & in re supernis.

533 Replicabis 1. contra istam solutionem. Iudicium credibilitatis in sapientibus convertendis ad Fidem, debet esse non solum certum; sed etiam evidens, vt dictum est supra à *num.* 474. Atqui judicium evidens debet esse connexum ex se, & essentialitèr cum ob ecto specificativo: ergo cum specificativum talis judicij sint miracula, & alia signa superna vt talia, (vt probat argumentum nuper factum) necessario debet connecti essentialitèr cum illis vt in re, & exercitè supernis. ¶ Respondetur: In signis prove exercitè supernis duo dari. 1. Supernaturalitatem exercitam. 2. Magnam apparientiam, atque verosimilitudinem supernaturalitatis (quæ vt talis posset esse sine vera supernaturalitate exercita,) ita tamen vt prudenter judicari esse sine illa, hæc verosimilitudo non possit. Respondeo ergo ad argumentum, concessa majori, & minori, nego consequentiam: quia solum debet connecti essentialiter cum signis; secundum quod verissimè dicunt de verosimilitudine signatè, & prudentèr inductiva veritatis. Secùs cum vera supernaturalitate in re, & exercitè tali; illa enim est motivum sufficientissimum se sola pro evidenti credibilitate, (quin pro sufficientia requiratur supernaturalitas exercita, licèt valdè conducat pro superabundantia.) ¶ Sicut enim evidens est metaphysicè opinionem magnis munitam fundamentis licèt non veris, esse probabilem à fundamentis, vt à motivo evidentiæ, ita evidēs est metaphysicè, rē munitam signis tam summæ verosimilitudinis, esse prudentèr, imò & obligatorie credibilem. Igitur judicium evidens de credibilitate potest habere pro motivo credibilitatis certò & evidentèr judicatæ, signa ipsa secundum quod important

de

de verosimilitudine tam magna & vrgenti. Ex illaque (quæ verissima est in linea verosimilitudinis, & evidenter nota) credibilitate minducere, habendo connexionem essentialem cum re vt prudenter credibili, quatenùs talibus & tantis verosimilitudinibus munita. Et hoc absque connexione entitativa cum supernaturalitate prout exercita, & in re.

534 Replicabis 2. Ergo nunquam talis pia affectio aut tale judicium credibilitatis, erunt superna. Consequentia probatur: quia motivum semper erit honestas purè naturalis. Insuper: quia species impressæ signorum intrantes per sensus, semper erunt naturales, & naturaliter operantes. Respondetur negando consequentiam. Tùm quia tales actus possunt esse entitativè superni à principio elicitivo superno, & à connexione essentiali cum objecto ipso, non prout præcisè dicente rationem *quæ*, sed prout sumptam & vestitam ratione sub *qua*, sive attingibilitate superna vt exercitè tali. Ex quo patet ad primam probationem. ¶ Ad secundam respondetur primo, *ex num.* 500. *de Visione*, etiam si species intrantes per sensus sint naturales, influere vt elevatas per comprincipium supernum transiens.

¶ Respondetur 2. Aliquando species ipsas esse supernas, vt quando sunt evidentes de re prout superna, vel in substantia, vel in modo. Sicut enim species albedinis informat me evidenter de veritate albedinis in re, & exercitè; ita species hominis mortui in hoc instanti, & viventis in sequenti, informat me evidenter de resurrectione superna, vt superna. Quæ resurrectio licèt in essendo sit superna solum quoad modum; in genere objecti specificativi, sive in genere scibilis est superna quoad substantiam; quia species impressa, & cognitio evidens Resurrectionis vt talis, sunt de objecto prout superante totam activitatem naturæ; & sic quod respectu entitatis objecti est modus,

res-

respectu repræsentationis evidentis est substantia. *Vide à numer.190. de Incarnatione.* A tali ergo specie superna eliciatur judicium illud evidens. ¶ Respondetur 3. Quod sicut Deus ad exigentiam naturæ Angelicæ & objecti, producit in Angelo speciem impressam objecti, quam utpotè Angelicam, objectum nequit producere, sic ad præsentiam aut exigentiam objectorum supernorum in se, vel supernorum ratione alicujus cõnotationis, producit Deus species supernas, quibus intellectus elevatus jam ex parte principij, fœcundetur ex parte objecti.

535 In quo autem casu Deus similes species producat? Non est facile invenire, & fortè asseverare erit divinare. Existimo tamen juxta hanc tertiam solutionem, produci à Deo tales species in intellectu cujuscumque hominis fidelis, quotiescumque ab extrinseco excitantur propositio Fidei, vt quando pueri baptizati instruuntur de Fide, & quando homo peccator est eliciturus actum Fidei; quia cum jam intellectus supponatur elevatus ex parte potentiæ, connaturale est vt eleveturex parte objecti. Si enim Brutis, & Passeribus infundit Deus species impressas rerum sibi vtilium, suo statui proportionatas, nihil mirum, si & hominibus elevatis, vel dum eleventur ad statum supernum, infundat entitativè superna. ¶ Idem de Cathecumenis præparatis ad recipiendum Baptismum; quia fortè jam habent habitum Fidei etiam ante infusionem gratiæ habitualis, (de quo dum sermo fit de subjecto Fidei) vel quia, si parati sunt Fidem suscipere, dum eis non ponentibus obicem, Deus præbet auxilium transiens ex parte potentiæ pro elicientia actus supernl, connaturale est; vt etiam præbeat species proportionatas. Omni ergo habenti principium supernum ex parte potentiæ, congruum est vt adsit species superna ex parte objecti, quotiescumque datur excitatio ad exercitium talis principij. ¶ Hinc fit, quod omnis assensus Myste-

rij propter dictum Dei in homine fideli, debeat esse supernus. E contra in hæretico, etiam dum credit aliquod Mysterium propter dictum Dei; quia cum ponat obicem infidelitatis circa alia Mysteria, nulla est ratio suadens dari in ipso, nec principium ex parte potentiæ, nec ex parte objecti, vt actus evadat supernus.

## ARTICVLVS V. & §. I.

### *DE PRINCIPIO ELICITIVO PIÆ Affectionis.*

536 RESTAT altera Quæstio: an requiratur pro pia affectione elicienda habitus supernus, sive principium permanens. An verò sufficiat auxilium transiens? Thomistæ communiter, vt testatur Gonet *hic disputat. 2. artic. 2.* negant habitum, & principium permanens, ajuntque elici ab auxilio intrinseco transeunte. Recentiores communitèr admittunt habitum supernum specialem. Ita Suarez, &c. Oxea *disput. 11. sect. 2. num. 18.* admittit specialem habitum, ait tamen posse etiam elici per varios habitus juxta varietatem objectorum formalium, à quibus potest voluntas moveri. Magister Ioannes à Sancto Thoma, *hic disputat. 3. artic. 3.* discedit à Thomistis, quatenùs admittit principium intrinsecum permanens. Et benè, quia re vera est sententia expressa Divi Thomæ, vt constabit.

537 Assero ergo. Pro pia affectione elicienda requiritur specialis habitus, sive speciale principium permanens. Probatur primo authoritate Divi Thomæ *secunda secundæ, quæst. 4. artic. 2. in corpore.* Vbi docet, quod quando aliquis virtutis actus à duabus potentijs dependet, quarum vna aliam movet ad operandum, vtraque potentia debet esse perfecta per habitum, si actus sit perfectus. Nempè potentia im-

pe-

perans, & movens & potentia nota, atque exequens. Atqui vt constat ex dictis, ad actum Fidei voluntas est quæ imperat, & movet intellectum media pia affectione: ita vt creditio propterea imbibat rationem voluntariæ: ergo non solum debet poni habitus in intellectu pro Fide, sed in voluntate pro pia affectione. Idem docuit *quæst. 14. de Veritate, artic. 4.* & etiam generaliter *prima secundæ, quæst. 56. artic. 4.*

538 Respondet Gonet, Divum Thomam loqui de actu Fidei perfecto in ratione Virtutis, qualis non est Fides informis, sed formata charitate. Hoc enim pacto Fides pendet, non solum ab habitu intellectus, sed ab habitu voluntatis, qui tamen est ipsa charitas. Sed contra: quia Divus Thomas, si sincere legatur in loco *quæst. 4. artic. 2. in corpore*: manifestè loquitur de Fide secundum se ipsam. Inquit enim: *Quod ad perfectionem actus, qui ex duobus activis principijs procedit, requiritur, quod utrumque activorum principiorum sit perfectum & quod tali perfectio provenit ab habitu præexistente in utraque potentiarum.* ¶ Ratio autem ponendi habitum in potentijs est, quia se habent ad opposita: si ergo intellectus in exercitio Fidei se habet ad opposita, & voluntas in electione per quam determinat intellectũ, etiam se habet ad opposita, cum libera sit, necessario debet perfici per habitum. ¶ Manifestum autem est, quod creditio etiam informis procedat ab utraque potentia, ab intellectu vt exequente, & à voluntate vt imperante. Vnde creditio vt est actus perfectus, perfectione intrinseca credibilitatis voluntariæ, nequit non esse ab utraque potentia vt disposita per specialem habitum. Dispositio autem per charitatem solum est pro perfectione extrinseca ordinationis ad Deum, vt vltimum finem.

539 Confirmatur: quia *quæst. 14. de Veritate, art. 2. ad 10. ait*: *Quod voluntas determinat intellectũ ad assentiendũ his, quæ sunt Fidei: sed illa voluntas,*

*nec est actus Charitatis, nec Spei, sed quidam appetitus boni repromissi.* Arguo sic. In *Artic.2. Quæst.4.* de illo actu voluntaris, ait, procedere ab habitu existente in voluntate, qui movet intellectum ad assentiēdum. Atqui ex verbis nuper adductis, actus movens, & determinans intellectum ad assentiendum rebus Fidei; nec est actus Charitatis, nec Spei, sed appetitus boni repromissi (in quo asseruimus supra stare piam affectionem:) ergo constat liquido pro ista, poni à Divo Thoma in voluntate specialem habitum.¶ Quia obsit contra hoc, quod Divus Thomas *in 3.dist.23. artic.1. ad primum, & tertium*: tale principium pię affectionis non vocet habitum, sed dispositionem, (quæ sonat principium non permanens.) Respondetur enim ex Ioanne à Sancto Thoma, vocari sic: quia cum non sit homo ita firmus in Deo vltimo fine, per talem habitum incohativum Fidei, ac esset per Charitatem: (Siquidē affectus in aliquo non est ita firmatus per amorem, in quo intellectus nondum est firmatus per assensum.) ideò principium piæ affectionis cum præcedat assensum, potiùs habet modum dispositionis, quam habitus & Virtutis consumatæ, est tamen verè habitus. *Vide infra §.3.*

540 Secundo probatur: quia ex parte objecti, datur sufficiens honestas specificativa talis habitus. Atqui ex parte principij datur etiam sufficiens ratio propter quam tale principium debeat esse permanens, & non transiens: ergo. Major probatur: quia credere loquenti est quid honestum honestate quadam diversa ab honestatibus proprijs Virtutum Theologalium, atque aliarum Moralium, vt per se patet. Sufficiet ergo ad honestandum specialem habitum.

541 Confirmatur: quia conformitas in locutione cum mente est specialis honestas essentialiter specificativa specialis habitus Veracitatis; quia valdè con-

du-

conducit sic loqui, bono communitatis. Atqui ęque conducit velle credere loquenti. Aliàs deficeret commercium humanum, fieretque suspectum, deficiente voluntate credendi, sicut deficiente voluntate loquendi conformiter ad mentem: ergo etiam illa potest specificare habitum specialem.

542 Minor autem quoad secundam partem probatur, quia actus piæ affectionis est valdè frequens, & requisitus: sive sit formalis, sive virtualis: ergo connaturalius est vt pro illo detur habitus supernus permanens, sicut in peccatore propter frequentiam actuum permanent habitus superni Fidei, & Spei. Vadè nec destructa gratia destruitur ille habitus, sicut nec isti, quia pia affectio est inchoatio Fidei, ejus vestigia sequens; licèt alij infusi destruantur.

## §. II.

## ARGVMENTA SOLVVNTVR.

543 NEc obest 1. ex Thomist. contra dicta, quod habitus virtutis sit propter actus perfectos. Atqui pia affectio, cum sola sit propter Fidei actum, est exercitium imperfectum: ergo. Negatur enim minor; quia in linea imperandi est perfecta, sicut & dictamen practicum Prudentiæ, licèt sit propter actus, v.g. Temperantiæ, & similes in ratione virtutis perficiendos. Fateor ergo, quod pia affectio ex D. Thom. *quæst. 14. de Veritate, artic. 2. ad 10.* ex propria ratione præcedat creditionem vt dispositio & inchoatio. Tamen est dictum, esse perfectam in linea volitiva, licèt sit dispositio ad aliam lineam; solùm autem negatur habitus ad actum imperfectum in sua linea.

544 Nec obest 2. Quod pia affectio credendi possit oriri ab alijs habitibus, si fiat nępè ex motivo Obedientiæ, vel Charitatis. Respond. enim 1. Non posse in

peccatore, in quo nō sunt tales habitus. Resp.2. negādo, quando elicitur ob honestatē credēdi dictis Dei vt talē. Nec obest 3. quod talis habitus non esset Theologicus cū moveretur ab honestate creata credendi. Nec moralis: Tùm quia ex D. Thom. omnis infusa moralis est connexa cum Charitate. Item omnis supponit tanquam regulam suam Prudentiam infusam, quæ etiam est connexa cum Charitate ex D. Thom. 1.2. *quæst.45. art.4. ad* 1. Respondet 1. Ioannes à Sancto Thoma *hic disp.* 5. *artic.*3. eam Virtutem esse reductivè Theologicam, quia complet Fidem. Et fortè defendi posset aliter, ex eo quod Authoritas Dei aliqualiter refundatur non solum in locutionem Dei, sed in honestatem credendi illi. *Vide dicta à num.*144. *hic.*

545 Respondetur 2. esse moralem, permanereque in peccatore ratione habitus Fidei, cujus est complementum. Ad illud de Prudentia respondetur, quod infusa, licèt non maneat in peccatore in ratione virtutis perfectæ, juxta aliquos remanere in ratione habitus ob necessitatem ipsius ad actus Fidei & Virtutum remanentium, imperandos. Quod si solum permaneat acquisita, ipsa per actum naturalem proponit honestatem credendi, sed sancta illustratio superna transiens, de qua *num.*524. immediatè dirigit exercitium piæ affectionis: & cum illa illustratio sit initium, verificatur quod sit à gratia, & non à natura, augumētum Fidei & etiam initium.

546 Quod si primum judicium credibilitatis non sit ab habitu (nec Prudentiæ, nec ab alio speciali posito à P. Oxea) sed ab auxilio transeunti; ideò est, quia tale primum judicium non est frequens. Quod si etiam ad Fidem humanam non datur habitus piæ affectionis; ideò est, quia illa non est virtus, cum sit fallibilis, & pro affectione credendi sufficit naturæ vis. Quod si eandem ad velle reflexe facere actum Prudentiæ vel Charitatis, non datur habitus, dico adhùc dari ad velle credere,

Quia

Quia istud non est solùm voluntariè exercere virtutem; (nam ad hoc præcisè sufficiebat sola vis voluntatis,) sed vlterius est, intellectum captivare, determinare, atque Fidei exercitium in ratione volũtarij specificare, & hoc de necessitate requirit habitum.

547 Pro coronide adverte, in speciebus qualitatis habitum sive virtutem differre à dispositione, quia ille est difficilè mobilis à subjecto, secùs dispositio. In hoc ergo sensu dicitur à Divo Thoma pia affectio in peccatore dispositio, & Fides mortua virtus imperfecta, & à Thomist. nullam virtutem etiam naturalem esse in peccatore veram virtutem; nam etiam si maneat in ratione principij elicitivi, secùs in ratione virtutis, id est difficilè mobilis. Cum enim per peccatum sit aversus à Deo fine vltimo etiam naturali, & non firmatus in ipso. (Firmitas enim hæc solum est per Charitatem) in nullo bono potest esse firmus: & propterea addunt quod omnis virtus etiam naturalis, debet esse connexa inter se.

548 Si enim mulier casta non sit firmata in omni bono, quia nempè est avara; propter divitias cedet castitati, sicut & homo timidus propter vitæ supra Deum appreciationem, facilè apud Tyranum cedet Fidei. Quod si sæpè in peccatoribus reperitur magna ad Fidem adhæsio, illa potius est subjectiva, (sicut & solet esse in ipsis aliquando etiam ad res malas) quam formalis, aut ex honestate Virtutis. Propterea ergo Fides & Spes dicuntur fieri formes à Charitate, & ab illa recipere rationem Virtutis perfectæ; quia ab illa, licèt vt à forma extrinseca, accipiunt, non quidem vim principiativam suorum actuum, sed immobilitatem à subjecto.

## ARTICVLVS VI. & §. I.

### *VTRVM PIA AFFECTIO SVPERNA POSSIT sieri ex imperio malo, aut ex naturali.*

549 HÆC Quæstio de quovis actu superno libero æquè procedit. Duplex est sententia celebris. Prima negat. Ita communitèr Thomist. Suarez, Vazquez, Coninch, Hurtado, & plurimi apud Ripalda, *tom.1. de Ente supernat. disput 50. à sect.1.* quos sequitur Oxea *hic disputat.11. à sect 3.* Secunda affirmat. Ita Ripalda plures citans. Lugo *hic disput.10 sect.5. & de Pœnitent. disputat.15 sect.5. & 10.* P. Arriaga *tom.1 §.2. disp.18 sect 2.* & alij.

550 Pro resolutione nota 1. Quod quæstio potest procedere, vel in alio ordine rerum, vel in isto. 2. Quod potest procedere de actibus supernis in actu secundo meritorijs, & salutaribus, vel non salutaribus in actu secundo. Ripalda salutares, & meritorios admittit. Nota 3. talia opera salutaria in actu secundo posse requiri ad gratiam, vel vt meritum, vel solum vt conditio sine qua non. Ad eum modum quo de peccatore docent Doctores posse lucrari Indulgentias non pro se, sed pro Animabus Purgatorij, si faciat opera præscripta; quia talia opera non petuntur à Papa vt meritum, sed vt pura conditio. Nota 4. Opera superna salutaria, alia esse operativa gratiæ ex opere operato, vt Attritio pars in Sacramento Pœnitentiæ. Alia solum ex opere operantis vt Fides, & Spes. Nota tandem aliud esse, superna esse salutaria pro alijs, vt in Sacramento alijs ministrato, aliud pro se ipso.

551 Assero 1. Principia superna causativa effectus superni, non pro ipso operante, sed pro alijs, subdunturpro vsu imperio voluntatis etiam malo in hoc ordine rerum. Patet, quia Sacerdos ita habet in suo arbitrio potestatem consecrandi & absolvendi & similes, vt etiam ex imperio malo causet verè & exercitè tales

esse-

effectus superuos. Probatur, quia illa principia superna, quæ habent effectum ex opere operato, illum certo & infallibiliter producunt in non ponentibus obicem effectui Sacramenti, nempè gratiæ. Cum enim sint in aliorum vtilitatem, si ipsi se disponant, noluit Deus facere vt pendeat effectus ille à bona, vel mala directione Ministri, dummodo ille, sive ex bono, sive ex malo fine habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.

552 Sed quid si effectus gratiæ esset ex opere operato, etiam pro se? Videtur quod tunc decet vt pendeat à bona hominis voluntate. Debet enim receptio illa esse honesta vt causet gratiam, ac per consequens ex bona intentione: aliàs sibi imputet si effectum non consequitur. Ex alia parte videtur oppositum, quia cum intentione leviter mala compatibilis est gratia sanctificans, & illa non est obex ad istam. Est autem certum in Ecclesia Dei, quod Sacramenta causativa gratię ex opere operato, causent illam in omni non ponēte obicem. Vndè Sacerdos consecrans, & recipiens Eucharistiam ex fine leviter malo, & contrahentes Matrimonium ex eodem fine, verè & exercitè recipient gratiam ex opere operato, cum tamen receptio sit mala ex fine.

553 Si autē quis respondeat his, recipientes Sacramenta purè ex mala intentione verè non recipere gratiam, (sicut nec qui accederet ad Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione sola naturali;) quia gravis inordinatio est, res tam sacras & tam altas, ad finem pravum ordinare, sicque jam ponere obicem effectui gratię, non facilè conviceretur falsitatis; quia vel tanta inordinatio est peccatum mortale: (Difficilè enim est excusare à mortali, cum non excusetur recitatio canonica propter lucrum, nam esset symonia. Nec item voluntaria distractio in Canone Missę apud Tamburinum, & alios. Ergo multo minus excusabitur mala Sacramenti ordinatio, quia distractio ex suo genere minus mala videtur, quam abusus, & ad malū finem ordinatio. Tamē alij judicent)

Vel si non est mortale, fortè habet sufficientè malitiam impeditivam augmenti gratiæ ex Dei institutione, licèt certo de ea nobis non constet. Fortè autem non ex defectu fervoris, vt voluit Cajetanus nimis rigidè, sed ex ordinatione ista temporali, aut mala provenire potest, licèt non destructio gratiæ, impeditio augmenti gratiæ in Sacerdotibus quotidie communicantibus, & numquam (teste experientia non sipe magna admiratione, & in Theologis difficultate) proficientibus: quia jam est obex illa intentio leviter mala, pro augmento gratiæ: Sicut in Viro bono & attento exercente quotidie opera Misericordiæ ex intentione purè naturali, si non apparear augmentum sanctitatis & gratiæ: quia pro augmento etiam est obex defectus intentionis supernæ. Sed de his infra feretur judicium.

554 Difficultas major est de operibus supernis salutaribus pro se ipso, atque meritorijs ex opere operantis? Pars affirmans, probatur primo: quia in juvene habente auxilia superna, & sæpè à Deo vocato ad faciendam bonam confessionem, incredibile videtur, quod si ipse vltimo determinetur ad confessionem ex promissione paterna de veste pulchra, aut de numis, & confiteatur faciendo quod est in se, non eliciat supernam attritionem ex impulsu Spiritus Sancti antea non assentito, & post promissionem assentito. Ergo confitetur rectè, quia principia superna quoad vsum, & vltimam determinationem, sunt plenè relicta à Deo in arbitrio ipsius, non minus quam consecratio, & absolutio in Sacerdote.

555 Secundo: quia si finis leviter malus impediret in operibus supernaturalitatem, qui Mancipio adulto offerret libertatem, & mille scuta ad purè alliciendum animum vt baptizaretur, & danda sub tali conditione, peccaret mortaliter contra dicta in Summa de Arana *à num.* 446. quia induceret ad Baptismum recipiendum cum obice, nempè sine attritione superna, si eo ipso

quod

quod allicerentur ex tali motivo(ob difficultatem in ipsis distinguendi inter motivum & conditionem, desinere esse superna:& idem de quolibet alliciente per motivum temporale personas simplices ad Sacramenta recipienda,exponendo eas periculo faciendi actus preparativos ex tali motivo,ac per consequens & Sacramentum irritum,& inane.

556 Respondebis, tales personas in receptione Sacramentorum non habere solam vnam intentionem, nempè malam,sed duas: vnam malam & aliam bonam: est enim irreverētia magna res tam sacras profanare,& eis ad malū abuti.Mala,quę est de gloria temporali,solum obligat ad medium requisitum ad talem finem cōsequendum, nempè ad Baptismum,& confessionem secundum externa, quia solum hoc pacto conducunt ad lucrandum apud homines bona promissa.Interna autem non conducunt apud præmiatorem. Alia datur intentio de illo Sacramento externo, recipiendo ritè & rectè & non sacrilegè, ad obtinendam gratiam apud Deum.

537 Hæc secunda intentio est inconnexa cum prima, & est quæ imperat præparationes supernas internas,non prima. Quia ad finem secundæ possunt, & requiruntur:secùs ad finem primę.Sed contra primo:quia pro simplicibus ista distinctio intentionum est negotium valdè Metaphysicum & imperceptibile. Secundo: quia plures pro negotio temporali ex fine leviter malo,non solum rogant Deum,& Sanctos, & recitant Rosarium affectuosè & attentè, sed etiam ad movendum Deum pro illo fine illa die confitentur,& communicant.Atqui pro tali negotio à Deo obtinendo,non sufficiunt receptiones externæ Sacramentorum, sed adhibentur pro medio præparationes internę:Ergo etiam istæ fiunt ex illa intentione mala.

558 Affero nihilominus: tales actus si à malo fine imperentur,non evadent superni in hoc ordine rerum.

Ita Authores primæ sententiæ. Probatur. Tùm primo, quia actus morales superni & deliberati pro se, qui salutares non sint, hucusque in hoc ordine rerum sunt ignoti Concilijs, & Patribus. Si enim superni sunt, debent esse ex gratia; quæ quidem in hoc ordine rerum solùm datur à Deo pro nostra salute. Atqui tales actus non essent salutares, cum sint mali ex malo fine: ergo. Tùm secundo: quia inutilitèr Deus etiam quantum est ex parte sua, reliquisset in manu hominis sua dona entitativè superna, pro vsu malo respectu ipsius operantis; siquidem nullum bonum apparet, quod ex tali liberalitate sequatur. Quidquid enim sequi potest ex actu entitativè superno, sequi etiam potest ex naturali similitèr versante circa tale objectum.

559 Tùm tertio: quia sicut constat, Deum potestati Sacerdotali promisisse vsum supernum ipsius, ex quacumque fiat intentione, sive bona, sive mala, ita non constat promisisse habenti principia superna, concursum divinum ex quacumque intentione, sive mala, sive bona. Imò videtur constare, solum esse promissum, quando operatur ex bona, scilicèt ex excitatione superna, atque superno piæ voluntatis affectu, quæ sunt Gratia.

560 Tùm quarto: quia si habens auxilia excitativa superna, sit valdè affectus ab illis, non tamen determinatus, determinetur vltimo ad elicientiam actus superni per motionem malam, sequitur quod ipse non solum suis viribus, sed etiam sua malitia se discernat ab alio habente similia omnino auxilia, & non operante cũ eis. Vndè etiam sequitur, quod si cogitet operari bonum & operetur, illa cogitatio & operatio sit ex ipso, quasi ex ipso. Deus enim talem sufficientiam determinationis, & discretionis non dedit, cum sit malitia humana quæ eam possuit.

561 Tùm vltimo: Quia *Matth. 5. de ieiunantibus, aut facientibus eleemosynam ex vanagloria*; (& idè

do-

docent communiter PP.de quibusvis alijs bonis operibus factis vt videantur ab hominibus,) dixit Christus: *Quod receperunt mercedem suam, & quod necesse est opera facere in abscondito, vt mereantur accipere in Cœlo retributionem à Patre.* Ex his patet ab imperio malo non posse fieri actus supernos bonos, aut meritorios. Cum enim vanagloria sit peccatum veniale, quod apud vos non ponit obicem gratiæ sanctificanti & gloriæ aliàs bonis operibus supernis debitæ, si tales actus interni abstinentiæ, aut eleemosynæ verè essent superni, non possent propter vanitatem perdidisse meritum, & retributionem supernam.

562 Ex his sequitur, quod si in re ex desiderio malo, & sine illa duplici intentione inconexa, (nota hoc) & importante diversas & inconnexas libertates, procederet confessio & etiam interna dispositio sive attritio, hæc esset naturalis, & insufficiens pro Sacramento, quia Deus qui reliquit comprincipia superna elicitiva in manu hominis pro se, sed non pro malo vsu, aut malo conatu. Vadè ab isto non magis excitantur ad suas operationes in eo tũc, ac si non essent; & homo faceret actus naturales, licèt existimaret supernos. Quod si se tunc inveniat delusum, sibi imputet; Deus enim dedit homini duos gladios contra peccata, vnum versatilem solum manu gratię, & alia via immobilem; alium manu humana. Ille est principium doloris superni, iste naturalis: Vocãte ergo Deo ex gratia vt arriperet gladiũ supernum, ipse nequivit movere illum, licèt conaretur, quia non applicuit manũ gratiæ, sed ex sua malitia arripuit naturalem, manente superno inexcitato, immoto & sopito.

## §. II.

## ARGVMENTA SOLVVNTVR, VBI ALIA notabilia.

563 EX quo ad opposita pro ratione dubitandi, bona est solutio de duplici intentione adducta,

*num* 536. Et ad primam replicam dicimus, quod licèt illa intentionum distinctio respectu rusticorum sit difficilis nosci, non est difficilis exerceri. Etenim Deus ruditati illorum prospiciens, illustrat eos pro opere, docens sine reflexione facere, quod relicta sibi eorum ruditas non adverteret. Vndè nego, quod promittere illis temporalia pro Sacramentorum receptione sit tentare ad sacrilegium. Solum enim esset allicere per lucrum ad confessionem faciendam; non propter lucrum, sed propter acquisitioaem gratiæ. Sicut Ecclesia offerens distributiones recitantibus, non offert vt recitent propter illas, sed vt allecti ab illis recitent propter Cultum Dei.

564 Ad secundam replicam respondetur, eum qui pro bono exitu negotij temporalis decreverat obligare Deom per Sacramenta quasi in confuso, & Hispanè à *vulto* ex illo motivo; postea alia intentione, & fine distinctis, decernit recipere ritè & rectè, & cum superna dispositione propter obtinendam gratiam & amicitiam: dicit enim apud se. Ad movendum Deum debeo ipsum placare, & ad id intendo recipere Sacramenta ritè & rectè, & cum fructu: & hæc secunda est, cui subdunt proximè in re, & efficacitèr comprincipia superna; illa prima intentione solum se habente excitativè quasi remotè, & quantum est ex se inefficacitèr & inanitèr, sive inutilitèr respectu motionis comprincipiorum supernorum, sive respectu vsus exercitij, & in re Si autem deficiat hæc intentionum distinctio & inconnexio; dicam quod etiam deficit superna ad Sacramentum præparatio, ejusq; effectus, & quod se ipsum delusit, qui sic Sacramēti fructum existimavit recipere. Satis enim frequens est, vt constat ex revelationibus in Historijs Ecclesiasticis, delusio in confessionibus existimatis bonis, & in divino judicio judicatis malis.

565 Ex his sequitur 1. multo difficilius esse, quod receptio Sacramēti Pœnitentiæ subdatur impetio malo, quam

quam aliorum. Tùm quia solum illud de per se & indispensabilitèr atque essentialitèr exigit ad gratiam actum supernum doloris; cum alia Sacramenta essentialitèr pro constitutivo principij specialis gratiæ supernum actum non exigant, sed sufficiat carentia obicis. Tùm quia licèt talis dolor sit requisitum, conditio, aut pars essentialis causativa gratiæ ex opere operato, sed non purè conditio, aut pars, sed simul meritum, aut dispositio moralis. Huic verò repugnat esse mala ex fine, sive ex mala ordinatione ad finem, *ex num* 558. Quod debeat esse dispositio moralis, constat ex Tridentino, *session.14.de Pœnitentia, cap.4.de Contritione parte materiali Sacramenti*, dicente: *Quod vitalis, disponit ad gratiam*: & Canone 5.de Pœnitent. *Quod præparet ad eam.*

566 Si respondeas, quod duplex est dispositio: vna per modum operationis liberæ, & obsequiosæ, & hæc cum sit meritum, non fit ex motione mala. Alia per modum entis superni importantis dignitatem. Sic se habet gratia sanctificans; de qua dicitur, quod accedens cum illa ad Eucharistiam, accedit dispositus. Quæ non tam sapit meritoriam, quam physicam. Tridentinum autem fortè loquitur de ista, fundata in dignitate, & supernaturalitate contritionis supernæ, & non de meritoria. Quæ sola repugnat fieri ex imperio malo. Sed contra. Textus de Contritione dicit de ea non solum, quod disponat, sed quod disponat *ad impetrãdam gratiam*: impetratio autem est propria operis honesti liberi, & obsequiosi, & placentis Datori. Ergo si hæc nequit fieri ex imperio malo, nec receptio Sacramenti Pœnitentiæ potest.

567 Objicies 2.contra conclusionem. In alio ordine rerum (de quo statim) possent actus superni elici ex motione determinativa naturali imò & mala, sicut & possent miracula, & sicut potest de facto consecratio, &c. Ergo id non est contra naturam operis superni,

dum-

dummodo fiat per supernas vires (hoc enim indispensabile est.) Concedo totum, si sola attendatur natura operis superni, (præscindendo à connaturalitate, & ab hoc ordine rerum) Deus enim potuit relinquere ex omnino in manu hominis, sicut fecit de conseeratione. De facto autem constat non reliquisse, sed decrevisse, quod applicatio sit, non nostri sed gratiæ Dei nobiscum, nec ex nobis quasi ex nobis, sed ex gratia ejus nobiscum, & ex motione qua nõ discernamus, nos nos ipsi; sed discernamur in bonis, ab ipso Deo.

568 Objices 3 Cognitio superna potest movere ad malum, vt v.g. si quis ex Fide divina de sua condemnatione sibi revelata, vel ex luce suorum peccatorum desperaret. Ergo multo melius motio mala potest movere ad actum supernum. Conseq. probatur: quia in antecedenti datur aliquis sapor de eo, quod Deus per cognitiones supernas (quæ quidem sunt opus suum) appareat causa peccati, & tamen non est verè causa ejus, eo quod adhùc interveniat pro illo peccato vsus liber volũtatis: Ergo nec in consequẽti erit causa operis superni maleficati à fine extrinseco, sed solum illius operis secundum se: & maleficatio à fine extrinseco erit à creaturę libertate. Neg. antec. quia illæ cognitiones se habent ad desperationem, solum remotè & tanquam aliquid, quo voluntas abutitur media alia nova cognitione, & sugestione Dæmonis incitantis ad desperandum, cui homo voluntariè consentit. Hic autem motio esset proxima: & ideò impotens in principio superno, esse ab imperio malo.

569 Objicies 4. Voluntas, omittendo actum Charitatis supernum sub præcepto levi imperatum à Deo, influit in illam omissionem vt principium liberum. Atqui in ratione principij liberi constituitur per habitum Charitatis. Ergo jam ista potest influere in operationem prohibitam sub veniali: ergo melius motio mala poterit influere extrinsecè in actum supernum ex-

trinsecè malum. Respondent aliqui concessa majori, & minori, disting. consequens. Principium supernum potest influere in operationem prohibitam movendo, excitando, aut causando, negant; complendo potentiam in ratione liberæ, & potius vt datum pro bona operatione, quam pro mala, concedunt. Et negant vltimam consequentiam.

570 Si replices: illa omissio vt mala & imputabilis, constituitur & denominatur libera, non solum in genere causæ efficientis à voluntate vt libera, sed multo magis in genere causæ formalis: ergo in tali genere causatur non solum à voluntate, sed ab habitu superno vt constitutivo principij liberi. Si enim non repugnat constituere, multo minus repugnabit influere. Respondeo distinguendo duas causalitates. Vnam constitutionis, aliam influxus & motionis. De prima dico: quando est æquivoca, non repugnare; secus de secunda, & per modum inductionis. Sic Deus offensam constituit in nostra sententia infinitè malam tanquam forma moralis constitutiva, sed æquivoca. Est enim offensa Dei tanto pejor, quanto Deus est melior. Similitèr lex prohibitiva bona, reddit comestionē carnis in die veneris malam vt forma constitutiva æquivoca. Dedecet ergo principijs bonis inducere ad malum, aut influere: non autem dedecet intrare æquivocè in constitutivum mali, ita vt constituant non opus, cum sint data ad opus.

571 Objicies 5. Nihil solemnius apud Scripturam & PP. quam monere, vt opera bona, v.g. eleemosyna, & jejunium non fiant propter humanam laudem. Ergo quia possunt fieri. Si respondeas: loqui de externis, quæ sola videntur, & ob id solæ prosunt ad excitandam talem laudem. Contra: quia Christus, *Matth. cap.* 6. de illis operibus loquitur, quæ si fiant in absconditio, præmiantur à Patre in Cœlo, secus si in publico. Atqui à Patre in Cœlo solum præmiantur dum fiunt ex intentione superna: ergo prove suum ex intentione superna,

sunt

suum capacia vt fiant, vel ex motivo placendi Deo, vel placendi hominibus. Sed respond. concessa majori & minori, nego consequentiam. Etenim Christus offert præmium jejunio, & eleemosynę libere factis: si tamen fiant ex intentione superna eleemosynę, vel jejunij, vel placendi Deo; pœnam autem eisdem operibus externis virtuosis, si fiant ex alia intentione prava. Vndè identitas operum, factibilium ex bona vel ex mala intentione, tota salvatur in operibus externis libere factis.

572 Objicies tandem intendendo, quod ex eo quod Deus concurrat ad actum entitativè supernum, voluntate se movente ex malo fine, nihil faciat Deus se indignum. Probas: quia opus supernum entitativè & secundum se, bonum est & honestum: ad illud autem solum secundum se concurrit ipse Deus, & non ad motionem malam ei extrinsecam: ergo. Pater Oxea *disp.11. num.56.* respondet: quod sicut est indignum Deo propter malas preces concedere gratiam supernam. Item intuitu actus mali concedere illam vt premium, & sicut etiam est indignum & symoniacum pro pretio tēporali movere ad dandam rem spiritualem, ita etiam erit indignum Deo intuitu imperij turpis, concedere concursum supernum, & ad rem supernam. Indignitas autem ex parte Dei non stat in concurrere ad rem supernam secundum se, sed in fiere, duci se ab imperio malo in prębitione talis concursus.

573 Sed hæc solutio non placet, absolutè loquendo; quia si in alio ordine rerum potuit hoc evenire vt dicemus, argumentum est, quod indecentia de per se non detur. Pro quo nota, quod aliud est Deum intuitu operationis malæ dare gratiam & auxilia, motus à malo; & hoc in quocumque ordine rerum esset indignum Deo, quia cum debeat esse punitor mali, fieret præmiator. Aliud quod Deus ex bono fine & à sua liberalitate motus, donet homini principia elicitiva superna, plenè relinquendo hominem in manu consilij sui; promittendo

ta-

tamen præmia, si benè illis vtatur, & pœnam si abutatur. Sicut de facto dedit sic potestatem consecrendi, & apud vos supra n.247. & 251. citatos, potuit potestatē faciendi miracula, concurrente Deo tunc ad opus entitativè supernum quasi coactè, & vt causa speciali physica ligata antecedentèr à verbo promissorio suo. Hoc autem modo specialitèr concurrere, non est indignum Deo. Nam hoc pacto, etiam ad peccatum entitativè sumptum, decet illum concurrere. Qui concursus quoad moralitatem sive quoad decentiam, valdè diversus est à concursu exercibili in exemplis à Patre Oxea adductis.

574 Fateor ergo, quod Deus talem concursum adhibens tunc; si summatur absolutè, & secundum se, nihil facturum indignum se: secus in hoc ordine rerum. Tùm quia modo concurreret specialitèr ad opus malum & vitiatum, & concurreret moralitèr; siquidem non concurreret vt obligatus. Tùm quia, hæc est disparitas in hoc ordine rerum & in alio, quia licèt in vtroque nequeat homo elicere actum entitativè supernum, nisi Deo dante virtutem, & principia entitativè superna, (quorum Deus quoad dare & quoad infundere, sit absolutè Dominus specialissimus, & causa moralissima discretiva,) tamen quoad exercitè operari superna, & digna præmio superno, in hoc ordine rerum Deus solus est causa discretiva & differentiativa; quia talis discretio in actu secundo, licèt sit liberè à nobis, sed non à nobis, quasi ex nobis, sed à nobis quasi ex Deo, per cujus vires & dona specialitèr donata, & donata in tali occasione, nos operamur in re, & exercitè. Vadè in illis verificatur, quod in nobis sit à Deo & velle & perficere, & quod gratia ejus, licèt non sola sed nobiscum, discernat nos; tamen ipsa discretioni radicem proximam sibi reservante. At in alio ordine rerum, semel acceptis donis & principijs supernis, positisque in mano nostra vltima determinatio exercita posset esse, & non repug-

na-

nares quod sit à nobis quasi ex nobis vrentibus, vel abvrentibus principijs supernis, & esse vltimo differentiativa, ac per consequens posset etiam media motione mala vel media naturali discernere se, quia solę istę sunt à nobis strictè quasi ex nobis.

## §. III.

### *ALIQVÆ REPLICÆ, ET ADVERTENTIÆ, valdè notabiles pro susceptione Sacramentorum.*

575 Nec ex hoc sequitur contra naturam entis superni primo: quod esset tunc à natura initiativè. Nego enim, quia esset ab infusione superna principij superni positi in arbitrio voluntatis, sicut nec initium consecrationis est de facto à natura, sed à potestate superna. Nec 2. Quod operatio superna ex conceptu supernæ superare debet omnem vim activam & passivam, exigentiam, impulsum, & motionem. Resp. 1. distinguo antec. Omnem copulativè, concedo; divisivè, nego. Resp. 2. Omnem vim per modum virtutis influxivę, concedo; per modum applicationis aut motionis, nego. Solùm enim esset contra naturam superni elici solis viribus, & operatione plena naturæ. Licèt ergo plura naturalia præcedant remotè sive antecedentèr, si tamen principium elicitivum pro immediata vi requisitum, sit supernum, essentia supernaturalitatis perseveraret. ¶ Nec 3. discretio est à gratia & favore Dei: ergo non à motione naturę. Distinguo anteced. tunc & ex natura entis superni, nego. Si enim Deus cœco modo daret Petro auxilia in occasione & iste operaretur, operaretur superne: & tamen se discerneret. Hęc intelligę in sententia Recentiorum contra quos disputamus. In sententia autem Thomistarum dici potest, quod sicut Deus absque inconvenienti ex munere causæ primæ prædeterminat ad omnia, & ad materiale peccati, etiam posset ad entitatem illius actus superni: nec hoc esset Deo indignum,

Nec

575 Nec obest tandem sequi ex his baptizatio, vel absolutum à Sacerdote ex mala intentione, non discerni à Deo. Nego enim consequentiam: quia licèt discretio activè provenit talis, non fit tam specialiter à Deo; passiva tamen specialiter est à Deo, sicut & Christum pati à Iudæis fuit à Deo; secùs eos interficere Christum.

577 Ex hucusque dictis sequitur primo in alio ordine rerum potuisse Deum relinquere in manu hominis pro quocumque vsu, sive bono, sive malo principia superna ad actus excitativè supernos, (an autem salutares? Decide ex dictis *num.* 558. & *nu* 565.) etiam pro se ipso: Quia ista non sunt altiora potestate consecrandi, & absolvendi. Et si dicas, illas pendere à promissione Christi, & non ab intentione mala. Contra: quia sicut pro illis facta est promissio, potuit pro illis respectu cujuvis intentionis.

578 An autem augmentum gratiæ impediatur à mala intentione, si purè ex illa recipiatur Sacramentum? (De destructione alij judicent.) Respondeo affirmativè. Indignum enim valdè est, vel saltem æquum non est, quod dum Deus vocat homines vt se disponant ad gratiam, (non autem dispositio est, quæ honesta non est) & eis sic dispositis offert Sacramenta tanquam fontes sive aquæductus ipsius gratiæ, ipsi intendant per eandem viam malæ dispositionis, malæ intentionis, & abusus immediati ipsius Sacramenti, exhaurire illius Sacramenti gratiam. Hoc enim esset dare Deum gratiam indispositis, cum solum promisserit dispositis; & esset quasi præmiare malam eorum dispositionem, & de via offensionis facere constructum immediatum sanctificationis; quod incredibile est: Quia videtur inuegabile quod sit abusiva Sacramenti ad malos fines, & ejusdem profanativa, atque simul quasi sit species misscendi Sacra profanis. Non autem ex hoc cogemur ad admittendam status gratiæ destructionem, quia aliud est destructio,

ctio, & aliud ipsius non augmentatio. Confessio enim valida invincibilitèr informis, licèt non augeat gratiam, præexistentem non destruit.

579 Confirmo tandem motionem malam esse impedimentum saltim augmenti gratiæ, argumento, quod quidem si non probat necessitatem fervoris actualis, probat saltim urgentissimè exclusionem mali imperij. Teste etenim experientia plures sunt Sacerdotes attenti & boni, atque timorati fugientes peccatum mortale, qui quotidie celebrant, & præsumptio prudens dictat quod in gratia. Vel si illam una, vel altera vice perdant, per pœnitentiam recuperant amissam, & cum novo augmento. Et tamen experientia teste post decem millia Missarum, & Eucharistiæ sumptionum, sunt æquè tepidi in quacumque virtute, & in eis nullum apparet augmentum. Ergo quia illud non recipiunt, eo quod celebrent ex inordinato imperio & affectu (in senrent autem Cajetani, quia cum fervoris, & devotionis defectu) Consequentia probatur.

580 Quia si in quavis receptione in gratia receperet talis Sacerdos augmentum gratiæ, non possent non apparere in illo saltim post viginti, vel triginta annos celebrationis, eximia & rara omnium virtutum opera, quia cum augeantur cum gratia, & ad mensuram gratiæ omnes Virtutes superna, non poserunt non esse in ipso gratia, & virtutes in maxima intensione. Insuper & auxilia superna excitantia ad talia opera, cum dentur à Deo specialia & maxima ex vi Sacramenti, & ad mensuram sanctitatis, atque virtutum subjecti, darentur in magna frequentia; cum tamen oppositum experiatur Sacerdos in se ipso & nos in illo. Imò sæpè teste experientia invenitur post multos annos vel tepidior, vel saltim æquè tepidus, ac in principio. Hoc autem cum non præsumatur provenire à defectu status gratiæ, necesse est proveniat à defectu augmenti gratiæ & virtutum, & iste vel à defectu actualis fervoris, vel quod

mib

mihi certius est à defectu, licet non continuo, tamen honestatis, in ordinando Missam ad finem debitum, sive ad leviter malum.

581 Nota 3. non quamlibet ordinationem leviter malam, v.g. ad finem vanæ gloriæ impedire fructum Sacramenti, aut aliorum operum. Dupliciter enim potest se habere vana gloria, dum homo elicit opera bona. Primo, vt finis movens ad illa antecedentèr. Secundo, subsecutivè vel concomitantèr: quia nempè dum homo ex fine honesto per aliam intentionem distinctam exercet opera bona, illum aggreditur vana complacentia, vel ordinatio ad humanam laudem. Si contingat opus fieri ex fine vano, id est primo modo, illa vanitas demollitur totum fructum, sicut vulpeculæ vineas. Et sic impeditur augmentum gratiæ. Secùs secundo modo, quia illa concomitantia, non impedit opera illa facta esse ex alia intentione honesta, & ex gratia per Christum, saltem extrinseca.

582 Tandem nota pro receptione Sacramenti vivorum regularitèr præter statum gratiæ, non requiri, nisi intentionem recipiendi Sacramentum, quæ sicut in Ministro facienre potest esse naturalis, ita & in subjecto, quia non est meritum, aut dispositio moralis, sed applicatio Sacramenti ad se, quasi physicè se habens, & remotè. Fortè autem de facto, ne per illam homo se discernat sed discernatur à Deo, requiritur in illa intentione applicativa etiam naturali supernaturalitas extrinseca, & quoad modum & ex ordinatione Dei. Semper autem cum exclusione motionis inhonestæ, ne sit obex pro augmento gratiæ; nec si sit naturalis entitativè, propterea augmentum sanctificationis incipiet ab homine, sed à Deo. Tùm quia, Deus Sacramentum præparavit. Tùm quia receptionem ejus, & ex gratia per Christum, saltem extrinseca ordinavit. Vndè ex dictis num. 565. est diversitas inter hæc Sacramenta, & pœnitentiam, quod dispositio superna ex natura spe-

cialis Sacramenti, & fructus ejus, est necessaria indispensabilitèr pro Pœnitentiæ fructu. At pro his solum ex generali & extrinseca ratione, nempè ne homo se discernat.

## EPILOGVS

### SVBSTANTIALIS, ET BREVIATISSIMVS, (vbi sunt Stellæ additionem indicant) vt in Quæst. 9. & 10. de Iudicio credibilitatis, & Piæ Affectionis.

### §. I. DE ACTV INTELLECTVS.

583 Epilogum istum, & similes in Quæstionibus prolixioribus facere contuevimus, vt intellectus, cui non vacet perlegere totam Quæstionem, his paucis advertentijs, & notabilibus perlectis, de tota quæstione possit habere substantialitèr informatus.

584 Nota ergo 1. requisita prævia ad actum supernum Fidei, esse actum intellectus & voluntatis. Ille est duplex. Vnus judicium judicans Mysteria esse credibilia, vel debere credi. Hoc potest esse naturale adhùc in hoc ordine rerum, ex Suarez *de Fide disp.* 6 *n.* 12 cum possit concipi ex motivis humanis. Quia obst primo: quod præparet ad supernè credendum; nam præparat remotè, de quo *num.* 484. sicut & judicium falsum de pauperiate Petri, disponit remotè misericordiam supernam. Nec secundo ex *n.* 331. quod credibilitas prudès summitur à signis, & motivis supernis exercitè & in re, ergo: Nam sæpè summitur solum à magna verosimilitudine eorum sufficienti ex se honestare credulitatem.

585 Insuper judicium credibilitatis potest, etiam de facto esse entitativè supernum à principio elicitivo superno, & ratione *sub qua* (etiam si motivum expressum sit supernum sive ratio *qua* sit entitativè naturalis. Ne quo

*num.*529.) Imò & ab objecto, & ratione *quæ*, & à specieibus impressis supernis (quando scilicèt motivum talis credibilitatis sit miraculum vel superum in re vig. Resurrectio Lazari visa, vel aliquid aliud supernum evidentèr visum vel superum. De quo *num* 514. Quia tunc ad exigentiam vtriusque visionis de Lazaro mortuo & repente vivo, infunditur species entitativè superna, licèt simultas objecti sit tantum superna quoad modum. Quo autem pacto species istę sint supernę & debręę intellectui, jam elevato ex parte principij transeuntis, vel permanentis *Vide à num* 535.

586 Nec obest quod initium justificationis ex Tridentino *sess.* 3. *cap.* 6. est Fides: ergo tale judicium præcedens illam, nequit esse supernum. Tùm quia ab illo incipiet justificatio. Tùm quia istud potest dari in infideli nolente credere, absque initio status superni, atque justificationis. Respondeatur enim est, *num.* 487. nomine Fidei intelligi Fidem cum suis requisitis necessarijs, & proportionatis, scilicèt pia affectione & judicio, atque illuminatione superni, * vel forsè mens Tridēt. est, quod justificatio prout distincta, à non justificatione, non incipiat vt talis, nisi radicetur in Fide. Non autem, quod non detur ante illam alij actus superni, qui etiam possunt dari in infideli, & erit elevatus incohate.

587 * Dices: Miraculis visis plures resistebant. Atqui evidentiæ nemo potest resistere, sicut nec luci: ergo non erant evidentèr vera, & propterea à pluribus tribuebantur Magiæ, vel soli apparitionę: ergo nec inducebant evidentiam credibilitatis. Respondetur, fecisse evidentiam pro intellectu intendente, sive attendente; non pro malę affecto & obcœcato. Iste enim, resistet tali evidentiæ, licèt nequeat luci. Rebus enim extraordinarijs, etiam ante oculos positis, facilius resistitur, & de eis dubitatur, quam de rebus physicè evidentibus naturalitèr, & semper eodem modo eventientibus.

588 A quo autem principio eliciatur tale judicium? Respond. naturale à vi naturali intellectus. Supernum,

in non habente habitum supernum, à principio superno transeunti; in habente autem prudentiam infusam, ab habitu ejus, quando est practicum dictans hic, & nunc credibilitatem: non autem à speciali habitu, vt vult Oxea, quia superfluit ob infrequentiam, & quia sufficit Prudentia; nec à dono Spiritus Sancti, quod solum influit ad actus extraordinarios. Vel problematicè, nõ ab habitu Fidei, etiam si detur; quia iste ex se est coarctatus ad solos assensus obscuros nitentes dicto Dei. Ista autem judicia sunt clara, & scientiæ infusæ transeuntis; (sola enim permanens regulariter est propria status Beatifici). D. Thom. autem adductus n. 488. Attribuens ea Fidei, loquitur esse ab ea occasionaliter solum, quia dantur occasione Fidei exercendæ, ex *num* 495. Licèt autem dicat. *quæst. 1. artic. 4. ad tertium*, habentem Fidem melius judicare de credendis, non ideò sunt à Fide. Etiam enim dicimus, virum assuefactum Temperantiæ, melius judicare de materia ipsius, & tamen elicitivè judicium intellectuale nequit elici ab habitu ipsius.

589 * E contra verò juxta definitionem Fidei infra adducendam, nempè: *Substantia sperandarum rerum, &c.* Fortè juxta adducta de igne, *num.* 493. extendente suam virtutem ad dispositiones & ad formam, satis probabiliter, dici problematicè potest, Virtutem Fidei extendi ad assensus obscuros, & ad judicia evidentia credibilitatis vt ad dispositiones ad assensus Fidei.

590 Præter istud judicium credibilitatis de Mysterijs, datur aliud specialiter de conveniẽtia talium Mysteriorũ, à *n.* 517. sive de Regno Cælorũ vt bono credẽtibus promisso. De quo Tridentinus supra adductũ *nu* 514. & D. Thom. adductus *num.* 539. Per cognitionem enim repræsentativam illius convenientiæ, afficitur voluntas, vt determinet, & captivet intellectum ad assensum Mysteriorum.

Nota

595 Nota 2. Quod vlterius necessaria est pro Fide, & creditione (saltim in hoc ordine rerum) gratia actualis, sive auxilium actuale datum à Deo nobis sine nobis; nempè cognitio superna immissa à Deo, id est sancta cogitatio, illustratio, illuminatio, aut instinctus Spiritus Sancti, sine quo non datur sufficientia cogitandi, quia ex Apostolo: *Sufficientia nostra ex Deo est*, (si verò judicia naturalia sufficerent, essemus sufficientes à nobis quasi ex nobis.) Hæc est quam Concilia adducta, *num.*524. vocant inspirationem Spiritus Sancti, & excitationē per gratiam. * Et de ea dixit Aurasicanum 2. Canone 7. *Hominem non posse assentiri prædicationi salutari, sine prævia Spiritus Sancti illustratione.* Vndè gratia hęc non est sola externa prędicationis, sed interna illuminationis. Pelagius enim, licèt obligatus à Cōcilio admitteret externam, quia negabat internam, fuit iterum damnatus.

593 Ex his sequuntur duo. Primum est, dum homo tandem per judicium Prudētię proponit voluntati obligationem credendi, & illa inflammata à Spiritu Sancto & piè affecta, obligat intellectum ad credendum, tales actus de facto esse entitativè supernos, & nō quoad modum solū vt aliqui volunt. * Probo. Concilia absolutè requirunt gratiam Spiritus Sancti illustrantem, & adjuvantem: ergo quia illi sunt entitativè superni.

593 * Si dicas: quia superni quoad modum. Contra: Tùm quia requirunt gratiam ad illos actus faciendos: ergo quia ipsi exigunt eam. Tùm quia nūquam ex Concilijs probari poterant virtutes in entitate supernæ. Adversarius enim interpretabitur de *quoad modum*. Tùm quia supernaturalitas Charitatis probatur ex necessitate gratiæ. Concilia autem requirunt gratiam ad vtrosque, sine mentione de quoad modum, vel quoad entitatem.

594 Secundum est, quod sicut ad providentiam Dei pertinet emollire cor hominis, vt piè afficiatur ad

credendũ, ita & prospicere, non tam de illustrationibus sed de principijs ex parte intellectus, saltem transeuntibus; atque de speciebus superuis ex parte objecti, juxta dicta *num* 535. in simplicibus autem pertinet, eorum auditari prospicere, vel per species, vel per illustrationes pellucides omnem formidinem in credendo. Sicut Passeribus, & Brutis providet de speciebus juxta suum statum, quia ipsa non possunt. Vndè Actorum, *cap.* 31. dum dicitur: *Quot crediderunt quotquot præordinati erant in vitam æternam*; intelligitur, quia illis dedit requisita efficacia, vt non solum audirent prædicationem, sed vt non diverterentur, sed assenderent, illustrarentur, & emolliretur cor eorum, cum tamen alijs solum dederit sufficientia, licèt forsè superna.

595 Quod si non dedit superna, fuit quia possuerunt obicem volendo intendere his, quæ prædicabantur, vel resistendo prædicationi. Cum enim Deus creaverit homines elevando eos ad finem supernaturalem, quoties ipsi accipiunt ex gratia prædicationem, si non ponant obicem, debetur eis ex promissione divina lux interna sufficientèr exclusiva formidinis, sicut dictum est *num.* 535. de simplicibus, & elevatio ex parte potentiæ, saltem per principium transiens: ac per consequens, & debetur species ex parte objecti proportionata. Vndè Gentilibus, quibus non est prædicatum Evangelium, cum regularitèr non fiat elevati, nec permanentèr, nec transeuntèr, nec dantur species supernæ, nec Deus petit ab eis actus supernos, vt male existimant alij, sed solum quod removeant prohibens per observantiam legis naturalis. Hæc de actu intellectus.

## §. II. DE PIA AFFECTIONE.

596 Nota 3. Quod pro credulitate necessarius est actus voluntatis captivans intellectum vt credat esse vera, quæ antea judicaverat esse credibilia, &

& debere credi. Etenim cum veritas Mysteriorum sit obscurè proposita, & nullum obscurum convincat intellectum, ille determinari debet ex electione, quæ licèt non supplear evidentiam quoad reddere clarum; secus quoad determinare, ex *numer* 505. Cùm enim intellectus non sit potentia libera, (cujus solius est determinari à se) & aliàs non determinetur ab objecto, non habet omnia requisita quousque determinetur à principio applicante illum ad operationē & hoc est sola voluntas.

597 Vndè sequitur, quod sit impotēs intellectus credere sine volitione determinante, ex *n* 501. & idē cō ingit in opinionibus, inter quas intellectus, etiam si inclineatur, non determinabitur à se ob eandem rationem, sed à voluntate ob convenientiam sive præmium, quod se habet sicut esca inescans appetitum, allicienſque ad laborandum, & ad difficultates quæ occurrunt, & retardant, vincendas.

598 Nec obest 1. Illa veritas Mysterij sufficit vt moveat & specificet de facto assensum: ergo & vt determinet. Nego consequent. ex *num*. 501. quia non est idem in eligibilibus, movere, & determinare. Patet in duplici medio æquali. Inter quę volūtas eligit vnum quia vtile. Prælegit verò, quia vult, & quia cum sit libera potest.

¶ Nec obest 2. ex *num* 505. quod voluntas ex D. Thom. licèt possit movere, & cohibere intellectum quoad exercitium, non quoad speciem, id est quoad assensum præ dissensu. Respond. loqui in evidentibus, non in obscuris.

¶ Nec obest 3 ex *num* 506. quod credibilitas evidens, ligat hominem ad credendum, sicut præmissæ ad conclusionem: ergo sine libertate. Nego antecedens: quia solum ligat moralitèr, sicut præcepta naturalia ligamine obligationis; non physicè sicut præmissæ ad conclusionem. Vndè adhùc est in manu ejus discredere, peccando.

599 Hinc notandum, quod nulla datur connexio inter credibilitatem evidentem, & veritatem in re: sicut

nec

nec inter probabilitatem, & veritatem *ex num.* 507. & *ex num.* 516. quia illa summitur à verosimilitudinibus, ista à re prout exercitè est: & adhùc est compatibile quod res non sit exercitè talis qualis apparebat, & sic adhùc manet in manu voluntatis respondere (licèt imprudentèr:) *Quod signa sæpè mentiuntur*, & nolle credere. ¶ * Vndè post prædicationem auditam, qui eam non audit sincere, vel non attendit, nec curat scire, fortè ob culpam inconsiderationis, & distractionis ab studendo, non accipit à Deo lucem, nec gratiam boni affectus, vt contingit etiam in Hæreticis. Qui verò sincere intendunt, gratiam piæ affectionis consequuntur requisitam ad superne credere.

600 Nec tandem vrget, *ex num.* 521. quod non requiratur pia affectio pro judicio credibilitatis: ergo nec pro judicio veritatis. Nego enim consequentiam. Quia istud fundatur in obscuritate, & illud in evidentia. Sicut & assensus Fidei humanæ de existentia Romæ, in impossibilitate morali evidenti, de eo quod tot testes oculares convenerint ad mentiendum: non autem sunt testes oculares, qui nobis testantur Mysteria. Et licèt essent, non sunt tot quot illi, nec tam sine contradictione & difficultate, sicut illi.

601 Vndè à *nu.* 510. ex multis Scripturæ locis probata est necessitas piæ affectionis ad credenda Mysteria. Et hoc etiam si detur evidentia in attestante, vt in Abraham. De quo etiam *num.* 508. & 513. Propterea enim in Fide datur meritum, quia credebant dicto Dei sumpto per modum dicti, & non per modum illati, ex *num.* 418. De quo iterum infra dum fermo sit de evidentia in attestante.

602 Quo pacto Dæmones sine pia affectione credant Mysteria cũ evidentia in attestante. Resp. ex *n.* 508. quod adhùc est in eis imperium voluntatis, licèt quasi coactum ex *n.* 509. ab evidentia signorũ, vt imperet credibilitatem. Molestissimum enim esset eis, inquit Ioannes

à

à Sancto Thoma intellectum ferè convictum cohibere, licèt ex parte sua vellent. Habent ergo Fidē, si illis maneat obscura Veritas Mysterij etiam quoad *an est*, post evidētiam signorum, secùs si clara, de quo infra. * Aliter: si evidentiam habeant de *an est*: illud credere, non est strictè & rigorosè, & Scholasticè credere, sed vulgaritèr pro assentiri dicto alterius. Alia de evidentia morali, quæ possent opponi. *Vide à num.* 521.

603 Nota 4. Creditionem sive Fidem dici à Divo Thom. & Thomist. specificari essentialitèr à convenientia, sive bono repromisso. Sed quomodo cum sit actus intellectus, & iste specificetur à veritate, & non à bonitate objecti? Respond. creditionem vt talem esse assensum electivum; ex *numer.* 514. & *numer.* 516. & *alibi*; & ideò ex parte actus, non stare in solo assensu, sed essentialitèr in complexo ex actu intellectus, & voluntatis. Ex parte autem objecti esse de objecto proposito vt vero, & vt convenienti, atque placenti: id est de objecto vero includente, vel trahente in spe, bonum repromissum, nempè Regnum Cœlorum, propter quod placet. Et fortè propterea Baptista, & Christus inceperunt prædicationem: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum.*

604 Idem colligitur ex Fidei definitione, quæ vt talis est *argumentum, sive convictio non apparentiū, quam præcedit substantia volita sperandarū rerum.* De quo latius infra in definitione Fidei. * Ex quo patet, quod creditio non solum est elicitivè voluntaria, sed constitutivè; nec stat in solo assensu, sed in assensu prova electivo. Vndè si Deus cogat divinitus per se ipsum intellectum vt assentiatur, tunc dabitur assentiri Mysterio & judicare illud esse verum, sed non dabitur credere, nec procedere modo suo creditivo; siquidem non procedit modo electivo.

605 Ex quibus sequitur, quod creditio saltim in obliquo constitutivè & non de solo connotato, impe-

tas essentialitèr primò affirmatur, & actum voluntatis, in quo differe ab alijs actibus imperatis (excepto fortè motu locali) quibus imperari non est de constitutivo; ac per consequens qua parte est assensus, assentitur, *quia Deus dicit*: qua parte est voluntarius & imperatus, & creditivus, specificatur ab objecto vt convenienti, & sibi placenti.

606 Imò fortè ab objecto, vt intellectui ipsi placenti; non complacentia sua, sed voluntatis, quia voluntas est generalis appetitus totius hominis, & omnium potentiarum. Et sic intellectus antea indeterminatus, & fortè rebellis in re inevidenti, ab objecto vt jam complacenti mitescit, & suis se ligari, & captivari ad assensum propter convenientiam. De quo à *num.* 518. Sicut in opinabilibus difficilibus solet intellectus mansuescere, & eligere partem difficiliorem, & aliquando minus probabilem, ob complacentiam in sequella Scholæ, (vt contingit in Thomista, vel Suarista) vel ob aliud lucrum, vt contingit in advocato, & similibus. Hac ergo pacto creditio, sicut & opinio est electiva & specificatur essentialitèr non solum à vero, sed à bono reprompto.

607 Sed dices: Intellectus ponderatis rationibus vtriusque partis se habet sicut Iudex. Atqui iste tenetur inter opiniones eligere habentem fortiora fundamenta. Ergo similitèr intellectus, & sic nunquam poterit eligere opinionem minus probabilem. Respond. negando majorem: Licèt enim intellectus habeat ponderare motiva vtriusque partis sicut Iudex; sed non eligere sicut Iudex, probabiliorem; quia Iudex habet legem eligendi, quod fortius est. At intellectus in obscuris solum habet legem eligendi, non quo fortius, sed quod convenientius, vel potius legem eligendi, quod voluntas determinaverit. Aliter: Iudex est subditus legis; intellectus opinativus vel credituv, non legis, sed voluntatis loquendo physicè.

§. III.

## § III.
## DE SVPERNATVRALITATE, ET IMPERABILITATE Piæ Affectionis, & cuiusvis actus superni.

608 Eius supernaturalitas constat ex Sancta illustratione, & inspiratione Spiritus Sancti asserta à Concilij supra n 485. & 545. Item ex *Act* 16. asserente, quod Dominus apperuerit cor credentium, vt intenderent his quæ dicebantur à Prædicatore. In hoc ergo rerum ordine, numquam creditio superna fit, nisi ex pia affectione superna. Nec obest, quod voluntas ex vi sua possit movere se ipsam, & alias potentias, & comprincipia ipsorum: ergo & per affectionem naturalem intellectum elevatum, & comprincipia superna ad actum Fidei. Nego anteced. quia nulla comprincipia superna reliquit Deus de facto in imperio solo naturali, sed in superno semper à Deo prævenio, pro quocunque casu in quo homo habens principia superna vellit elicere actum honestum pro se vi eliciat supernũ, cum aquè illi adsint requisita superna, ac naturalia. Et ratio est, quia omnis motio proximè discretiva vnius ab alio per operationem superiorem, est de facto à Deo.

609 Nota 5. Pro pia affectione dari habitum supernum. Tùm quia honestas credendi Deo tanta est vt sufficiat specificare virtutem. Tùm quia ejus actus sunt frequentes, (quod non habet judicium credibilitatis,) & ęquè ac creditio. Vnde licèt pro Fide sit incohatio, in sua linea est quid perfectum: Est Virtus moralis, (licèt fortè cum sapore Theologici *num.* 544.) Perseverat destructa gratia, licèt non alię morales, quia ipsa necessario comitatur Fidem. ¶ Dirigitur in peccatore à Prudentia acquisita, (immediatè autem à sancta illustratione) si desit infusa. Sed fortè adest ista pro Fide, & Spe; saltem manens in ratione habitus, licèt non in ratione

tione virtutis, sumpta quatenùs difficilè mobilis à subjecto, quia hæc perfecta immobilitas solum provenit à Charitate, quæ cum sola firmet hominem in Deo vltimo fine, sola illa firmat in omni bono, & quodlibet sive illa est facilè mobile à subjecto formaliter, (quidquid sit de adhæsione subjectiva.) De quo *num* 547. Et propterea, nec Virtus vlla moralis est apud Thomistas verè Virtus, quia semper est facilè mobilis, si homo non firmetur in Deo vltimo fine, quod solum præstat superna Charitas. Fides divina etiam in alio sensu fit perfecta per Charitatem, tanquam per formam extrinsecam vivificantem ipsam, atque de novo firmantem.

610 Tandem dubitatur à *num* 549. an pia affectio & alij actus superni in habente comprincipia superna elici possint ex imperio malo, vel naturali? Posse in alio ordine rerum prababilius est, sicut modo consecratio & absolutio, *n.* 574. Tũc autẽ Deus cõcurreret ad eos licèt malos extrinsecè, per illa principia data ad alios fines honestos, non vt causa moralis, sed physica (licèt superna) coacta, & obligata à lege sua pendente in arbitrio hominis talia comprincipia. Illi tamen actus, salutares non essent, quia inhonesti ex fine. ¶ Nec tunc Deus discerneret hominem operantem supernè & malè, à non operante; sed ipse se discerneret, & operatio esset ab ipso quasi ex ipso, & non quasi ex Deo discernente. Initium autem operationis supernæ semper esset à Deo vt liberaliter infundente principia, ex *nu.* 375. licèt non vt discernente, nec vocante.

611 De facto autẽ nõ possunt, ex *n.* 558. quia cũ cõstet ex Concilij, omnia opera superna & salutaria, & meritoria, sive moraliter dispositiva esse ex divina illustratione & gratia, nequeunt fieri inhonestè & ex malo fine, quia quæ inhonestè fiunt, non fiunt ex gratia Dei. Item, quia de facto quivis homo dum operatur supernè in actu secundo, & salutariter, ipse in tali operatione non se discernit. Cum autem vltima determinatio sit discre-

tiò sui ab alio, si fieret ex malo imperio & non ex superno, cum istud sit ab homine & non à Deo, homo ipse in tali operatione salutari, discerneret se ab alio.

612 Nec obest 1. quod homo sæpè vltimo resolvat confessionem & communionem allectus & inescatus à vanagloria vel lucro temporali, & leviter malo. Imò sæpè pro obligando Deo ad bonum exitum alicujus negotij malè procurati. Resp. ex *num* 536. tunc in homine dari duas intentiones concomittantèr, & inconnexè se habentes. Vnam malam de vanagloria inductivam medij conducentis ad illam: quale solum est confessio externa, sive opus virtuosum externum. Quia cum solum istud videatur ab hominibus, solum est medium ad laudem, lucrum, aut præmium apud homines. Alia bona & inconnexa cum prima, de recipiendo Sacramento non invalidè, & cum tanto animæ dispendio, sed ritè & rectè, & cum dispositionibus internis superuis factis ex principijs superuis. Ad istam finis malus se habet solum ad allicendam voluntatem & remotè; non autem vt finis ipsius. Sicut qui allicitur à distributionibus ad assistendum Choro, non assistit propter illas, sed propter Cultum Dei: aliàs esset symonia.

613 Secunda ergo intentio, quæ discernit ritè confitentem à non confitente, superna est & ex gratia. Solum enim ab illa sinunt se moveri ad opus principia superna. Habet enim homo elevatus, & principia superna, & principia naturalia, ad actus de eodem vel simili objecto: & sæpè dum existimat vti supernis, & intentio sit mala, non vtitur nisi naturalibus, quia superna non permittunt se moveri, nisi solum ex motione superna gratiæ. Et in judicio Dei inveniet se delusum, & fecisse malam confessionem, dum existimabat bonam, si solum decrevit eam ex intentione mala & non ex bona, sicut qui possuit attritionem naturalem existimans supernam.

614 Nec obest 2. Quod Christus, & PP. docen-

nos

nos abstinere in operibus bonis ab intentione faciendi propter laudem humanam. Respondeo loqui de solis externis libere factis, quæ solum profunt pro illa. Et si libere fiant ex intentione mala pœnam, si verò in abscondito, & ex intentione bona præmiũ Cœleste à Patre Æterno consequẽtur, *n.* 571. ¶ Et nota contra hos, quod illud etiam deberent consequi si superna essent, etiam si fierent ex levi intentione mala; quia hæc non est obex gratiæ apud ipsos. Si ergo, *Matth.* 5. receperunt mercedem suam, & non recipient aliam; ideò est, quia non fuerunt superna, nec ex Dei gratia. Maneat ergo, quod principia superna, non subduntur pro ipso operante, imperio aut connatui naturali, nec movebuntur per illud ad opus suum magis, quam si ibi non essent, ex *num.* 562. * Sicut enim lapides ad Musicam Orphei movebantur, & mortui ad vocem Christi surgebant & ambulabant, secus ad musicas & voces aliorum hominũ, sic principia superna non moventur nisi ad vocem gratiæ, & intentionem supernam, secùs ad vocem intentionis naturalis, & inhonestæ.

615 Ex dictis infero, quod licèt Sacramenta causent gratiam ex opere operato in benè disposito, non causare illam in recipiente ex sola mala intentione, quia ista est obex pro gratia, quod jam est probatum de Pœnitentia. De receptione autem Eucharistiæ, Matrimonij, &c. potius videtur indispositio, quam dispositio pro augmento gratiæ, accedere ad illud ex pura intentione inhonesta. Etenim gravis inordinatio est, & habens saporem symoniacum res tam altas purè pro lucro temporali, vel ex malo fine facere. Quod si non sit mortale, destruens gratiam præexistentem (de quo *nu.* 553. & 578.) saltem æquissimum videtur, quod sit obex pro augmento gratiæ, & quod Deus promittens illam receptori dignæ, non tribuat illam per conductum intentionis tam inordinatæ & pravæ. Recipiens autem sibi imputet, qui talem apposuit obicem. *Vide à num.* 562. & 564.

QVÆSTIO

# QVÆSTIO XI.

## *PRÆVIA AD DEFINITIONEM FIDEI DE aliquibus communibus Fidei, & Lumini Gloriæ.*

## ARTICVLVS I.

### *DE HABITV FIDEI QVOAD INFLVXVM effectivum. Vbi aliqua de Lumine Gloriæ.*

616 ALiqua se offerunt dubia communia utrique habitui. Circa quę Lectorem remittemus ad *Tract. de Visione*. Solumque supplebimus aliqua ibi omissa. ¶ Quæritur 1. An habitus concurrat activè ad actus Fidei? Affirmo, sicut & de Lumine Gloriæ, à *num. 424. de Visione*. Est contra nostrum Bacconium docentem elevationem & confortationem intellectus ab habitu superno, non esse necesse quod sit in eodem genere, nempè causæ efficientis, sed sufficere in diverso. Declarat exemplo illius, qui per scalam ligneam ascendit ad infigendum clavum, & alius adjubat infigentem: non simul infigendo, sed scalam tenendo, sic confortat, & affecuat infixionem clavi. Sed contra: quia cum actus Fidei in ellici, sit entitativè supernaturalis, necessario exigit virtutem effectivam supernaturalem, qualis non est Virtus entitativa intellectus. Vnde non est paritas in exemplo adducto. Quia in infigente clavum, jam datur vis naturalis infixiva; & ideò sola egen elevatione, secus in intellectu.

617 Objicies 1. pro Bacconio. Concilia pro operibus superuis elicendis solum petunt elevationem per gratiam, & auxilia superna. Atqui totum hoc verificatur si elevent, & concurrant in genere causæ formalis,

& solus intellectus in genere causæ efficientis: ergo. *Vide à num. 426. de Visione.* Respond. nego minor. qui a opera in eo casu erunt superna solum quoad modum, nempè à consortio principij superni reperti in intellectu, non autem à vi elicitiva, quod est contra dicta.

618 Objicies 2. Si intellectus esset ellicitivus actus superni à principio superno, istud esset connaturale ei, & juxta ejus activitatem: ergo non esset supernum. Respondeo, totum id esse verum, si ex parte intellectus præcederet virtus partialis, & incohata ad actum supernum; quia vbicumque (præter casum præsentem de quo est quæstio) invenitur virtus partialis ad effectum, illa sicut petit effectum, & est propter illum, ita & petit aliam concausam intrinsecam partialem, vel saltim ista est illi connaturalis, & consentanea naturæ: vel ostende vbinam non.

619 Exemplo enim de portaturo maximam trabem (ad quam vires ejus sunt insufficientes, & egêt alio adjuvante, quin tale adjutorium sit ei intrinsecum, nec debitum) nihil probat. Tùm quia satis est consentaneum. Tùm quia vires Petri pro connatu partiali à se ponendo, jam sunt sufficientes: & ideò nihil mirum, si non exigat ipse aliã virtutẽ intrinsecã, sed adjutoriũ Pauli, sibi extrinsecũ. Tùm denique, quia quando virtus est partialis vt fiat totalis, & suppositum fiat totaliter potens, aut potentior, eget forma inhærenti, sibi debita. In portatione autem trabis, adjuvante Paulo, Petrus non fit potentior, (denominatio autem potentis est intrinseca sicut, & albi) sed ibi sunt duo potentes partiales; & vnus alium non facit potentem, sed adjuvat jam potentem.

620 Ideò ad argument. Respond. distin. major. Si intellectus esset ellicitivus partialiter à Virtute sua, esset connaturale ei principium supernum, concedo. Si non Virtute sua partiali, sed alia adventitia, quæ sit tota ratio agendi, nego. Istam defendimus nos in principio

su-

superno, ita vt intellectus nihil habeat de elicitivo actu, nisi solum remotè, & per modum suppositi. *De quo late in Tomo de Visione.*

621 Quæritur 2. An sit tota ratio agendi? Affirmo. *Vide à num. 435. de Visione.* Nec obest, quod intellectus non se habeat ad actus supernos, vt quodlibet ens, sed vt tale ens, nempè vt potentia vitalis intellectiva: ergo vt potens partialiter. Respondeo distinguo antec. vt tale ens potens ad supernos, nego. Vt tale ens potens ad naturalis, & ob hoc petitum à supernis, concedo. Si dicas: habitus superni intellectuales sunt proprij solius intellectus. Et Virtus superna, qua intellectus videt Deum, & credit Mysteria, est sua id est ipsius intellectus solius. Distinguo sua: sua solitate juris, aut exigentiæ, aut proportionis ad virtutem illam, nego. Sua acceptivè, & solitate commissionis, sive potentiæ exigibilis, cōcedo. Quia solus intellectus vt talis est exigibilis, & exactus à virtutibus intellectualibus supernis, vt subjectum proprium earum; & solus intellectus est potentia, cui potest dari commissio pro operatione eis proportionata.

622 Quæritur 3. An major intellectus cum æquali lumine eliciat perfectiorem actum Fidei? Nego, quia major perfectio actus superni summenda semper est à perfectiori principio superno. Vide argumenta difficilia specialia de Fide contra hoc *à n. 500. & 511. de Visione.*

623 Sed dices: Vir fortis, & Mulier debilis valdè inæqualitèr elicient actus superne fortitudinis, si æqualibus omnino auxilijs prævenientur: (idem de actibus scientiæ infusæ ab intellectu subtili Angelico, & ab intellectu rudi, si æquali ornentur habitu superno:) ergo. Distinguo antecedens: efficient actus inæquales, & majores supernos, si vterque totam vim habitus applicet, vel æqualitèr applicet, nego. Si vnus totam vim, alter verò ex propria inertia, aut tepiditate ductus, vel ex

alio capite, v.g. à molestia corporis & organorum de præsus & gravatus, non applicet totam vim, concedo. Sed id non est provenire à majori potestate & vi naturali, vel Virtute, tanquam à principio; sed à majori applicatione potestatis totius supernæ, tanquam à conditione applicativa.

624 Explico rem exemplo declarativo. Civitas nostra Cæsaraugusta suis Iuratis sive Senatoribus, pro poderibus, sive vestibus talaribus purpureis, quibus vt Officij Notis vtuntur, distribuit vnicuique eorum æquales vlnas panni serici. Dicamus vigiori vnicuique. Sed eum vnus solcas esse proceris staturæ. Alier pusillæ; nihilominus illi æquales vlnæ panni dantur; & ita artificiose vestes illæ consuuntur, vt quin aliqua pars, aut vlna scindatur, fiant vestes illæ inæquales & vniuscuiusque staturę proportionarę; quia scilicèt quidquid superest vltra staturam, plicatur ad intra, & absconditur. Et licèt ibi sit, non deservit pro vestitione, sed remanet otiosum. Quomodo ergo cum æqualibus panni vlnis vestes tam inæquales conficiuntur? Benè quidem: quia nempè pro vsu vestis magnæ, applicantur extensę omnes vlnæ. Pro parva verò solum decem vlnæ, & aliæ decem non applicantur pro vsu vestis, sed plicantur, & plicatę & absconditæ remanent otiosæ, quin vesti exteriori talari in aliquo disserviant.

625 Similitèr contingit in nostro casu. De vi enim habitus omnino æqualis Angelus, aut Vir fortis applicat pro actu superno totam vim. Mulier timida, sapè non totam applicat. Operatur ergo Vir intensius & fortius, sed non supra vires habitus, sed intra illas. Idem eveniet in cognitionibus; si tamen adsint species impressæ æquales, & operatio fiat independentèr à corpore, sicut visio Beata: corpus enim agravans sæpè impediet vsum totius Virtutis repertę in habitu.

ARTI

## ARTICVLVS II.

### DE EXCESSV EORVM SVPRA NATVRAM.

626 QVæritur 4. An detur in natura appetitus innatus ad Fidem supernam? Nego de superna in specie, sicut negavi de Visione Beata in ejus Tractatu à *num.* 191. ¶ Nec obest 1. Quod Fides sit perfectio naturæ. Respond. esse perfectionem supernam & improportionatam. Natura autem est ita modesta, & verecunda, vt non ambulet in magnis, nec in mirabilibus super se, nec appetat innate altiora se, & improportionata supra se. ¶ Nec 2. Credere ex D. Augustino est proprium hominum, (id est non brutorum:) Atqui natura appetit quidquid est proprium sibi, si sit perfectum: ergo. Distinguo majorem: credere est proprium hominum, est proprium sumpto ly *proprium* pro quarta voce prædicabili, sive prove diverso ab accidenti & contingenti, nego. Sumpto pro non communi omnibus animalibus, cõcedo. Vel distinguo aliter: Est proprium hominum exigitivè, vel productivè, nego majorem, est proprium accepitivè & commissivè, sive passivè & remotè, concedo majorem.

627 Sola enim natura rationalis est capax accipiendi, & cui committatur pro vsu creditionis, donum credendi, & in hoc sensu nego minorem, & consequentiam. Licèt autem Fides petat hominem, sed homo non petit Fidem; & licèt ad Fidem non se habeat homo, vt quodlibet ens, (sicut aqua ad producendam gratiam) sed vt tale ens est, (nempè vt potentia rationalis) id autem solum probat, quod se habeat vt tale ens petibile & petitum, non vt tale ens petens, aut appetens.

628 Objicies 2. Non obstanti quod Visio Beata sit superna, datur in homine ad illam appetitus innatus naturalis: ergo & ad Fidem. Antecedens probatur. Illud

ut petit natura innate & anxie, quo obtento quiescit, & quo non obtento, non quiescit. Ex hoc enim probamus lapidem innate appetere centrum. Atqui homo obtēta visione Beata quiescit, & satiatur, non obtenta nō quiescit: ergo natura appetit illam innate. Hoc argumentum semper est difficilè, & ita nodosum, vt etiam si adhibuerimus ad illud solutionem à *n. 208. de Visione*, & in Appendice ejusdem Tractatus à *num. Si illam*, in nulla illa summens mea quiescit.

629 Aliter ergo respondeo negando antecedens ad probationem distinguo majorem: illud appetit innate natura quo obtento quiescit. Distinguo hanc partem Si quiescit ex sufficientia, concedo quod illud natura appetat innatè; quia natura ita modesta est, vt innate appetat quod sufficit ad quiescendum; non tamen amplius. Si quiescit ex superabundantia, nego quod tale appetat innate. Quiescit ergo in visione Beata natura, sed tanquam in superabundanti, quod inverecundum esset petere; & ideò non petit.

630 Secunda pars majoris non est absolutè vera, sed distinguenda etiam: *Illud appetit innate Natura, quo non obtento non quiescit.* Si non quiescit quiete plena, vel semiplena saltem sine illo; pro tunc, concedo quod appetat. Si sine illo quiescat pro tunc in alijs, (licèt non quiete perpetua) saltem aliqualitèr & semiplenè, nego. Sine visione autem sæpè quiescit appetitus innatus (licèt non plenè) in alijs veritatibus (imò & appetitus elicitus, si nulla et adsit de Visione notitia, aut imaginatio) v.g. quiescit in Beatitudine naturali, quiete quidem sufficienti pro suo statu, quæ non requiritur quod sit immutabilis, & æterna.

631 Quæritur 5. An sit possibilis natura ex se supernè creditiva, sive quæ per se ipsam sit Virtus, & habitus credendi? Respondeo, quod non. Latè enim *à nn. 366. de Visione*, impugnavimus substantiam supernaturalem.

Obij-

632 Objicies: non repugnat substantia creata visiva Dei: ergo nec supernè creativa. Antecedens probatur: quia complexum ex intellectu Divi Petri, & Luminis Gloriæ est perfectio finita vt per se patet. Atqui nulla est repugnantia in eo, quod Deus substantiæ alicui creatæ communicet in vna entitate duplicem perfectionem, omnino finitam: ergo nec in eo quod concedat intellectum, qui simul sit Lumẽ Gloriæ. Major patet: quia si intellectivum & sensitivum alias distincta, Deus dedit homini in vna & eadem entitate real: ergo & potest dare in eadem intellectum & lumen. Confirmatur: quia cum sit perfectio finita, simultas vtriusque potest cadere in vas finitum: ergo.

633 Respondeo negando antecedens. Ad probationem concessa majori, distinguo minorem. Si potest dari talis duplex entitas in vna, in illa mẽsura, & tãritudine limitata, in qua habetur ab illo complexo intellectus, & luminis, concedo. Si non potest in eadem, sed in majori, & infinitè majori; ita vt per legitimas cõsequẽtias, sit Deus, nego majorem. Sic repugnant in eadem entitate identificari materiam, formam, & accidentia creata & finita, quia deberent dari in tanta perfectione simplicitatis, quæ pertingeret ad divinam. Sic autem evenire tunc, eo quod illa entitas tunc foret per naturam, quod modo est ex beneficio & gratia; & essendo per naturam, crescere tantitudo perfectionis ad propriam Dei, & ad divinam vsque.

634 Vel aliter distinguo minorem. Quando illa duplex perfectio finita, non imbibit repugnantiam idẽtificationis in prædicatis vtriusque partis, concedo posse coire in vnam entitatem. Quando imbibit eam in ipsis prædicatis, nego. Sicut autem repugnat materiæ primæ identificatio cum forma rationali, non tam ratione simplicitatis infinitæ, & divinæ, quam ratione oppositionis inter corpus & spiritum; sic inter substantiam creatam intellectivam, & lumen gloriæ repugnat idem-

tificatio; quia sumitur ex conceptu suo essentiali est gratia, & favor respectu suppositi creati, cui datur. Repugnat autem favorem identificari subjecto, cui datur quia eo tunc deberet simul esse debitus per naturam, & nō esse, quia esset simul gratia, & favor.

## ARTICVLVS III. & § I.

### AN ACTVS NATVRALIS, ET SVPERNVS possint habere idem omnino objectum.

635 PAter Antonius Perez hic ex professo negat contra Ripalda, & alios; & specialiter negat de actu Fidei, quia iste debet habere pro objecto testificationem certo divinam, obligantem nos ad assensum certum licèt obscurum, & sine formidine. Pro cujus doctrinæ intelligentia, *disputat. 2. cap. 2.* triplicem distinxit locutionem Dei. Vnam immediatam, & per se ipsum vt in Jordane, & Tabor. Secundam, per creaturam rationalem loquentem nomine ipsius Dei, & testantem se audivisse à Deo: talis est locutio divina per Prophetas. Et ad hanc reducitur locutio per Ecclesiam, vel per Parochos, quę saltim originative est divina.

636 Tertia, à duabus istis solum ratione distincta, & utrique communis, est locutio plusquam probabilitèr divina, id est certo divina (sive certitudo sit metaphysica, sive physica, sive moralis) obligans vt obscurè credatur assenso certo, & sine formidine, quia taliter est proposita, & talibus adminiculis munita, vt certo referat divinitatem sui Authoris, vt testificantis talem rem. Vndè verè esset hæreticus, qui dissentiretur Mysterio, de quo sic constat dictum esse à Deo.

637 *Tract. ergo 4. disput. 3. cap. 5.* tales actus non posse habere idem objectum probat 1. Quia objectum Fidei supernæ essentialitèr est locutio moralitèr divi-

na, vt indicans divinitatem sui Authoris. Atqui actus de tali objecto vt tali, necessario est supernus, & nequit esse naturalis. Ergo actus naturalis nequit habere idem objectum essentiale, ac actus superpus. Minorem probat: Quia talis actus importat essentialem connexionem cum tali locutione vt superna & vt divina, requiritque illam vt sic; taliter quod nequeat absque illa poni in rerum natura. Nullus autem est actus naturalis requirens essentialitèr aliquid supernum: aliàs non posset poni per solas vires, & efficaciam naturæ, ac per consequeo ipso deineret esse naturalis, & deberet esse supernus.

638 Hoc argumentum facilem habet solutionem ex dictis *à nu.132. de Visione, & hic à num* 532 (præcipuè cum sit assensus de objecto superno non quidem à se ponendo, sed jam ab alio posito, & propterea potest ei viraque solutio ibi posita accommodari) Etenim duplici modo consideranda est testificatio moralitèr divina & superna. Primo, solum objectivè & expressivè, & in actu signato expressato. Secundo, prout exercitè, & in re divina. Tunc solum, quando hoc secundo modo est petita specificat actum supernum. Nam pro primo sufficit actus naturalis in substantia & modo. Etenim dum Hæreticus negans Eucharistiam, credit Trinitatem, isti assentitur quia Deus dixit in Scriptura. Idem ergo motivum, quod Catholicus in sua Fide expressat, (nempè assentior Trinitatē, quia Deus ipse testificatur eam) idem inquam expressat Hæreticus: sed actu naturali, solum connexo cum Mysterio & testificatione vt divinis objectivè, sed non vt divinis exercitè, & in re, quia etiam si falsi essent; actus hæretici manerent ijdem omnino, ac antea.

639 Probat secundo: quia infallibilitas Fidei probatur à Divo Thoma, & Catholicis communiter ex objecto formali ipsius. Ergo nequit actus naturalis convenire cum Fide superna in objecto formali. Aliàs

con-

convenire etiam in infallibilitate, & certitudine circa Mysteria revelata. Confirmamus nos hoc argumẽtum: quia ex objecto formali superno probari solet à Theologis actuum supernaturalitas. Respond. 1. duplicem esse certitudinem in actibus. Vnam formalem, & entitativam sumptam à principijs determinatis ad verum. Alia est certitudo sumpta solum ab immobilitate objecti, & non à natura actus, qui quantum est ex parte sua, & suorum principiorum, posset non esse verus. Infallibilitas ergo objecti formalis, solum probat vnam, vel alteram certitudinem; non autem formalem determinate, nec supernam. In Christianis autem probare solet supernam, quia cum jam sint elevati ad statum supernum, supponuntur habere principia superna, ac per consequens, & elicere actum supernum, si honestè illis vti velint.

640 Ad confirmationem respond. 1. Ex objecto formali in Christianis colligi supernaturalitatem actus modo dicto. Respond. 2. ex dictis *in Tomo de Incarnatione, à num.* 138. tam posse dari circa objectum formale expressatum naturale, v.g. sublevationem pauperis, actum entitativè supernum (sicut & scientia infusa superna) quam detur naturalis. Diversitas enim vtriusque actus sumitur à principijs supernis, & à ratione *sub qua* inexpressata, quę quidem pro actu supernо debet esse superna; non autem à ratione formali *qua* expressata. Et his sequitur, quod si objectum formale superoum probaret supernaturalitatẽ in actu, adhùc non inde inferri quod actus supernus, & naturalis neque aut habere idem objectum formale naturale, permisso quod non possint idem supernum.

641 Respond 3. & notabilitèr: Ex objecto formali supernaturali, probari quidem aliquam supernaturalitatem in actu, sed non entitativam, aut formalem, atque essentialem, sed tantum remotam, originariam, aut derivativam. Quatenùs (licèt in re & de facto talis actus

sit

sit entitativè naturalis, & productus solis viribus, & inductione naturæ) forsè prærequirit in suis inductivis remotissimis, scilicèt in suis Avis, vel Proavis aliquam præsuppositionem supernam vt conditionem, vel requisitum. V.g. dum Hæreticus instruitur à suo Parocho Hæretico de Trinitate testificata à Deo, iste assensus entitativè naturalis, non potuisset poni nisi Deus jam revelasset Trinitatem; quia nullus hominum talem notitiam præbere potuisset: quæ postea de manu in manum per instructionem naturalem venit de vno hæretico in aliũ vsque ad istum per prædictum Parochum. ¶ Solam ergo hanc supernaturalitatem remotam probat de per se objectum formale expressatum supernum; quæ vera supernaturalitas non est, sicut nec motio Christi in Eucharistia de vno loco ad alium; nec deambulatio Petri reproducti versus diversa loca. Sicut enim libertas actus prædefiniri solum pensatur penes principia proxima indifferentia, & non penes remotam applicationem ipsorũ, ita & naturalitas operis penes vires naturales proximas, & non penes requisita remota. De quo *num.* 44. *de Attributis.*

642 3. Probat *num* 48. Quia objectum formale actus superni, & naturalis nequit esse idem in ratione formali *sub qua* objectiva; quia hæc summitur ex naturalitate, vel supernaturalitate modi tendendi ipsius actus in objectum, & hæc apud nos diversificat ordinem supernum & naturalem, & sic nequit esse idem. Nec 2. potest esse idem objectum intelligentiæ apprehẽsivę, nec assensivę. Pro cujus explicatione nota, quod ipse vocat intelligentiam apprehensivam apprehensionem quandam de objecto aliquo evidenter viso, vel saltim evidenter cognito, & non per enigmata: quæ quidem intelligentia evidens, præcedit necessario quẽcumque assensum de quocumque objecto, ac per consequens assensum, sive judicium de tali objecto formali. Et hoc objectum nequit esse idem respectu actus super-

ni

ni & naturalis; quidem, cum debeat esse evidēter cognitum, nequit cognosci nisi per actum supernum, & non per naturalem. Intelligentia autem apprehensiva pro actu Fidei semper reducitur ad miraculum vt miraculum, vt ab objectum suum.

643 Nec 3. potest objectum formale vtriusque assensus, sive intelligentię judicativę, & assensivæ esse idem, quia respectu Fidei objectum formale est ipse Deus testificans. Respectu verò actus naturalis est ipse Deus vt cognitus ex creaturis. ¶ Nec tandem 4. potest dari identitas in objecto totius habitus, quia repugnat quod Deus, & revelatio, &c. qui sunt objectum formale totius habitus Fidei, possint adæquari per potentiam, vel habitum naturalem. Imò potest dari revelatio inattingibilis per aliquem actum naturalem. Vt si Deus decerneret, vt homines nullum actum naturalem credendi exercerent, & tale decretum hominibus revelaret, non possent illud credere credulitate naturali: ergo repugnat identitas objecti formalis totalis vtriusque.

## §. II.

## SOLVITVR ISTVD ARGVMENT. ET ALIA.

644 AD hoc argumen. (quod meo videri plus habet de difficili capi quam solvi.) Respondeo ad 1. Concedo ex dictis à *numre.* 132. *de Visione*, quod diversitas ordinis in actu superno, & naturali summitur à diversa ratione *sub qua*. Nos autem non loquimur de identitate in ista, sed in motivo formali cognito & expressato, sive in ratione formali *qua* expressata. Qualis non est ratio *sub qua* stricta, de qua loquimur: & hic nego suppositum, nempè rationem *sub qua* esse rationem cognitam. Visibilitas enim non expressatur ab oculo, nec signatè, nec exercitè, sed solū ab intellectu, respectu cujus nō est ratio *sub qua*. Specificat autē potēntiam visivam, non quia ea sit cognita, sed quia sit petita essentialiter à visione petente, vt sic ibi.

Ad

645 Ad 2.de objecto intelligentiæ apprehensivæ; nego quod semper; (imò nec regularitèr) sit pro Fide aliquod miraculũ,sed propositio Mysterij à Parocho,vt à Deo dicti,v.g. Trinitatis. Quod objectum commune est,vt probavimus,Christiano & Hæretico; quia vterque intuitivè audit à Parocho auditione naturali auriculari.Ad quam in vtroque sequitur assensus propter dictum Dei,tanquam propter motivum formale & rationem *qua* expressatam. Cum hac tamen differentia, quod Christiano elevato per habitum supernum Fidei dantur à Deo auxilia superna quibus supernè apprehendat, & supernè credat per actus essentialitèr certos à principio superno & sub attingibilitate & ratione *sub qua* superna incognita & inexpressata. Hæreticos verò eliciat actum naturalem inconnexum ex se:& à principio,& sub attingibilitate naturalibus.Licèt enim intelligentia apprehensiva etiam in Hæretico debeat esse de objecto evidenti, jam est de propositione Parrochi circa Trinitatem vt dictam à Deo.

646 Etenim in testificatione Dei moralitèr divina,quam ipsi adstruunt proposita à Parocho, & datur testificatio,& datur quod sit evidenter moraliter divina, & de neutro regulariter habet Catholicus, saltèm rudis, & simplex evidentiam, adhùc moralem, (taceo quod ad certitudinem entitativam & supernam ista sola non sufficeret) licèt sit sine formidine vt explicui de credibilitate à *n.*474. Vndè hęc evidentia solum videt quod Parochus dicat Deum dixisse:Nõ autẽ videt quod Deus verè dixerit.De hoc enim nulla evidentia datur, nec in Hæretico,nec in Christiano.Non ergo ex divina testificatione apprehensa præcisè,arguitur benè supernaturalitas in actibus. Ex quo patet ad tertium membrum.

647 Ad 4. Respondetur,nos non intendere identitatem in toto objecto habitus, sed solum in ratione *qua* expressata,per vnum vel alterum actum. Imò fortè

tè si intenderemus, nullũ esset inconveniens in eo quod habitus naturalis facilitans exhaurirat totam rationem formalem *quæ* expressiram habitus superni, (reservata semper illi propria ratione *sub qua*.) Valet enim Hæreticus negans vnum Articulum manens Hæreticus omnes alios credere quia Deus dixit, si per media naturalia proponantur. Et postea credere illum Articulum quem negabat, dissentiendo alteri antea affirmato; & sic verificabitur elicuisse assensum creditivum circa omnes Articulos. Quod si facto illo decreto à Deo, non posset elicere creditionem naturalem, id solum esset verum de per accidens. Quo ruit totum argumentum.

648 Probat 4. Quia omnis cognitio superna, est doctrina superna. In actu autem discendi reperiuntur duo formaliterè, vel æquivalenterè. Nempè credere doctrinę, & cognoscere signa quibus Deus loquitur nobiscum, licet cognoscere miracula; est cognoscere talia signa. In cognitione autem experimentali miraculi semper reperitur habere pro objecto formali aliquid supernaturale vt tale. Hæc autem in actum naturalem nõ cadunt. Ex quibus sequitur idem dicendum in volitionibus. Quia volitio superna semper attingit objectum formale. (Id est sublevationem miseriæ, propter quam vult eleemosynam) prova subest doctrinę, & propositioni supernæ, atque à Deo inspiratæ. Quod non convenit volitioni naturali. Hoc argumentum licèt aliquid probaret de Fide irregularitèr producta, secùs de nostra regulari. Igitur.

649 Respond. ad argumentum, solum probare de credente revelationi sibi ipsi factæ. Solùm enim ipse potest habere cognitionem experimentalem signorum in ratione signorum. Vel si probet de creditione per miracula experimentalitèr cognita, id non est loqui de Fide, & creditione modo regulari quo à nobis fit, & de qua nos loquimur. In nobis enim nulla datur specialis

no-

notitia experimentalis de aliquo superno, vt superno. Credimus enim Mysteria propter dictum Dei, de quo dicto nullo pinet nobis cognitio experimentalis. ¶ Nec obest nos experiri in nobis firmissimam certitudinem Mysteriorum Fidei. Atqui talis certitudo de Mysterio obscuro essentialitèr est connexio cum illo, ac per consequēs supernaturalis: ergo. Respondeo enim quod sola certitudo formalis, & entitativa est connexio, & est superna; non autem subjectiva. Nos ergo experimur certitudinē, & adhęsionē ad Mysteria; sed non cū differentia formalis à subjectiva, in qua consistit supernaturalitas vt talis.

650 Nec verum est, quod Author infert de volitionibus. Etenim tam superna quam naturalis de sublevatione per eleemosynam, est de eodem motivo, & ratione formali *quæ* expressata. Illud enim de illuminatione per doctrinam supernam, non est ratio volita, sed protegens, & petita & se habens tanquam ratio *sub qua* respectu actus superni, vt superni. Sola ergo sublevatio est quæ volitur ratione sui. Voluntas enim eleemosynam dat totalitèr propter miseriam pauperis sublevandam. Nec de hoc datur aliquid aliud experimentalitèr expressatum, aut volitum.

651 Inter alia argumenta objicia sibi, quod Gentiles elicium actus supernos, sine vlla cognitione experimentali objecti superni, quia illud non attingitur sine Fide. Cum autem Fides sit ex auditu, nec possint audire sine prædicante: indè est, quod in ipsis nequeat dari talis cognitio experimentalis. Quod autem in ipsis debeant dari actus superni, probat; quia isti requiruntur in ipsis pro posse converti ad Fidem. Respondet ipse hic *disput* 3 *cap.* 5 *num.* 35. distinguendo triplicem vocationem, (id est prædicationem, vel quasi) scilicèt generalem, specialem, & specialissimam. Generalem ad Fidem de vno Numine remuneratore: vel specialem ad Fidem veteris Testamenti, quæ erat in solo Israel: vel

spe-

specialissimam ad Fidem novi, quæ est in Ecclesia Catholica.

652 Prima, communis est omnibus Gentilibus, & audita saltim à Parentibus, quæ Fides vera est, & à Deo: Licèt Dæmon ex eo principio occasionem sumpserit decipiendi homines, docendo se esse verum illud Numen. Ex quo principio secundum se, & ex machina universi ab omnibus cognita, possunt quilibet Gentiles cognoscere verum Deum, & adorare; & ex hoc, atque ex observatione legis naturalis possunt se disponere ad Fidem, & accipere à Deo illustrationes supernas, pro operibus supernis ante Fidem Catholicam sibi notam, ex sola vocatione externa communi. Ex illisque elevantur ad statum, in quo possint opera superna exercere.

653 Sed mihi respondendum videtur in Gentilibus regularitèr ante Evangelium illis prædicatum, nulla dari in ipsis opera superna, nec libertatem supernam proximam vt se disponant ad Fidem, sed remotam. Nec enim Deus ab ipsis postulat, quod se alia via disponant ad prædicationem & Fidem, quam removendo prohibens, nempè impediendo peccata contra legem naturalem. Si enim hoc præstiterint, Dei providentia disponet illis de prædicante & instruente, vt concipere possint Fidem ex auditu.

654 Alia sibi objecit argumenta loco citato, quæ solvit per doctrinas satis difficiles, & non admittendas: qualis est, v.g. quod dum volitio & desiderium naturale appetit visionem supernam, objectum ipsius non sit Visio Dei vt talis, sed quædam prædicata communia Visioni Dei, & alijs cognitionibus magnis. Probavi enim vrgentissime à *num.127. de Visione*, ex Divo Thoma, & ratione: Visionem supernam expressivè, & objectivè vt talem, desiderio & Spe naturali appetit ab Hæreticis. Æquè difficilis est illa doctrina, qua nititur probare nos de facto, licèt non habeamus evidentiam experimentalem de supernis vt sunt participatio divi-

ôæ naturæ, habere eam de aliquo proprijssimo supernorum vt talium: Quod mihi regularitèr inverosimile est; nam certitudo sine formidine quam experimur in nobis circa Mysteria Fidei, jam est dictum quod est communis formali & subjectivę, ac per consequens experientia non est de ea specialitèr, secundum rationem supernam.

## ARTICVLVS IV. & §.I.

### *ILLATIO DE SVPERNATVRALITATE, AVT naturalitate, connexione, & certitudine Fidei.*

655 EX dictis sequitur 1. Fidem non esse supernam ex solo objecto & motivo supernis expressatis, vt diximus de Hæretico assentiente Trinitati, quia Deus dixit. Nec dicas: quod si motivum esset, quia Deus dixit, etiam assentiretur Eucharistię, quam etiam Deus dixit: siquidem eadem est ratio. Respond. quod etiam assentiretur, si existimaret Deum dixisse; quia tamen existimat Deum tale quid non dixisse, sed metaphoricè, & in figura locutum fuisse; ideò dissentitur Eucharistiæ. *Vide Tractatum de Visione, quæst. 2. artic. 4.*

656 Nota 2. Nos non agere de Fide in hoc Articulo, quæ nitatur testimonio naturali Dei vt Authoris naturæ: quam esse possibilem, saltèm in pura natura, censeo probabilius cũ Ripalda, & alijs Recentioribus. Ratio est: Tùm quia naturalitèr evidentèr potest nobis constare summa, & infallibilis veracitas Dei, & quod si loquatur nobis, potest credi certissime. Quod autem loqui possit cum hominibus, vel Angelis, vt Author naturæ, de rebus naturalibus, nulla apparet repugnantia; nam cum sit Caput, & Gubernator totius naturæ, potest intimare leges circa illam. Talis autem locutio,

sicut & creatio,verè erit naturalis;quia de re purè naturali, & à Deo vt Gubernatore naturali. Et insuper, quia loqui de naturalibus, non est participatio Dei vt Dei,sive de proprijssimis Dei,sed quid commune Deo, & naturę creatę:ergo assensus de re sic à Deo dicta,erit Fides naturalis.

657 Adverte tamen,quod Deus non poterit loqui Myiteria superna tali locutione naturali;quia cum esset necessario locutio vera & connexa cum ipsis, esseque attingentia infallibile superni vt superni, necessario esset superna ; esset etiam participatio Dei vt Dei; quia connexio infallibilis cum superno vt tali,est proprijssima actuum specialium Dei vt Dei. Quod si in Sacra Scriptura reperiuntur locutiones de rebus naturalibus, non propterea sunt naturales ; nec Fides nostra propter illas erit de facto naturalis ; quia tales locutiones imbibunt essentialitèr divinam intentionem significandi,quæ de facto est superna propter finem supernum: tamen in pura natura esset naturalis.

658 Assero ergo:Fides Theologica in Christianis de facto est superna , & est talis quoad substantiam,& non solùm quoad modum, extrinsecamque ordinationem ad finem supernum. Ita Theologi communitèr contra paucos. Probat.ex Ioann.6. *Nemo potest venire ad me , nisi Pater meus traxerit eum* : ergo non viribus naturalibus ; venire autem est credere,vt constat ex contextu. Idem patet ex Concilijs apud Ripald. *tom.1.disputat.4.sect.3.* Probat.2.ratione : quia actus Fidei in nobis per suam tendentiam est certus de Mysterio propter revelationem:ergo connexus entitativè cum superno vt tali: ergo & per illam est participatio Dei vt Dei. *Vide in Tract.de Visione, quæst.de Ente supernaturali.*

659 3. Quia habitus per se infussus est entitativè supernus,& actio procedens ab illo vt specificè tali,eo

ipso

ipso est superna, quia est à superno vt superno: ergo & actus productus per talem actionem & principium, erit entitativè supernus. Tùm quia habitus infusus datur ad talem actum ad simpliciter posse: ergo pro illo natura ex se non habet posse. Tùm quia Concilia clamant necessitatem gratiæ & divini adjutorij, præcipuè ad actus Fidei, Spei, & Charitatis: ergo quia sunt entitativè superni. Confirm. quia si dantur Virtutes per se infusæ & superne, debent habere actus entitativos specialiter suos, & qui sint ab ipsis vt ipsis: ergo erunt entitativè superni; quia à principio superno vt superno; & de istis sæpè intelliguntur Concilia.

660 Objicies 1. Concilia petunt gratiam ad actus supernos, vt fiant provt oportet: ergo non vt fiant præcisè. Respond. nego consequens. de actu Fidei; nam in hoc, & similibus, idem est fieri à Catholico, vel ab habente principium supernum, & fieri provt oportet. Licèt enim ly *provt oportet*, aliquando sonet ordinationem extrinsecam ad finem supernum, sive salutarem; sæpè tamen sonat differentiam essentialem vnius actus ab alio, vt in Fide Catholici comparata cum Fide hæretici: quod colligetur ex tendentia entitativa in illo ad supernum sub ratione superni.

661 Replicabis: PP. & Concilia, cum loquuntur de actibus salutaribus, & provt oportet; constat, quod aliquando intelliguntur de supernaturalitate quoad modum extrinsecum: ergo nihil manet, per quod probetur entitativa supernaturalitas, & intrinseca Fidei, & aliorum actuum. Respond. distinguendo anteced: possunt intelligi de modo, dum loquuntur circa subjectam materiam, & circa actiones inconnexas cum superbis; concedo antecedens. Circa omnem materiam, nego anteced. & consequens. Ratio est: Tùm quia sæpè ad ipsam operationem, pro posse & pro simpliciter posse, requirunt gratiam, & non solum ad extrinsecam ordinationem; Tùm quia, si ipsa entitas per se ipsam sit de

superno vt superno, etiam inde constat supernaturalitas entitativa, in habente principium supernum, specialitèr destinatum à sua natura ad similes operationes.

662 Objicies 2. Si actus Fidei esset supernus entitativè, cum sit vitalis, non posset habere causam principalem vitalem; eam tamẽ habet si sit naturalis: ergo. Probatur anteced. nam non esset intellectus vtpote improportionatus, & ob id est instrumentum: non habitus nec species impressa, nec Deus, quia non sunt causæ vitales. Respond. si quid probat hoc argumentum, probare contra visionem Beatam, & omnem actum supernum. Nego ergo anteced. Primo: quia habitus est Virtus principalis vitalis: non vitalis sibi, & vt *quod*, sed vitalis intellectui & vt *quo*. Tunc enim principium est vitale, quando natum est habere immanenter operari intra suum suppositum. Respond. 2. juxta alios, intellectum vt elevatum esse causam principalem totalem; quia prout sic jam est vitalis & proportionatus. Resp. 3. Intellectum esse causam principalem, & non instrumentum, etiam si ex se sit improportionatus. Instrumentum enim est, quod præcisè operatur vt motum ab alio agente; intellectus autem operatur vt se movens ab intrinseco per habitum. *Vide Tractatu de Visione, quæst. de Lumine, artic. vltimo.*

## §. II.
## DE CONNEXIONE, ET VERITATE FIDEI.
### *Vbi & de Veritate testimonij Dei.*

663 QVeritur: An sit necessario vera & connexa cum objecto credito? Affirmo cum communi; imò & ita vera, vt nec divinitus possit esse falsa, nec de re purè existimata. Tùm quia, Deus nequit divinitus testari falsum, de quo supra *nu.* 229. Tùm quia Fides, cum sit Virtus mentis, differt essentialitèr à Vir-

tu-

tute voluntatis;quia ista est de re honesta vt apprehensa; at illa est de re vt verè & exercitè tali,quia veritas vt talis,est perfectio essentialis intellectus,saltùm connotativè.*Vide supra de Veritate Fidei.*

664 Objicies 1. hæc propositio: *Ecce Virgo concipiet*:fuit vera & modo est falsa,cum sit de futuro:ergo.Nego antec.quia id respectivè ad tempus,quo prorulit Isaias,semper est verum, & qui illam repræsentando tempus Isaiæ profert, verum profert. Nec ex hoc sequitur, quod hæc propositio sit sempiternæ veritatis: non enìm,nam licèt sit sempiternè vera respectivè ad tale tempus,non est sempiternæ veritatis,quia veritas sempiterna est de objecto absoluto, & præciso ab omni tempore. Vndè in actu Fidei divinæ,Veritas, vel est relatio,& connexio transcendentalis cum objecto vt exercitè est,vel si sit secundaria & prædicamentalis,est secundaria indispensabilitèr,sicut coexistentia creaturę ad Deum.

665 Objicies 2. In falsitate Fidei nulla apparet contradictio. Nego, quia esset Virtus superna mentis vt supponimus,& non esset; quia Virtus mentis debet esse de vero vt exercitè,& in re vero,quia sola hęc veritas est intellectus perfectio. Vndè licèt Fides sit de objecto contingenti, tamen ipsi nequit esse contingens veritas, quia determinata est à principio superno suo, non tendere in aliud, nisi ex suppositione,quod verum sit;quam essentialem determinationem à principio,quia non habet visio ocularis,contingere potest,vt aliquando sit falsa.

666 Objicies 3. Visionem Beatam affirmantem, non solum suum jus perpetuo durandi, sed suam durationem perpetuam in re,posse divinitus falsificari,quia potest divinitus destrui;ergo. Probat. antecedens:quia aliàs daretur creatura, quam Deus semèl productam, nec divinitùs posset destruere. Nego anteced.& distinguo probationem: quæ non posset divinitùs destrui, ex

suppositione decreti, concedo; sine illa nego. Etiam omnes Authores concedunt, visionem non posse destrui ex suppositione decreti; cum autem ista visio per suam essentiam supponat decretum, & in illo videat sua durationē, in ista inseparabilia sunt existentia sua absoluta, & suppositio decreti; & sic nihil mirum, quod ista non possit destrui. *Vide me Tract. de Visione, quæst. 8, artic. 2.*

667 Objicies 4. Deus potest dispensare in morte innocentis: ergo & in mendacio. Semel autem posito, quod mendacium non sit malum, poterit Deus, saltem divinitus mentiri, & Fides reddi falsa. Confirmatur: quia potest dari casus in quo utilitas mendacij præponderet damno deceptionis (si nempè ad defensionem vitæ totius Reipublicæ necessarium esset mendacium leve, à quo deceptus desisteret Tyranus à Republica destruenda.) Respondetur ex P. Antonio Perez *disput. 3, num. 16*, concesso antecedenti, negando consequentiam: quia mors innocentis sive homicidium, eatenus est malum, quatenùs fit invito Domino vitæ & mortis. Posita autem dispensatione, jam earum Dominus non esset invitus. At mendacium ex se est malum: quia est inordinata locutio destructiva humanæ societatis & credulitatis. Taliter, quod si vnā sola vice esset licitum ex dispensatione; pro omni maneret suspectum, etiam in ipso Deo, quia oriretur dubitatio, An adsit dispensatio.

668 Ad confirm. Respond. 1. quod pręponderantia non est summenda à solo casu determinato, sed à sequella in alijs, & sic damnū de eo quod deceptio licita sit pro vno casu, pręponderat vitæ totius Reipublicæ. Respond. 2. Quod quando utilitas pendet à permanentia vniversali prohibitionis, vt in præsenti, (non enim crederetur tali dicto nisi ex suppositione, quod mendacium est illicitum, & indispensabile,) non est amplexabilis, etiamsi maxima sit, & damnum deceptionis sit leve, quia mendacij admissio inducit damnum, non solum

pro

pro isto casu levi, sed damnum transcendens pro quocumque casu: siquidem reddit insecuram,& suspectam quamcumque locutionem:& sic præponderat damnum cuicumque utilitati.

669 Objicies 5. Quod locutio non affert obligationem dicendi verum, vt patet in mentiente, invincibiliter existimante licere,& obligare. Tunc enim Deus præcipit mentiri. Respond. P. Perez: quod ille tunc non loquitur nisi late, quia nullum contractum facit, sicut nec psittacus, aut nos dum loquimur cum cane. Sicut nec emittit vota Religionis, qui ignorat se obligari per ea. Sed ista mihi non placent: quia verè talis loquitur libere contra mentem, & sæpè contractum facit, quod non evenit in illis votis Religionis, quia non vovet, nec promittit, qui non intendit se obligare. Respond, ergo aliter, illum ex præcepto Dei & Rationis, solum mentiri indirectè, sive in alio. Directè enim præceptum, & intentum solum est conformare locutionem cum Fide, sive cũ credulitate, quod jam præstat. *Vide n.* 238.

670 In fine nota 1. locutiones equivocas in Scriptura ex justa causa, non esse falsas. Quia sufficit pro eis verificatio in vno sensu. Secundo, pro dictis *Tractatu de Visione*, & hic à *num.* 666. Si repugnet visio Beata indestructibilis affirmans se duraturam (eo quod creatura destructibilis sit à Deo libere, libertate distincta à libertate primæ productionis,) sufficiet pro quiete Beati visio affirmans ipsum in æternum fore Beatum per ipsam, vel per aliam visionem, si destruatur ipsa, vel per aliam cognitionem reflexam, vt jam diximus suo loco. ¶ Tertio: licèt significatio vocum pendeat à placito hominum. Si isti instituant quod iste voces: *Alius homo est productus* significent, quod alius mundus est productus: non propterea sequitur, quod Omnipotentia Dei summe veracis, manebit impedita producere tales voces in aere si voluerit, nec quod talis productio sit locutio falsa. Quia Deus non est alligatus in

sonitibus producendis in aere, sequi hominum institutionem, nec illę voces erunt locutio Dei. Ita tenet Antonius Perez *disputat.3 num.19.* Sed ego conformiter ad dicta supra *num.264.* crederem non posse Deum in aere tales voces miraculose producere, nisi facto præconio de non conformatione sui in illis, cum institutione hominum. Aliàs vox Patris in Iordane, & in Tabor, etiam fieret suspecta.

## §. III.
## DE CERTITVDINE, & CONNEXIONE FIDEI.

671 QVæritur: An Fides sit essentialitèr certa? Triplex est certitudo, formalis, objectiva, & subjectiva. Illa est adhæsio & connexio entitativa actus ad veritatem objecti in re & exercitè, essentialitèr proveniens à principijs determinatis ad actum ve necessario verum, v.g. ab habitu, & à divina authoritate. Objectiva est, quę provenit ab objecti immobilitate. Subjectiva verò ab affectu, vel tenacitate subjecti. Hęc vltima non est propriè certitudo.

672 Affero ergo, quod Fides est essentialitèr certa & judico esse Fidei dogma, traditum in Sacra Scriptura. Probatur: nam *cap.3.* Thobiæ, hæc habentur: *Pro certo habet omnis, qui in te credit.* Item *2. ad Timothei 1. Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare.* Item Actor. 2. pro certissimo ponitur, quod credendum est. Dicitur enim: *Certissimè sciat omnis Domus Israel.* Et Concil. Triden. *sess.6 Canon.9.* ait: *Certitudinem Fidei esse talem, cui nequeat subesse falsum.* Et confirmatur comparationibus, quibus vtitur Sacra Script. interpretantibus Patribus.

673 Ex his sequitur, quod non solum est certa objectivè, sed formalitèr; Tùm quia textus commodè in-

telligi p ossunt de veraque. Tùm quia actus Fidei divinę est tam infallibilis ex parte principij, vt nequeat non esse verus. Nec dicas 1. ex Durand. Ergo nõ esset necessaria pia affectio. Nego consequent. quia cum objectum attactum per actum certum sit obscurum, & non convincat intellectum, requiritur pia affectio ad determinandum intellectũ, vt vtatur habitu, pro eliciendo actu essentialitèr certo. Nec dicas 2. quomodo ergo tot dubia, saltim indeliberata? Resp. hoc probare, non esse intellectum æquè certum subjectivè; benè verò formalitèr & objectivè.

674 Assero etiam: esse simplicitèr certiorem quolibet actu naturali. Est contra Durand. Almajn. Hugo, Victorin. & alios. Probatur: quia Div. Thom. *quæst. 4. artic.* 8. ait: Fidem esse certiorem alijs scientijs, eo quod vnumquodque judicatur secundum suas causas, causæ autem sive principia Fidei sunt, ex parte objecti prima veritas revelans, vt ait Divus Thom. ex parte potentię principium superum, quod quidem ex natura sua est magis determinatum ad verum quam intellectus, species impressa, & alia principia naturalia: cum ista sæpè fallant.

675 Objicies: intellectus vt est principium illius actus, & similiũ: *Quodlibet est, vel non est*: tam est principium determinatum ad verum vt tale exercitè, & in re, quam sit habitus Fidei. Probatur: quia etiam illud est metaphysicè infallificabile: ergo est tam certus ille actus, quam assensus Fidei. Respond. negando assumptum. Licèt enim sint aliqui actus evidentes, metaphysicè infallificabiles ex parte objecti, sed non ex parte ipsius principij secundum se; sicut actus procedentes ab habitu Fidei, essentialitèr determinato ex se ad verum attingendum, ex suppositione veri.

676 Vndè licèt intellectus per illa prima principia naturalia sit magis certificatus de objecto subjectivè; secùs formalitèr: quia connexio cum objecto vt ve-

ra

ro strictior est in assensu Fidei ex parte sui principij specialis, quam in assensu principiorum. Licèt autem in communiori sententia veritas nequeat esse major aut minor in vllo actu, consistatque in indivisibili, etiam in actu contingentèr vero; secùs est de certitudine, quæ licèt sit metaphysica, attenditur penès titulos, quos habet majoris, vel minoris determinationis ex parte principij ad veritates.

677 Ex his communitèr dici solet assensum Fidei esse æquè certum formalitèr, ac quemlibet alium actum supernum scientiæ infussæ, imò & Visionis Beatæ. Licèt enim isti, vtpote evidentes, magis certiorem intellectum faciant, reddendo magis securum & magis repellentem dubia, id solum verificatur de majori certitudine subjectiva; secùs de formali, & quantum ad illam certiorationem, quæ consistit in connexione determinatissima ad verum prout exercitè verum, sumpta ab essentiali determinatione sui principij ad illud. Sed quantum attinet ad Visionem Beatam, alij tenent esse certiorem extensivè à principio ex parte objecti certiori. Sed res est parvi momenti.

## §. IV.
## ALIQVA DE RATIONE QVÆ, & SVB QVA, *& de duplici connexione.*

678 EX dictis in tota hac Quæstione sequitur 1. Quod licèt actus naturalis, & supernus possint habere idem objectum materiale & formale, sive idem motivum & eandem rationem *qua* expressam, & distinctè tactam objectivè: secùs eandem *sub qua*. Etenim actus vitalis habere potest duas connexiones cum suo objecto, vel termino: Voam intentionalem & repræsentationis, sive expressionis. Aliam entitativam & essentialis & indispensabilis exigentiæ, & petitionis. Prima est communis tàm actui superno quàm na-

naturalis: tam certo quam probabili sive incerto; quia specificatur, specificatione essentiali repræsentationis, ab objecto repræsentato, sive expressato. Sic iste actus *Tu es dormit media nocte*, qui in videnre somnum est evidens, & in nobis probabilis; in utrisque specificatur à somno specificatione essentiali objectiva & expressionis.

679 Altera connexio est entitativa & essentialis, ob quam objectum debet esse tale exercitè & in re, quale actus repræsentat, sive exprimit; & hæc est specificatio exigentiæ & petitionis indispensabilis, quia actus essentialitèr verò, & certo essentiale est, quod objectum exercitè & in re se habeat prout actus dictat: quod non habet actus probabilis, & contingentèr verus. Pro qua diversitate invenies optimum exemplum declarativum à *numer. 186. de Visione. Dei.* Vbi diximus, quod cognitiones certa, & probabilis differunt, sicut Sacer Scriptor, & Commedus in Theatro. Iste enim solum curat de re vt bene repræsentabili, sive repræsentata sit vera in se, sive fabulosa, quia ad bonam repræsentationem, nihil interest veritas exercita rei repræsentatæ. At Sacer Scriptor non solum se habet de per se ad res vt benè scriptas, sed ad ipsas vt in re, & exercitè veras, quia est Magister Veritatis. Vndè actus certus supra probabilem, (cum quo convenit in repræsentatione & connexione intentionali ad idem objectum,) addit connexionem physicam cum re vt verè & exercitè tali. ¶ Similis datur diversitas inter creditionem supernam, & naturalem de Mysterio revelato. Naturalis enim est vera ab immobilitate objecti solum, non autem ex se. *Vide de hic num.* 283.

680 Præter has differentias datur alia sumpta à ratione diversa *sub qua* essentialitèr petita; sed tamen non expressata, & ab hac solet summi, tùm diversitas ordinis. Tùm diversitas potentiæ, & stat in

attingibilitate diversa per diversa principia. V.g. Visibilitas respectu oculi, & Sensibilitas respectu imaginationis, & Veritas, sive cognoscibilitas respectu intellectus. Amabilitas respectu Voluntatis. In Fide autem superna attingibilitas per intellectum vt superne elevatum; illa enim est ratio *sub qua* specificans, & ponens actum in ordine superno. De ratione *qua*, & *sub qua*, vide me à *num.*1395. *de Incarnatione* late, & à *num.*132. *de Visione*.

## QVÆSTIO XII.

### DE ESSENTIA, ET OBSCVRITATE FIDEI.

681 EXPLICVI objectum materiale & formale Fidei, atque propositionem ipsorum à signis, & à vera Christi Ecclesia objectivè; formaliter verò à judicio credibilitatis, & Pia Affectione. Restat essentiam ejus declarare, quæ tàm quoad habitum, quam quoad actum, ab objecto formali summitur.

## ARTICVLVS I.

### DE ESSENTIA FIDEI PRÆSENTIS, EIVSQVE obscuritate.

682 DIvus Paulus Essentiam Fidei, in illis verbis proposuit: *Est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Nomine *substantia* significat, ipsam esse fundamentum, & vasim totius vitæ spiritualis, vt includentis etiam vitam æternam, quam speramus, & media merendi illam. Vel dicetur *substantia*, quia de objectis sive rebus speratis

à

à nobis, non habemus aliam substantiam sive præsentiam nunc, quam ea, quam nobis facit præsentem in esse objectivo intentionali & enigmatico Fides divina. Sicut enim dicitur *jusculum de substantia*, illud quod à carne, (dum coquitur) totam carnis substantiam sibi attraxit; sic & Fides trahendo ad se intentionalitèr substantiam rerum sperandarum, merito substantia earum valet appellari, sumpto objecto pro habito.

682 Est etiam *argumentum*, id est convictio, sive convincentia intellectum convincens, & firmans circa res non visas, ac per consequens circa dictas à Deo; quia non datur alia firmitas pro rebus non visis, nisi ea quæ summitur ab habitu superno, & à Deo revelante. Est enim Fides: *Credere, quod non vides.*

683 Vel fortè dicitur simul *substantia, & argumentum*; quia ex n.589. duos actus elicit, nēpè judicium credibilitatis, & assensum Mysterij. Dicitur enim *argumentum*, quia est creditio obscura superna convincens. Dicitur *substantia*, quia in propositis Mysterijs (simul cum Regno Cœlorum vt bono repromisso, tanquam objecto sperando) fundatur judicium de tali promissione facta, vt verè credibili; à quibus rebus sperabilibus evidentèr, vel saltim sine formidine propositis, voluntas piè afficitur, & transit ad captivandum intellectum, vt captivatus credat Mysteria. Et hoc pacto pro vtroque simul assensu, vno tanquam dispositione, alio verò tanquam forma credendi, habitus ille & est substantia, & est argumentum. *Vide dicta à num.493. de igne productivo caloris, & simul alterius ignis.*

684 Quidam largè disputant: An hæc sit definitio essentialis Fidei, saltìm per vltima verba? Divus Thomas, & multi alij affirmant, quia convincere, & firmare assensum intellectus per dictum Dei, & non visum, convenit in convincere cum scientia, & differt ab illa, quia est assensus de non visis, neque evidentibus, sed dictis à

Deo.

Deo. Alij verbis clarioribus definiunt Fidem: *Adhæsio firma intellectus nitens authoritate Dei obscurè revelante.* Qui tenent, obscuritatem non esse essentialem Fidei, definiunt illam: *Assensus Mysteriorum, quia Deus dixit.*

685 Quæritur ergo: An Fides sit essentialitèr obscura, id est de objecto non viso, neque evidentèr cognito? Affirmant communitèr Thomistæ esse essentialitèr obscuram, tàm ex parte subjecti, quàm ex parte objecti. Recentiores communitèr docent, sufficere, quod sit obscura solum ex parte objecti, ita vt actus assentiatur, *quia Deus dicit.* Si verò alius actus, alia via sciat evidentèr tale Mysterium, reddatque intellectum clarum de illo, sitque claritas ex parte objecti; hoc non obest Fidei, quia sunt confusio, & claritas per diversa media, & actus.

686 Nos autem *in Tractatu de Incarnatione, quæst.* 22. diximus. 1. Non repugnare Fidem, quæ sit essentialitèr obscura ex parte objecti, & subjecti. Tùm quia non repugnat assensus essentialitèr determinatus ad objectum, *vt dictum à Deo*; petendo tamen obscuritatem in ipso subjecto asserente; sicut actus Spei est essentialitèr de bono provt non possesso, sive provt sub modificatione non possessi ab ipso desiderante. Tùm quia plures sunt Virtutes, vt Castitas, Jejunium, Pœnitentia, & Obedientia specificatæ à suis objectis, non vicumque, sed provt modificatis à conditionibus subjecti, in quo sunt: ergo nec repugnabit assensus essentialitèr determinatus ad objectum dictum provt modificatum à carentia visi & evidentis, existente in subjecto.

687 Secundo diximus: nec repugnare assensum Fidei, qui essentialitèr sit de objecto præcisè, *quia à Deo dicto*, quin ex suo concepta petat talem modificationem in ipso subjecto. Ratio est: quia claritas & confusio de eodem objecto repugnat in eodem actu, sed non

in eodem intellectu per diversos actus, & diversa media, sicut nec suspensio, & determinatio simul, illa per apprehensionem, & ista per judicium: Actus enim confusus essentialitèr, confusionem reservat sibi, & non communicat subjecto, si istud aliàs habeat evidentiam per alium actum distinctum; & tunc intellectus esset absolutè clarus de objecto, & secundum quid sive cum addito confusus, sive non clarus, nempè non clarus ex vi talis actus cõfusi. Dixi *ex conceptu suo*: fortè enim evidentia absorbet intellectum, & non relinquit eum assentiri objecto præcisè quia dicto; & hoc non provenit ex repugnantia ipsius Fidei. Sed de hoc infra.

688 Diximus 3. Si inquiratur de Fide existenti, hanc esse de specie essentialitèr obscurę, quia cum possibilis sit una & altera, qualis præsens sit, dicant periti, quibus Deus dedit lucem, nempè Apostoli, Ecclesia, & SS. PP. Divus Paulus obscuritatem indicat per ly: *Argumentum non apparentium*. Divus Petrus vocat eam: *Lucernam quæ ardet in caliginoso loco*; id est in intellectu obscuro, & inevidenti. Ecclesia de Thoma Apostolo, ait: *Quod aliud vidit, & aliud credidit*. PP. communitèr dicunt, quod Fides est: *Credere, quod non vides*: ergo præsens est naturę, & essentię obscurę, etiam ex parte subjecti.

689 Sed adde ibi dictis notabilem advertentiam, quod licèt Fides sit essentialitèr de objecto non viso, id non est intelligendum meo videri de numquam viso, vel evidentèr cognito. Si enim quis postea esset omnino oblitus de tali objecto, amisisseque species impressas evidentes, vel si conservando adhùc illas, esset impossibile, quod excitarentur, quia Deus v.g. negaret concursum ad talem excitationem, non reperio, cur in eo tunc non possit exerceri Fides præsens. Ratio autem est: quia tunc verè ille assensus est de non apparentibus, & verè est lucerna in caliginoso intellectu, & verè est credere, quod non vides. Hoc pacto, B. Virginem,

post-

postquam sæpe viderat divinam essentiam, & habebat visionem omnium Mysteriorum Fidei, vel evidentiam per scientiam infusam, sæpissimè exercuisse Fidem, dicit V. M. Maria de Agreda, *in Tomo 1. num. 492. de Mystica Civitate Dei*, negante Deo concursum specie bus evidentibus: & præcipuè ait, id contigisse, dum credidit Angelo Incarnationem annuntianti.

690 Idem contingebat in Divo Paulo: Qui in raptu vidit divinam essentiam, & ex D. Thom. adducto in materia de Visione, Mysteria ipsa Fidei, quod prædicaturus erat. Incredibile autem omnino est, quæ circa ea quæ viderat de Deo, nec circa tot, & talia Mysteria sibi revelata, numquam exercuerit Fidem. Facilius enim est dicere, quod Deus impedierit vsum specierum evidentium earumque excitationem, vt posset exercere Fidem. Quod vel non erat miraculum attenta natura status Viatoris. Vel si esset, renuendum non est; vt vniversalis Magister exerceret Fidem quam docebat; sicut nec renuitur in dæmone impeditio specierum, & alucinatio circa cognitionem Adventus Christi.

## ARTICVLVS II.

### *SOLVVNTVR ARGVMENTA.*

691 OBijcies 1. Ergo Philosophus Christianus habens evidentiam de existentia Dei nequit circa istam habere Fidem. Sed hoc est absurdum: ergo & illud. Minor probat. 1. Quia non posset iste accedere ad Deum, cum non possit credere, quia est. Paulus enim dicit: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator est.* Probatur minor. Secundo: Quia esset pejoris conditionis quam Rusticus, siquidem iste potest de omni Mysterio, etiam de existentia Dei exercere Fidem. Philosophus autè defraudaretur de Fide, de excessu certitudi-

dinis ſupra evidentiam naturalem, & etiam merito Fidei.

692 Hoc argumentũ valdè vrget Pater Suarez. Si reſpondeas 1. cum Thomiſt. Paulum loqui ſolum de non habente evidẽtiam. Contra: Tùm quia vbi loquitur de neceſsitate Fidei requiſitæ ad accedendum ad Deum, ponit diſtinctè ly *quia eſt*. Philoſophus autem Gentilis etiam debet accedere ad Deum, ac per conſequens & credere *quia eſt*. Si reſpondeas 2. Quod per ly *quia eſt*, intelligitur veritas Dei provt proponitur per Fidem, nempè vt eſt Author ſupernus modo quo proponitur à fidelibus, ſcilicèt cum Omnipotentia, & omnium providentia & alijs hujuſmodi, quæ probari non poſſunt ratione naturali. Nam ſolum hoc pacto conſtituit Articulũ Fidei juxta D. Thomam, *quæſt. 14. de Veritate, artic. 9 ad octavum*. Sed contra: quia vt Author ſupernus, id eſt vt Remunerator, continetur in ſecundo Articulo. In primo autem ſolum continetur, quatenùs eſt.

693 Alij autem vt plures Scotiſtæ admittunt in illo Philoſopho Fidem minus ſtrictam, ſive latam; ſecùs Fidem ſtrictam, quia ad primam ſufficit aſſentiri etiam ſine obſcuritate ex motivo Fidei, nempè quia Deus dixit. Ad ſecundam autem requiritur obſcuritas. Sed contra: Quia Fides de facto exiſtens, & quam Paulus agnovit, & prædicavit, eſt argumentum non apparentium; ac per conſequens obſcura. Atqui per vos obſcura non datur in Philoſopho Chriſtiano: ergo nec datur Fides de qua loquitur Paulus. Et ſic adhùc permanet argumentum in ſua vi, nempè prima probatio minoris. Si verò Fides debeat eſſe obſcura.

694 Reſpond. ego aliter, & fortè ſingularitèr 1. Quod evidẽtia illa habitualis, quam habet Philoſophus Chriſtianus, non eſt tanta quod ſufficiat impedire Fidem obſcuram. Pro quo nota 1. ex dictis in Materia de Attributis: quod evidentia illa Phyſica quam ex crea-

turis habemus de existentia Dei, non est ex illis patentissimis, & valdè convincentibus intellectum. Vndè intellectus non sanus vel male affectus & resistens, non facilè convincetur plenè, vt patebit considerantibus argumenta, quæ fiunt contra Atheistas, & hoc habet verum etiam cum rationes actualiter ponderantur. Cum ergo illa evidentia in actu non sit facilis in introduci, ea transfacta, & postquam in habitu introducta est, non est facilis in excitari in tali intensione, quod faciat in intellectu majorem vim, quam faciat evidentia solum moralis, v.g. de existentia Romæ. Et sic hæc evidentia in nobis non est tanta quanta facit fumus de Igne, & radius de Sole; imò nec tanta, quantam faciunt accidentia panis de existentia substantiæ. Vndè ego in me experior, quod in promptu tàm facilè credo existentiam Dei quia Deus dixit, quam credam Trinitatè: quia ob defectum ponderationis actualis, sive inconsiderationis motivorum, in me non facilè excitatur evidentia, quæ sit simpliciter talis. Et sic experior Fidem obscuram strictam & directam de existentia Dei quia ipse dixit, & non evidentiam strictam.

695 Respond. 2. Debere credi de Deo, quod est, & quod Remunerator est, etiam à Philosopho: sed non est necesse, quod quodlibet credatur seorsim, nec directè, nec Fide quę divisim sit de vno Articulo, & divisim de alio, licèt possit: sed sufficit creditio vtriusque, sive de vno vt includente aliud. Duplex enim potest esse creditio de existentia Dei. Vna exclusivè sic: *Credo quod existit Deus.* Alia inclusivè sic: *Credo quod existit Deus Vnus, & Trinus.* Hæc secunda etiam est de existentia Dei, sed vt expressè inclusa in Trino; sicut etiam si credat Deum Remuneratorem superum: Hæc Fides est formaliter expressè de vtroque, licèt per modum vnius, & quolibet modo ex his, recognoscit vnum superum Numen, & recedit ab Atheista. Quo pacto quilibet Christianus etiam Philosophus credit de Deo

quia

quia est, sufficienter ad accedendum ad justificationem.

696 Ex his patet solutio ad secundam probationem. Nego enim quod Rusticus sit melioris conditionis quam Philosophus. Non solum, quia vt volunt Thomistæ, non defraudatur meriso Fidei (cum istud stet in præparatione animi ad credendam existentiam Dei, si obscurè proponeretur) nec excesu certitudinis cum istâ habeat ejus evidentia participatam à consortio Fidei, & etiam habendo aliàs certitudinem supernaturalem de tali existentia, saltèm indirectè prove contentam in Scriptura, vel in alijs Articulis creditis, (licèt hanc certitudinem supernam teneant aliqui Thomistæ esse scientiæ, non autem Fidei, quia non est assensus propter solam Dei authoritatem.) Sed nec est melioris conditionis quantum attinet ad exercitium ipsum Fidei, siquidem etiam Philosophus habet Fidem de existentia Dei, & per æquipolēs omnem (& de omni) creditionem quam Rusticus, inclusam in Deo Vno & Trino credito. Quod si Rusticus facit duos actus, & Philosophus vnum, repetendo istum æquivalet vtrique, cum omnes actus Fidei sint ejusdem speciei. Et quoad certitudinem assero, Philosophum esse certum per talem Fidem certitudine formali, & certiorem subjectiva quam Rusticus, ratione evidentiæ magis subjectivè certificantis.

697 Ex dictis constat esse incompatibiles in eodem intellectu actum Fidei præsentis, & actum evidentiæ physicę simul circa idem objectum directè tactum. Nec contra hoc verum est primo: Quod evidētia, & Fides se habeant respectu subjecti, sicut lux magna & parva, v.g. radius Solis, & cādela compatibiles. Nego enim, sed se habent contrariè. Imò nec solum vt contrariè divinitus compatibiles, sed vt virtualiter contradictorię, sicut assensus & dissensus. Nec item secundo, se habent sicut scientia, & opinio entitativè sumpta, quia istę

forè sunt compatibiles, cum oppositio præcisè proveniat, ex diversitate motivorum, (quæ verè opinio non est) sed se habent vt scientia trahens securitatem, & vt opinio traheus simul formidinem incompatibiles. Sic enim scientia, & Fides præter diversitatem motivorum ponunt in subjecto claritatem & obscuritatem, quas si sibi reservarent, non esset contradictio; est tamen, quia refundunt illas in ipso subjecto. De his vide plura à *num.* 1147 *quæst.* 22. *artic.* 4. *de Incarnatione.*

## ARTICVLVS III.
## QVID DE HABITV.

698 REstat adhùc lis: An vterque habitus possit esse simul sine concurrentia actuum? Vel an habitus Fidei possit esse simul cum actu evidēti, saltim transeunte? Hæc quæstio apud Recentior. admittentes etiam actuum simultatem, non habet locum, sed solum apud asserentes, Fidem esse essentialitèr obscuram, etiam subjectivè. Plures autem Thomistæ negant de vtroque. Alij admittunt de vtroque, saltim divinitus. Alij iandem negant de habitibus, & concedunt de habitu, & actu oppositio.

699 Censeo 1. eum, qui habet habitum scientiæ, posse habere simul habitum Fidei creditivum eorundem objectorum, de quibus habet habitum scientiæ, licèt nequeat vtrumque actum conjungere. Est enim incredibile, quod B. Virgo, quæ à SS. Patribus sæpè asseritur plena sapientia superna Mysteriorum Dei, quæque habuit scientiam per se infusam, propterea perdidit habitum Fidei: habebat ergo vtrumque habitum, vt modo Fidem, modo scientiam exerceret, prout se offerebat occasio. Ratio autem conclusionis est 1. Quia licèt non posset exercere Fidem circa objecta scita, (nisi impedito exercitio scientiæ) poterat exercere habendo talem scientiam, circa objecta alia non scita: ergo

go cum habitus Fidei sit idem & indivisibilis pro omni objecto credibili,habendo habitum pro non scitis,haberet habitum creditivum,etiam aliorum Mysteriorũ, quantum erat ex parte habitus,& Virtutis in actu primo;nam solum sic procedit quæstio.

700 2 Quia non omnes habitus,qui sunt ad actus oppositos, dicunt eo ipso repugnantiam,& incompatibilitatẽ in eodẽ subjecto statim, & in quocũque gradu etiam remisso(etiam si tendat in destructionem paulatim). Sic in magno peccatore,atque vitiosissimo repentinè justificato,remanent habitus vitiosi simul cum habitibus infusis virtutum.Cum enim habituum oppositio non sit,(generaliter loquendo) formalis,& propter se, (nisi addatur aliqua specialis ratio in ipsis)sed effectiva,aut dispositiva,atque medijs actibus oppositis;si isti à voluntate,cui subduntur habitus,impediantur,fieri potest,vt non detur oppositio:ergo poterunt manere tales habitus pro illis actibus,qui nõ impediantur ab actibus contrarijs.Vadè divinius non renuerem concedere habitum Fidei in Beato simul cum Lumine Gloriæ, licèt inutilem,& impeditum exercitio suo.

701 Censeo 2.cum D.Thom.*quæst* 175.*artic*.3. *ad* 3. & cum alijs Doctoribus:cum Visione Beata transeunti posse compati habitum Fidei,& ita tenet de Apostolo Paulo in raptu,vidisse Deum transeunter,& conservasse simul habitum Fidei;non tamen pro tunc exercentę,sed postea. Vidisse autem in Deo Mysteria ipsa, quæ crediturus erat. Patet: Tũ quia vidit ea,quę doctus erat totum mundum. Imò ex Augustino,& D.Thoma,ista fuit causa vt elevaretur ad videndum. De quo *num*.734.*de Visione*.¶ Tùm quia vidit Deum Vnum, & Trinum,& plura Arcana, de quibus incredibile est, non exercuisse vnquam Fidẽ:maximè si non remansit in ipso species impressa clara de visis,& visione memorativa,sed valde tenuis,& *à vulto*, vt volunt Thomistæ aliqui. Ratio autem conclusionis est, quia visio vnilam

dicit oppositionem cum habitu Fidei, dummodo iste non exerceatur: oppositio enim est medijs actibus oppositis vt dicebamus. Sic potest quis conservare habitum spei, dum rem possidet transeunter, ad hoc vt transacta possessione, possit iterum sperare: ergo & Paulus conservabat Fidem, vt transacta visione transeunti, iterum crederet.

702 Objeies: Visso Matrito, cessat eo ipso in intellectu videntis, habitus de existentia morali circa existentiam Matriti: ergo multò melius cessat habitus Fidei in Paulo, viso Deo Trino. Fortè quis negabit antecedens: nempè cessare repente talem habitum; cessabit autem paulatim per non vsum. Dato antecedēti, nego consequentiam. Ratio est: quia à specie Matriti visi durante, impeditur perpetuo assensus ille, fundatus in eo, quod Matritum existat quia omnes dicunt; & sic habitus ille non poterit vltra habere exercitium; secùs habitus Fidei in Paulo, qui exercebitur circa non visa: imò circa visa, si non mansit clara species visorum, sicut manet Matriti: vel si etiam si manserit, impedita est exerceri.

## ART. IV. (PRÆVIVS AD QVÆS. SEQ.)

### DE VNITATE FIDEI.

702 NOn est sermo hic de divisione in habitualem & actualē; nec in explicitam, & implicitam; nec de actu Fidei interno & externo, quia de his infra. Solùm est sermo: an præter Fidem non discursivam, detur Fides discursiva? Et an actus Fidei multiplicari possint specie?

703 Quantum ad 1. jam respondimus negativè quæstione 7. *num.* 398. Licèt enim assensus ad rem, derivativè à divina revelatione vt tali assentiam, possit esse Fides, vt diximus. dum sermo esset de actu expri-

men-

mente Mysterium, & non revelationem: sed non erit Fides, si assēsus ille sit propter derivationem consequentialiter, & per modum illationis & quatenùs ponitur in illo, *hinc sequitur*; quia tunc est scientia Thelogica contraposita Fidei, quæ inter Virtutes mentis se habet per modum intelligentiæ, & simplicis assingēntię, & non per modum scientiæ illativæ.

704 Ad aliam difficultatem: an in suis actibus sit specie multiplex? P. Hurtado *disputat*. 57 *sect*. 3. affirmat, actus Fidei distingui specie. Tùm à diverso Mysterio vt objecto materiali: Assensus eo ìm Incarnationis quia Deus dicit, per suam ipsissimam tendentiam est expressio Incarnationis: ergo specificatur essētialiter ab illa, vt ab objecto stricto credito. Etenìm objectum strictum specificare essentialiter actus morales, docent communiter Thomistæ *in Materia de Bonitate*. Tùm etiam ab objecto formali, quod est divina revelatio. Etenìm non credimus Incarnationē, quia Deus revelat creationem mundi; sed quia revelat Incarnationem vt talem: ergo iste assēsus specificatur essētialiter à diverso objecto formali, nempè diversa revelatione: Quod autem revelatio sit diversa, patet, nam est de diverso objecto vt diverso, & etiam derivatur à diverso judicio divino, & à diversa eminentia revelationis, ac deriveetur revelatio creationis.

705 Opposita sententia est communis, vera, & tenenda, asserendumque omnes assensus, licèt animasticè videantur diversi actus, esse actus Fidei ejusdem speciei in linea Fidei, & vt tales solo numero differre. Pro cujus intelligentia nota, diversitatem materiæ, quæ solum se habet impertinenter ad aliquam lineam, non diversificare specie actus comparativè ad illam virtutem, sive lineam. Patet exemplis: quia furtum quatuor dragmarum est ejusdē omnino speciei est in linea furti, si sit in moneta argentea, vel cuprea, vel si sit in Regalibus Segovienslibus, vel Peruvianis; & si valor sit in numis,

vel sit in tritico. ¶ Item juramentum falsum est omino ejusdem speciei, si quis apud Iudicem falso juret, se vidisse Petrum in platea, vel falso juret si vidisse bobem in ponte. Etenim pro falsitate juramenti, nisi adsit alia circumstantia contra aliam virtutem, non attenditur, nisi quod Deum fecerit testem falsum, sive materia sit de homine, sive de bobe. Insuper nullus Logicus inveniet quo ad se, differentiam inter syllogismum in Barbara rectè formatum de omni homine, vel de omni lapide. Si enim in peccatis adductis, specialis illa materia faceret furta specie diversa vel juramenta, teneretur peccator materiam declarare in confessione, quod nullus Theologus dicet.

706 Modo sic: Quod res assentita sit Incarnatio, vel creatio, materialissimè se habet ad Fidem; assensus enim non est de Incarnatione, quia Incarnatio sit, nec assensus est de veritate intrinseca ipsius qua tali; sed solum assentimur præcisè, *quia Deus dixit*; & eodem modo, & propter idē omninò motivum credimus quodcumque dicat, sive dicat hoc, sive dicat aliud: ergo ex parte rei creditæ vt objecti materialis, quævis diversitas est impertinens pro Fide. ¶ Item & ex parte objecti formalis. Etenim qui credit Incarnationem quia Deus revelat illam, formaliter & ex parte motivi non credit illam, quia sit illa, sed quia Deus verax dixit illam. Vndè illa se habet materialiter connotativè, tanquam materia dicta; non autem creditur formaliter, quia id quod dictum est à Deo, sit potius illa, quam alia res: requiritur ergo, quod sit dicta, nam per hoc, & non per aliud, constituitur in ratione objecti materialis credendi, sed non creditur, quia intersit quod dictum à Deo sit potiùs ipsa, quam quodlibet aliud ens; alias illa non crederetur à nobis præcisè propter Dei authoritatem, sed crederetur propter authoritatem vt applicatam ad talem rem, quod est absurdum. Id enim derogat divinæ authoritati; nam etiam homini mendaci fa-

ci-

cilè credimus sic aliquas res, nam non credimus, quia dicit, sed quia dicit talem rem, (quæ per se credibilior sit) præ alia.

707 Dices: Quod credimus Incarnationem, ideò quia Deus dixit illam, nam si dixisset aliam rem, non crederemus Incarnationem loco illius. Respond. vt supra: si ly *quia dixit illam*, reduplicet rationem formalem, nego; si reduplicet objectum materiale, & rem dictam cui applicatur (vt reddatur credibilis) divina authoritas, concedo. Et sic non specificat, nec diversificat intra limites Fidei. Credimus ergo Mysterium dictum præ non dicto, quia quod sit dictum, est requisitum essentiale, & formalitèr totale vt credatur, & sit objectum materiale credendum, & tanquam materiam dictam, sed non credimus adhùc partialitèr propter ipsum Mysterium; quia nec partialèm conducentiam dicit, se tenentem ex parte objecti formalis, sed tanquam quodlibet aliud ens dicibile, taliter quod supposito, quod Incarnatio sit materia dicta, credimus illam precisè quia dicta est, eodem modo credituri quodvis aliud, si dictum à Deo esset quodlibet aliud.

708 Pro cujus majori declaratione, & simul pro dicendis nota 1. valdè: dum aliqua explicantur per causalem *quia*, vel per reduplicationem *vt*, vel *quatenus*; non ideò sonare rationem formalem, sed sæpè vel materialem, vel puram conditionem, quia ly *quia* magnam habet latitudinem. Explico ex *nu. 659. nostræ Summæ Moralis*, exemplo ignis. V. g. hic ignis combusit lignum, quia est ignis: sonat causam formalem; quia accensus à Petro, efficientem: quia accensus ad coquendos cibos, finalem. Comburit lignum quia lignum, materialem: quia approximatus, conditionem puram vel requisitum. Similitèr: Ignis vt ignis comburit: reduplicat supra formalem. Comburit lignum vt lignum: reduplicat supra materialè à differentia lapidis. Comburit vt approximatus; etiam reduplicat supra conditionem. Quia obiit

axio-

axioma:Reduplicatio cadit supra formam: Non enim est verum de forma in rigore, sed de formalitate: vt quando dicimus:*Homo quatenus animal:Homo quatenus corporeus.*Habet enim saporem partis materialis id,supra quod reduplicat.

709 Hinc fit quod cum in Fide totalis ratio,& motivum assentiendi debeat esse, *quia Deus dixit*, si assentior Incarnationem,& non alterum mundum:ideò est,quia Deus Incarnationem dixit,& non dixit alterũ mundum. Ex hoc tamẽ non sequitur,quod illa causalis *ideò* cadens supra Incarnationem præ altero mundo, extrahat Incarnationem ab objecto purè materiali. Non enim propterea egreditur metas materiæ dictæ nec desinit dictum Dei esse tota ratio formalis assentiendi. Non enim assentior Incarnationem;quia Incarnatio sit quæ dicta est à Deo.Eodem enim modo assentirer alterum mundum,si dictus esset à Deo. Sed assentior Incarnationem,quia ipsa est materia dicta à Deo; non autem, quia materia dicta sit ipsa in se, ita vt ly ipsa,quia ipsa in se,ad dat aliquam rationem formalem assentiendi.Ex quibus satis claret assensus Fidei,& revelationes de diversis Mysterijs solum materialitèr esse diversos pro Fide,& pro linea Fidei.Hęc valdè sunt notanda,quia sæpissimè tollent æquivocationes etiam in alijs Quæstionibus,& in sequenti.

## QVÆSTIO XIII.

### *DE INCOMPATIBILITATE FIDEI CVM alijs evidentijs.*

710 NOTA primo:diversas Quæstiones esse.An evidentia Mysterij aliquando visi impediat in subjecto Fidem de eodem Mysterio ( & quam Fidem?)Et an evidentia divinę attestationis de Mysterio impediat Fidem talis Mysterij attestati, & num-

quam

quam visi. Diversa enim est evidentia attestationis ab evidentia de re attestata. Nos enim plures de existentia Romę attestationes vidimus. Romam autem non vidimus. In his prioribus Articulis de secunda Quæstione; in alijs vero de prima agemus.

## ARTICVLVS I. & §. I.

### *AN EVIDENTIA IN ATTESTANTE DIVINO impediat Fidem de re attestata.*

711 NOTA 1. posse ab aliquo nosci evidentèr, & intuitivè Deum sibi loqui, sive locutionem sibi factam esse Dei, etiam si non videat ipsum Deum. Probatur: Tùm quia quando duo amici sunt in tenebris; vnus etiam si non videat alium, intuitivè audit & noscit vocem, & locutionem esse sui amici. Tùm quia cum locutio Dei sit effectus, & signum ad extra; benè potest intellectui cum tali Majestate proponi (etiam si non videat Deum) vt evidentèr noscat esse Dei. Sic in initio creationis Angelus Supremus, Deum quem non videbat, (erat enim purè Viator) sibi loqui, & suam voluntatem, & pręcepta immediatè per se ipsum proponere, evidentèr audiebat.

712 Nota 2. Quæstionem non procedere quando quis audit Deum attestantem aliquam rem, sed ita obscurè vt audiens non percipiat nec intelligat, in quo sensu Deus loquatur; quia tunc nihil mirum, quod sensus à Deo intensus non sit ei evidens; quia de tali sensu non habet evidentiam in attestante. Vndè solum poterit esse ei evidens, quod res dicta à Deo sit vera in sensu à Deo intento, non autem erit evidens quod sit vera in sensu, de quo dubitat. Vndè nego justos dubitantes de re attestata, dubitasse de sensu: quia non peccassent dubitando, si eis sensus formalitèr & expressè non erat attestatus.

In

713 In hac Quæstione duplex est sententia 1. Affirmans adhùc compari Fidem obscuram, & strictam de Mysterio cum evidentia divinæ attestationis. Est communior inter Thomistas. Probatur 1. Quia de Veritate à Deo sibi attestata, aliqui justi dubitaverunt, non obstante quod erat illis evidens attestatio divina per Angelum, v.g. Zacharias Angelo non credens, & Sara rideus: ergo quia Mysterium adhùc erat obscurum, & inevidens; licèt attestatio divina esset illis evidens. Si dicas, non cognovisse evidenter locutionem esse Dei. Aliàs enim cum scirent Deum, non posse mentiri, nec ipsi possent dubitare. Contra: Quia dubitando peccaverunt contra Deum, & ideò reprehensi sunt: ergo quia constabat illis, quod locutio esset Dei.

714 Probatur 2. Quia de Abraham dixit Divus Paulus: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam (id est ad meritum, & sanctitatem.)* Item Elisabeth loquendo de Fide B. Virginis præmissa Gabrieli, (quem evidenter novit esse Nuntium Dei) dixit illi: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, &c. Lucæ 1.* Ex quibus arguitur sic. Beata Virgo, Patriarchæ, & Prophetæ, Deo loquenti ipsis, per se, vel per Angelum, evidenter cognito, meritoriè crediderunt: ergo quia liberè poterant post evidentiam attestationis, non credere Mysterio attestato. Atqui si Mysterium non maneret obscurum & inevidens post attestationem sed evidens, manssissent de eo ab evidentia convicti, & non possent non credere: ergo si liberè crediderunt; ideò est, quia adhùc erat illis inevidens & obscurum, ac per consequens assensibile Fide stricta & obscura. Si dicas, meruisse per Fidem in sola præparatione animi. Contra 1. Quia textus adducti manifestè loquuntur de ipso exercitio credendi. Contra 2. Quia justi qui dubitaverunt post evidentiam attestationis, caruerunt pia affectione ad Mysterium, atque animi præpa-

ra-

ratione: si autem Mysterium esset inevidens, non caruissent illa, imò nec potuissent dubitare.

715 Probatur 3. Quia de Mysterio non est evidentia intuitiva in se. Nec item abstractiva stricta. Quia ista debet esse per medium connexum speciale, quod quidem debet esse causa specialis, vel effectus rei, vel proprietas ipsius, (scire enim est cognoscere rem per causam, & quod illius est causa, &c.) vt propterea inferat peculiaqum specialem vim illativam rem quæ demonstratur. Atqui attestatio divina non est medium specialiter connexum, aut importans specialem vim illativam pro Mysterio revelato vt tali: ergo est medium insufficiens pro evidentia abstractiva. Minor patet: quia vis divinæ testificationis est ita generalissima, vt æquè inferat quodcumque ens attestatum, id est æquè canem Tobię attestatum, ac Incarnationem attestatam: ergo ex vi illius, Mysterium vt tale adhùc non manet evidens abstractivè, sed evidens & obscurum, in ratione talis: (licèt in ratione generali testificati maneat evidens) ergo adhùc credi potest Fide divina.

716 Secunda sententia, negat Mysterium manere inevidens & obscurum, sed clarum & evidens abstractivè, & quoad an est; credi tamen assensu claro. Ita communitèr Recentiores, & ex Thomistis Ioannes à Sancto Thoma eam sequitur vt probabilem.

717 Hæc sententia probatur: 1. argumento fortissimo. Veritas Mysterij assentita per medium evidentèr connexum cum illa, est evidentèr assentita. (Sic demonstratio nihil aliud est, quam cognitio ex veris, certis, & evidentibus.) Atqui Incarnatio revelata Abrahamo est veritas ab ipso assentita per medium revelationis evidentèr cognitum, vt à Deo, ac per consequens vt connexum cum veritate Incarnationis: ergo est evidentèr assentita: ergo talis assensus de ipsa nequit esse obscurus, & inevidens.

718 Confirmatur: Quod evidentèr est dictum à

Deo,

Deo, eo ipso est evidentèr verum. Atqui Incarnatio evidentèr est Angelo dicta à Deo: ergo evidentèr vera. Majorē probat specialis, & essentialis connexio dicti Dei cum re dicta vt tali: Etenim sicut Deus visus est specificativum visionis, ita Incarnatio revelationis. Atqui specificatum evidenter cognitum, evidenter infert specificativum; ergo & revelatio Incarnationem.

## §. II.
## NOSTRA SENTENTIA.

719 Assero 1. Regularitèr compatibilis est evidentia in attestante cum Fide de Mysterio obscura & stricta, & ita existimo contigisse in Beata Virgine, in Abraham, & in alijs quorum Fidem celebrat Sacra Scriptura. Probo. 1. authoritatibus adductis à prima sententia. 2. Probo ratione. Iste assensus Abrahę: *Assentior Incarnationi, quia Deus mihi dixit*: est assensus de Mysterio Incarnationis ab Abrahamo, non viso nec evidenter cognito. Et est assensus de ipso, *quia Deus illi dixit*: ergo est Fides obscura. Antecedens probatur: Quia tunc Abraham credidit Deo propter dictum ipsius, *per modum dicti*, & non per modum connexi cum Incarnatione: quia non expressit talem connexionem vt talem ille assensus, nec est necesse vt expressit. Sicut cum nos sæpè assentimur existentiæ Romæ, non visæ à nobis propter dictum vnius, & alterius hominis; (quod quidem dictum, & attestationem intuitivè audimus, & evidenter percipimus ab illis:) quin regulariter faciamus reflexionem, aut ponderationem, de eo quod impossibile sit, quod tot homines mentiantur. Quia ergo assentimur eorum dicto per modum dicti, quasi piè affecti, absque tali ponderatione convincenti, ideò exercemus Fidem humanam.

720 Similitèr (& est valdè notandum) Abraham poterat supposita evidentia in attestante, elicere istos

duos

duos assensus: vnum simplicem, & vulgo *à bulto*, nempè: *Assentior Incarnationem, quia audio eam à Deo mihi dici.* Alium alterum formaliter, vel æquivalenter, & cum ponderatione dicti vt infallibilis adhùc divinitus, & vt connexi cum veritate Incarnationis, nempè: *Assentior Incarnationi, quia video eam dici à Deo summè veraci, & evidenter scio, quod quidquid Deus dicit verum est.* Primus assenitur dicto per modum dicti, & ideò eget pia affectione, & ille est Fides obscura, & meritoria. De secundo assensu agemus Articulo 3.

721 Ex his respondetur ad argumentum secundæ sententiæ. Distinguēdo majorem: Veritas assentita per medium evidenter connexum cum ea, est evidenter assentita, si assentiatur in vi & ponderationes connexionis, concedo majorem: si non in ea vi, sed in vi dicti per modum dicti, nego majorem, & in hoc sensu nego minorem, & consequentiam: Quia Abraham assentitus est Mysterio in vi sola dicti Dei per modum dicti, & non per modum connexi.

722 Ad confirmationem respondetur illam propositionem majorem: *Quod evidenter est dictum à Deo, eo ipso est evidenter verum*: vel posse summi respectu ponderantis, quod quidquid Deus dicit verum est; vel posse summi, respectu non ponderantis, sive non actualiter exprimentis. Alijs verbis: in dicto Dei, & datur concipi, vt dictum Dei per modum dicti, prescindēdo ex parte modi ab imbibitis essentialiter in ipso dicto Dei, nēpè ab infallibilitate & connexione: & non prescindendo. Quod possit fieri ab intellectu, hæc partitio in ipso dicto Dei. Patet: Tùm exemplo justorum percipientium dictum, & non penetrantium infallibilitatem, siquidem dubitarunt. Tùm exemplo illorum Theologorum, qui existimarunt posse divinitus dictum Dei non esse infallibile, & posse divinitus mentiri, vel saltim decipere.

Ex

723 Ex quibus patet, quod major licèt sit vera ex parte objecti, & ex parte modi respectu penetrantium,& ponderantium, negari potest vt falsa respectu præscindentium. Ad probationem majoris respõdetur: quod specialis,& essentialis connexio dicti Dei cum re dicta,convincit veritatem. Non tamen semper,sed quando cognoscitur,& põderatur. Ad illud de Deo viso specificante visionẽ,& illato ex illa,& similitèr de Mysterio specificante revelationem,quod quidem debeat inferri ex illa. Respõdetur memorando in actu duplicem connexionem cum objecto ex *num.678.* & similitèr in dicto sive revelatione. Vna est intentionalis,quam specificat objectum intentionalitèr sumptum. Alia entitativa,quam specificat objectum exercitè sumptum. Quia ergo in revelatione sive dicto evidentèr viso, potest concipi intentionalis sine entitativa,si concipiatur per modum dicti, ( quod non habet locum in visione Dei intuitivè visa) ex revelatione specificata concepta solum vt intentionalitèr connexa,solum intentionalitèr, & in esse dicti inferri poterit Mysterium;non autem in ratione exercitè & in re,& entitativè veri, Alia argumenta solventur Articulo sequenti.

## ARTICVLVS II.& §.I.

### *SOLVVNTVR ALIA ARGVMENTA.*

724 PRo secunda sententia arguitur secundo. Angelus superior quando erat in via, exercuit Fidem: Atqui non poterat præscindere à connexione dicti Dei,sibi intuitivè auditivè evidentis cum veritate rei revelatæ: Nec item ab illo principio sibi naturalitèr evidenti, de eo quod sit necessariò verum, quidquid Deus testificatur: ergo etiam per istum assensum omnino clarum exercetur Fides. Confirmatur: quia

evi-

evidentissimũ est Angelo evidentia naturali, esse infallificabile quidquid Deus revelat, & evidens evidentia superna Deum revelare sibi Incarnationem sumptam vt talem; quia evidenter videbat se illuminari ab aliquo superiori, & sciebat nullum esse sibi superiorem, nisi solum Deum: & insuper, quia vt docet Sancta Mater Theresia, quando Deus clarè loquitur intellectui, iste nequit dubitare, quod loquens ipsi sit Deus.

725 Ex quibus, Authores secundæ sententiæ docebunt, Angelos in via, ad operationes meritorias non fuisse directos per Fidem strictam, nempè obscuram, sed per latam & evidentem, ad quam movebantur, *quia Deus dixit*. Nec hoc debet esse mirum, cum Christus vt Viator fuerit etiam directus à scientia infusa. Vndè sicut Thomistæ, Fidei meritum in Christo & etiam in Philosopho naturali respectu existentiæ Dei, ponunt in sola animi præparatione; similitèr in Angelis potest poni circa Mysteria evidenter in attestante cognita.

726 Huic argumento varię adhibentur solutiones. Ego Resp. 1. Angelum exercuisse Fidem de Mysterijs attestatis strictam & obscuram. Eam tamen exercuit, quia à connexione dicti Dei ponderanda abstinuit, & sic assentitus est dicto per modum dicti. Quæ abstinentia à ponderatione ex multis capitibus provenire potuit. Primo ab inconsideratione. Si enim attestante Venerabili Maria de Agreda, *Tomo 1. Mystica Civitatis Dei* in initio, peccatum Luciferi præcesit (post propositam ei à Deo suam voluntatem,) quædam quasi inconsideratio in ordine ad Deum; quia potius se tradidit consideratione pulchritudinis suæ, non poterit videri mira, inconsideratio sive imponderatio connexionis dicti Dei cum Mysterio. Præcipuè, quia talis connexio cum sit lumine naturæ nota, percipienda erat per actum evidentem naturalem. Qui autem evidenter intuitivè audit Deum loquentem, contingere potest vt

ita rapiatur extaticè ab illa evidentia & Majestate Divinæ attestationis, vt non relinquat locum alijs evidentijs, aut exercitijs naturalibus.

727 Si dicas: quod talis inconsideratio non debet admiti. Tùm quia est sine fundamento. Tùm quia intellectus assentitur Deo attestanti tanquam expressè summè veraci: Ergo tanquam impotenti fallere, aut falli, &c. Respond. negando assumptum. Ad 1. probationem, jam est datum fundamentum satis vrgens. Ad 2. respond. distinguendo antecedens, tanquam expressè summè veraci, concepto sic cum penetratione quidditativa, nego; cum expressione superficiali, concedo. Nego autem propterea penetrandam impotentiam fallendi se, vel alios. Sed sufficit concipere hęc quasi *à vulto*, superficiali expressione. Sicut Deus offenditur, per peccatũ mortale quãtũ offendibilis est, ita vt omnia ipsius attributa offendantur: sufficit tamẽ ad id omnia cõcipi in Deo summo bono offenso, nõ quidẽ minutim, vt Omnipotens, vt Omni sciens, (quia non concipitur quidditativè) sed superficiali expressione vt summum bonum. Similitèr ab Angelo concipiebatur vt summe verax, & summe Authoritatis; & licèt ista imbibat essentialem connexionem cum vero, sed non minutim penetratam & expressatam.

728 Resp secundo: potuit species evidens connexionis dicti Dei cum Mysterio impediri à Deo, sicut diximus de impeditione specierum evidentium in B. Virgine pro merito, vsu & exercitio Fidei, *num.689.* Quæ quidem impeditio in Angelo, fortè erat necessaria pro statu Viatoris communi. Et sic non erat miraculosa sed debita, vel saltùm proportionata statui Viatoris, & valdè juxta illum; quia in illo statu, non tàm est attendendum jus naturæ, quàm jus Elevationis. Et licèt talis impeditio esset miraculosa, adhùc non propterea renuenda ex causa, sicut nec renuunt Theologi in Dæmone miraculosam impeditionem

omnis

omnis notitiæ certæ de adventu Messiæ, vsque ad tempus Mortis Christi. Et ita Ecclesia cum Divo Ignatio docet, Christum natum de B. MARIA Virgine desponsata, vt Partus ejus celaretur Diabolo. Item ob eandem rationem impeditus fuit à Deo audire vocem illam Patris in Iordane, & Tabor: *Hic est Filius meus dilectus.*

729 Tertio alij respondebunt, concedendo totum argumentum & doctrinam respectu Angeli, negando autem respectu hominum, quibus facta sit à Deo immediatè revelatio. Disparitas est: quia Angelus ob sui intellectus magnam perspicaciam, non poterat prescindere connexionem à dicto Dei cognito vt tali, nec videre dictum præcisè per modum dicti, sicut potest homo. Ad permittendum autem defectum Fidei strictè in Angelo & non in homine, visa attestatione, summi potest fundamentum ex Sacra Scriptura celebrante talem Fidem & meritum ejus in prædictis Iustis. De Fide autem Angelorum, non se mihi offerunt similia in Scriptura testimonia.

## §. II.
## CELEBRIOR ALIA RESPONSIO.

730 ALia celebrior responsio potest adhiberi ex doctrina Thomistarum adducta à P. Goner, *disputat.1.de Objecto Fidei, artic.7.§.Quapropter:* cujus verba & probationem (ne aliquid de formalitate immutetur) transcribo: Qui cognoscit evidenter veritates nostræ Fidei, non quoad rationes ipsis proprias, sed tantum quoad rationem illis omnibus communem, potest eas credere quantum ad prædicata ipsis specialia: Sed qui evidenter cognoscit extra visionem Beatificam, Deum revelare Veritates nostræ Fidei, loquendo de ipsis in sensu proprio & non mentiendo; evidentiam habet de illis, solum quoad rationem eis communem;

ergo potest adhùc eas credere, quoad prædicata cuilibet specialia. Minor est certa: qui enim evidentèr extra visionem Beatificam cognoscit, Deum Veritates Fidei nostræ in sensu proprio, & non mentiẽdo revelare; evidentiam habet de illis dumtaxat quoad ipsarum revelationem, quæ vt constat, est quid eis commune.

731 Major verò probatur: ideò solùm qui evidentèr cognoscit nostra Mysteria esse credibilia, potest tamen etiam juxta doctrinam Adversariorum, ea quantum ad prædicata specialia credere; quia evidentia credibilitatis est evidentia rationis non specialis, sed communis omnibus Mysterijs: Ergo similitèr, qui cognoscit evidentèr Veritates nostræ Fidei, non quoad rationes ipsis proprias, sed tantum quoad rationem illis omnibus communem, potest eas, quantum ad prædicata ipsis specialia credere. Sicut in humanis licèt aliquis evidentem habeat cognitionem de aliqua re, secundum rationem communem & genericam, puta quoad rationem corporis, vel animalis: potest tamen adhùc habere Fidem humanam circa prædicata ipsis specialia, & credere alteri homini dicenti, quod res illa sit Leo, vel Homo, vel Petrus, aut Ioannes. Hucusque ille.

732 In hoc argumento probativo, miror quod dicat iste Author, Veritates nostræ Fidei non cognosci quoad rationes proprias & speciales, ex eo quod cognoscãtur ex vi medij communis, v.g. divinæ attestationis. Et quod ponat exemplum in credibilitate Mysteriorum comparata cum Fide Veritatis eorum; & in humanis, in ratione corporis vel animalis. Hæc enim doctrina confundit rationem communem medij cognoscendi, cum ratione cognita. Incarnatio enim assentita ex attestatione Dei, non est Veritas communis, (sicut credibilitas Mysteriorum, aut animalitas, vel corporeitas) sed specialissima; licèt sit assentita ob rationem formalem communem & vim illativam communem,

Adde

Adde, quod non est assentita præcisè ob vim communem attestationis divinæ, sed ob ipsam vt particularizatam & applicatam, & attestantē Incarnationem specialitèr pro alio mundo, vt statim dicemus.

733 Si dicas: Probationem non negare cognitionem de Veritate particulari, sed negare evidentiam de Veritate particulari, eo quod medium sit commune. Sed contra: quia ego dico, quod Author evidentiam talis veritatis negat (licèt non cognitionem) sed non probat: imò supponit quod debebat probare.

734 Hinc ex præjacto fundamento idem Author respondet ad argumentum Adversariorum, quod tale est: evidenter noscens aliquam Veritatem, non potest eam simul obscurè credere; sed qui evidenter noscit Deum esse summè veracem, & revelare Incarnationem evidenter noscit istam, (non enim est obscurum, sed evidens, id cujus revelatio divina est evidens). Respondet inquam, distinguendo majorem, (verba sunt ipsius): qui evidentèr cognoscit aliquam veritatem, tam in medio ipsi intrinseco & proprio, quam in communi & extrinseco, non potest simul eam credere, concedo.

735 Qui evidentèr cognoscit veritatem aliquam præcisè in medio ei extrinseco & communi subdistinguo: non potest eam credere quoad rationem communem, sive quoad connexionem quam habet cum tali medio, concedo majorem: quoad rationem specialem, sive quoad connexionem, quam habet cum alio medio sibi intrinseco, & proprio in quo non videtur; nego majorem. Similitèr distinguo minorem: qui evidentèr cognoscit Deum esse summè veracem, eumque veritatem aliquam revelare, evidentèr eam cognoscit in medio intrinseco & proprio tali veritati, nego minorem: in medio illi extrinseco, & communi, concedo minorem; & eodem modo distinguo consequens; ergo non potest veritatem illam credere quoad rationem ei com-

munem, sive quoad connexionem quam habet cum medio extrinseco in quo cognoscitur, concedo: quoad rationem specialem, sive quantum ad connexionem quam habet, cum medio intrinseco in quo non cognoscitur, nego.

736 Explicatur distinctio: Duplex est medium connexionem habens cum veritate nostræ Fidei. V. g. cum Humanitate Christi: vnum ei extrinsecum & commune cum alijs Veritatibus ad Fidem pertinentibus, nempè divina revelatio, & aliud ei intrinsecum, & proprium nimirum rationalitas, vel risibilitas Christi: licèt autem qui evidenter cognoscit, Deum esse summè veracem, cumque revelare, quod Christus sit homo, & in quo sensu veritatem illam reveler, evidenter eo ipso cognoscat talem veritatem in medio ipsi extrinseco & communi, nempè in testimonio, quod Deus dat de illa, subindèque non possit veritatem illã credere, consideratam secundum quod continetur in divina revelatione; non tamen propterea eandem Veritatem sive Humanitatem Christi cognoscit evidenter in medio ipsi intrinseco & proprio, nempè in rationalitate, vel risibilitate; atque ideò potest eam credere, vt contentam in illo. Hucusque prædictus Doctor,

737 Ex eadem doctrina docet conclusionem hujus syllogismi: quidquid Deus revelat, verum & infallibile est. Atqui Deus revelat Incarnationem. Ergo vera & infallibilis est: esse quidem evidentem secundum rationem communem, & rationem medij communis, & extrinseci; secùs secundum rationem particularẽ, & ex motivo particulari, atque intrinseco. ¶ Sed quam difficilis sit hæc solutio, & quantum deviet à scopo veritatis dicere quod Incarnatio ipsa ipsa, vt expressè Incarnatio est, sit evidens via & motivo evidenti divinæ testificationis; & tamen absolutè non sit evidens, sed obscura; eo quod præter vnum motivum evidentiæ de ipsa vt ipsa, non habeat simul aliud motivum evidens, quasi

si

si ad evidentiam absolutam necesse fuerit omnia motiva evidentia debere cõcurrere,& non sufficeret vnum) Articulo sequenti constabit.

## ARTICVLVS III.& §.I.

### *CVM EVIDENTIA DICTI DEI PER MODVM connexi, non est compatibilis Fides obscura.*

738 ASSERO 1.Prædicta doctrina, nec est vtilis pro Fide stricta Angeli superioris,vel illorum cui facta est attestatio divina; nec est vera, dum negat evidentiam specialem Mysterio attestato, loquendo de evidentia quoad an est, nisi quæstio fiat de nomine.

739 Prima pars probatur:Quia illa Fides,& assensus creditivus de Incarnatione vt tali, assentitur per motivum commune attestationis,non potest esse libera, nec ex pia affectione, nec meritoria: ergo pro intento est inutilis.Antecedens probat.1.Quia quotiescumque intellectus ita convincitur de aliqua veritate quoad an est,vt necessitetur asserere de illa quod est,& quod aliter se habere non possit; non libere,sed necessario assentitur. Atqui dum evidentèr videt Deum sibi loqui Incarnationem, & quod impossibile sit quod non sit verum quidquid Deus loquitur, ex principijs his evidentibus sibi, licèt extrinsecis & communibus, ita convincitur ad assensum Incarnationis,vt videat quod illa veritas aliter se habere non possit.Ergo talis assensus nec est liber, nec ex pia affectione, nec meritorius, sed omnino inutilis pro intento.

740 Secundo probatur:vel Angelus positis illis evidentijs de attestatione & connexione, habet in sua manu discredere Incarnationem,vel non? Si non. Ergo ita manet convictus vt impossibile sit negare illam,&

habemus in centum. Si potest: ergo Angelus in hoc syllogismo, (formali vel virtuali) ex præmissis evidentibus: *Quidquid Deus dicit, necessario est verum. Atqui dicit Incarnationem. Ergo non potest non esse vera*, potest dissentiri conclusioni, assentiris evidenter præmissis: quod esset negare totam vim syllogisticam.

741 Si respondeas distinguendo, & dicendo quod Angelus convincitur ita vt non possit negare Incarnationem ex ratione communi, secùs ex particulari. Contra, & relinquamus quisquilias metaphysicas. Respondende mihi: Angelus admissis præmissis potest adhuc absolutè negare Incarnationis Articulum, & dicere: *Dissentior Incarnationi*: vel non potest absolutè? Si absolutè potest, (ex quocumque motivo neget) negat vim syllogisticam, Si absolutè non potest: ergo quia absolutè manet convictus, licèt convictio fuerit attenta solo vno motivo communi & generali.

742 Exercitium enim creditionis non debet esse sic: *Credo Incarnationem dari ob rationem particularem, quia Deus dixit*: Sed absolutè & sine addito sic: *Credo Verbum verè Incarnatum*, sive: *Credo Incarnationem expressè vt talem, & credo illam, quia Deus mihi illam dixit*. Vel ergo Angelus potest dicere absolutè, & sine addito: *Dissentio illam vt expressè talem, non obstante, quod Deus mihi illam dixerit, & nequeat falsum dicere*. Vel non potest? Si non: ergo quia assentiris in vi evidentiæ præmissis, manet etiam de Veritate Incarnationis convictus. Si potest: ergo concessis præmissis, potest consequent. negare.

743 Objicies: Diabolus ex Scriptura fuit mendax à principio, & in Veritate non stetit. Id est non assensit cum firmitate: ergo non fuit convictus. Respond. 1. Dici non stetisse in Veritate, quia admisit errores practicos, & in opere; non autem quia dissentitus fuerit

rit attestatis à Deo ipsi.Resp.2.Attendisse solum ad dictum Dei per modum dicti, & non per modum connexi.*Vt diximus supra à num.*719.

744 Assero 2. Talis assensus necessario est videns quoad an est.Pro 1.probatione nota:Quod ea quę sunt evidentia solum secundum rationem communem, (quia motivum repræsentatum in vna propositione est commune)si advenit alia propositio specialis particularizans illam rationem communem ad rem specialem, necessario sit vera talis res particularis. Pono exemplum.Si in mundo non daretur animal nisi homo, sensatio evidentèr visa, quæ solum probat animal secundum rationem communem, si conjugatur cum alia notitia evidenti,licèt extranea, de eo quod non datur in mundo animal nisi homo,hic syllogismus esset videns: *Quod sentit, necessario est animal. Atqui non datur in mundo aliud animal nisi homo. Ergo illud sentiens est homo.*

745 Similitèr,si in spatijs imaginarijs ponatur Petrus:ibi video dari quoddam ens. Atqui non datur aliud nisi Petrus.Ergo ex conceptu entis per carẽtiam aliorum particularizato, evidentèr inferatur Petrus. Ecce ex ratione cõmuni adjuta per aliã particularizantẽ,licèt extranea vt evidẽtèr infertur res particularis. Sicut homo expressè vt homo infertur evidentèr ex intellectione per conversionem ad phantasmata tanquam ex medio speciali suo; quia licèt intellectio sit medium commune pro omni intellectivo, à tali conversione,(aliàs materialitèr se habente) particularizatur ad vim specialem illativam hominis vt talis. Ergo licèt medium revelationis sit commune pro quacumque re revelabili,si addatur particulare per quod revelatio sit de Incarnatione vt tali, (nempè dictum divinum speciale de illa,) ex tali complexo vt tali, infertur particularitèr,& evidentèr Incarnatio.

746 Confirmatur, & suppono aliud esse quod

res

res illata ut particularis,& expressata vt talis(licèt medium quoad vim formalem sit commune)& aliud quod res expressata vt talis,sit formalitas communis. Quando Incarnatio vt talis expressè deducitur ex divina attestatione,non infertur formalitas communis,sed particularis vt talis,licèt inferatur ex ratione formali communi.Vndè licèt vis formalis illativa vt sic,esset solum illativa formalitatis communis, adhùc infert particularem vt talem, si addatur illi aliquid modificans, & determinans talem vim communem, etiam si id quod additur,se haberet aliàs materialitèr, & vt quodlibet ens.

747 Sic ex productione gratiæ regenerativę per Sacramentum,solum poterat inferri formalitèr ex tali vi instrumentum Sacramentale gratiæ regenerativæ; non autem inferri poterat quod esset aqua,cum hæc se habeat materialitèr, & vt quodlibet ens. Attamen si addatur, quod Baptismus de facto, non est institutus in alio ente, sed in aqua; ex tali productione gratiæ per Sacramentum,& ex tali non institutione in alio ente,evidenter infertur,quod productio sit ab aqua.Ergo similitèr si illi medio generali: *Quidquid Deus dicat verum est(quodcumque sit)* addatur tanquam modificans,quod dixerit peculiarìtèr Incarnationē;evidentèr infertur,quod vera & innegabilis sit Incarnatio.

748 Insuper 2.fulcitur assertio:Tùm quia non est facile reperire ,cujus Virtutis mentis sit iste assensus, nisi sit evidens & scientificus, quia non est Fidei cum non sit liber.Non Theologiæ,cū non fundetur in principio obscuro,sed in evidētibus:ergo est scētię ex motivo dicti Dei illatæ.Quin obsit,quod medium sit extrinsecū.Tùm quia creaturę,etiam sunt Deo mediū extrinsecum vt dicunt vim illativam. Quia licèt sint intrinsecum secundum esse virtuale,aut eminentiale,(& est responsio adversariorum,) sed vis non inest ipsis, nisi vt formaliter sunt extra Deum actu, & extrinsecæ illa

Tùm

Tùm quia medium intrinsecum solum requiritur pro evidētia de re quoad quid sit, sive quā essentiā habeat V.g.calor ad cognoscendum ignem secundum vim propriam ignitivā penetrantem, nō verò ad, an sit. Tùm quia ex visione Dei visa, evidenter inferretur Deus, & tamē est extrinseca ei. Tùm denique, quia cognoscere rē per causam, &c. non est de causa vt sic, sed de causa Veritatis, sive assensibilitatis, pro qua tam extrinseca quam intrinseca sufficit.

749 Objicies, ex D.Thom. *hic quæst 5.artic.2.in corpore*, dicente: *Si aliquis Propheta prænunciaret in Sermone Domini aliquid futurum & adhiberet signum, mortuum suscitando; ex hoc signo convineretur intellectus videntis, vt cognosceret manifestè, hoc dici à Deo, qui non mentitur: licèt illud futurum quod prædicitur, in se evidens non esset, vndè per hoc ratio Fidei non tolleretur.* Ergo Fides comparibilis est cum manifesto dicto Dei, id est cum evidentia in attestante. Resp. cum Ioanne à Sācto Thoma, negando suppositum consequentis, nempè quod ibi sermo sit de evidentia in attestante, sed solum est sermo de evidentia morali, de eo quod tale Mysterium sit dictum à Deo, fundata in evidentia credibilitatis. Quod probo ego, ponderendo verba D.Thomæ. Ex signo enim suscitationis mortui convincitur intellectus vt cognoscit manifestè Mysterium dici à Deo. Ergo ly *dici à Deo*, sive *attestatio*, non videtur in se ipso, sed discurritur ex tali signo, faciente metaphysicè evidens quod tale Mysterium dictum esse à Deo sit credibile, & faciente moralitèr evidens, quod exercitè sit dictum à Deo, juxta dicta supra à *num.462.*

## §. II.

## *SOLVTIO ARGVMENTI NVMERI 730.VBI AN sit possibilis Fides de objecto secundario, viso jam primario.*

750 Restat respondere in forma ad rationem Ad-

ver-

veritarorum adductam *num.* 730. Concedēdo majorem; nempè: quod quando veritas Fidei solum concipitur evidenter secundum rationem communem, adhùc possit credi secundum particularem. V g. si Vivens videtur solum vt animal, potest credi vt rationale, quia animalitas est formalitas independens ex proprijs meritis à rationali, sicut & credibilitas à veritate. Nego tamen minorem, nempè, quod assensus Incarnationis ex motivo divinæ attestationis sit assensus veritatis aut formalitatis communis. Non enim est nisi assensus expressivus, & assensitivus veritatis particularis vt talis, & vt diversæ à qualibet alia, licèt assentitæ ex titulo & vi, & motivo formalissimo communi (licèt particularizato) divinæ attestationis. Et sic neganda etiam est consequentia. Non enim confundenda est veritas assentita cum titulo formalissimo assentiendi, vt facit argumentum.

751 Ex quibus patet. 1. malè applicari exempla credibilitatis, corporeitatis, & animalitatis ad intentum præsens. Patet etiam 2. non benè solvi *num.* 734. argumenta nostra per applicationem prædictæ doctrinæ. Patet etiam 3. quod quando res probari potest duplici medio evidentèr cognito; vno extrinseco, alio intrinseco: per quodcumque istorum res convincenter & innegabiliter inferatur; evidenter saltem, quoad an est, infertur. Licèt enim connexio medij intrinseci evidentis, convincat de re illata aliquid specialius & magis intraneum de natura rei illatę, vt ex calore vis ignitiva, ex medio autem extrinseco particularizato evidenti res illata, superficialiter solum, expressè tamen inferatur, sicut ex externa figura homo; evidentia stricta quoad an est, adhùc sufficientèr salvatur. Plura enim sunt nobis evidentia solum superficialiter, vt homo per externam figuram, & color viridis, & similia, quorum sicut & aliarum qualitatū, notitiam quidditativam nemo nostrum habet, sed solum evidentiam superficialem.

§.

752 Sequitur 4. Quod in his in quibus Dæmones habuerunt in via evidentiam in attestante cum in consideratione, & crediderunt dicto Dei per modum dicti, habuerunt piam affectionem. Si in alijs non crediderunt, potuerunt illam habere. Si autem consideraverunt dictum Dei per modum connexi, non potuerunt non assentiri Fide lata; quin pia affectio requireretur.

753 In his autem, quę post casum credunt sine evidentia in attestante, & cum sola attestatione obscura Sacrę Scripturę, & miraculorum in ipsius confirmationem factorum, solum credunt Fide naturali stricta convicti, & coacti ab evidentia solum morali signorum, quatenùs incredibile omnino est, quod Deus tot permisisset signa fieri in horum confirmationem, (si vera non essent, & verè attestata à Deo): sicut diximus de evidentia morali existentiæ Romæ, supra à *num.* 522.

754 In fine quæres: an in eo qui vidit objectum primarium specificativum Fidei, sit possibilis creditio de objecto secundario? Id est: Beati vident primam veritatem & divinam authoritatem, quæ est objectum primariũ Fidei. Quæritur: an repugnet per locũ intrinsecum, quod si cõstet illis Ecclesię revelatio obscura de alio Mysterio non viso, v.g. de Baptismo, possint illum credere Fide divina obscura? Cõmuniter negant Thomist. Affirmant Recentiores. Primo: quia adhùc esset talis assensus de re non visa, sed assentita propter dictum Dei. Vndè non sequeretur Mysterium esse clarum & obscurum respectu ejusdem subjecti. Secundo: quia etiam si divina authoritas esset visa, adhùc totum objectum materiale & formale illius creditionis, prove pertinentia ad illam, maneret obscurum. De objecto materiali scilicèt Baptismo, per se patet. De formali prob. Quia divina authoritas solum est formale prove dicens, sive vt modificatur attestatione quæ est obscura, quo pacto non est visa.

Ter-

755 Tertio probatur: quia Divus Thomas *hic quæst. 173. artic. 3.* docet, quod Divus Paulus post raptum conservavit Fidem: Ergo saltim debuit esse pro alijs Mysterijs non visis, quæ sunt objectum secundarium Fidei; cum apud vos non potuerit pro primario. ¶ Huic argumento fortè respondebunt Thomistæ in Paulo mansisse Fidem de objectis secundarijs; quia etiam mansit de primario, quia species impressa de visis in Deo ab ipso, à qua excitaretur evidentia, non remansit; quædam autem Luminis Gloriæ refulgentia, & species visionis creatæ præteritæ remansit; quæ tamen Deum in se non repræsentabat clarè, cum non formasset verbum mentis creatum (sed ipsa divina essentia, quæ jam cessavit esse varia, verbum mentis fuisset.) Sed hæc solutio, nescio an satis solvat difficultatem Fidei in Divo Paulo, qui cum testetur & recordetur se vidisse Arcana verba, videtur conservare memoriam evidentem Arcanorum visorum, saltim quoad an est. Si autem ideò instructus fuit in illis à Deo, teste Divo Thoma, quia futurus erat eorum Doctor in tota Ecclesia, non videbatur conveniens memoriæ eorum amissio; & ideò quantum ad hoc tenenda est doctrina à nobis data, *num. 689.* de inexcitatione specierum in occasione in qua exercituruś erat creditiones.

756 Ideò aliter Cajetanus (citatus à Ioanne à Sancto Thoma *hic disputat. 2. artic. 1. numer. 23.*) in Commentario Divi Thomę admittit Fidem circa alia Mysteria non visa. ¶ Ioannes autem à Sancto Thoma *num. 24.* docet, doctrinam illam de objecto primario impedienre Fidem de secundarijs, solum esse intelligendam, quando objectum primarium videtur formalitèr, & non quando solum materialitèr: id est quando videtur, & penetratur quatenùs continens objecta secundaria. Quod quidem est dicere, quod cum evidentia secundariorum in medio continente illa, non compatitur simul Fides obscura de secundarijs.

Idem

757 Idem docet de Spe gloriæ corporis in possidente per visionem Beatam Deum objectum primariũ Spei: si tamẽ non possidear, nec fruatur illo vt continẽte causã infallibilẽ gloriæ corporis, secùs si vt talẽ. Sed re vera, si hoc solum velint Thomistę, Recentiores non erunt ipsis contrarij, nec nos; qui hic solum intendimus, quod cum evidentia & possessione objecti primarij secundum se, compatibilis sit Fides aut Spes de secundarijs, nitentes motivo formali talium Virtutum. Non autem, quando evidentia aut possessio est de objecto primario vt jam continente secundarium, vel in re vel in causa infallibili & connexa, vt contigit modo in Spe glorię Corporis.

758 Ex quibus sequitur, quod licèt de facto in Beatis non detur habitus Fidei, nec actus obscurus, id non provenit ex aliqua repugnantia cum tali statu per locum intrinsecum, nec ex eo quod repugnet Fides objecti secundarij, cum visione primarij; sed provenit solum, vel ex eo quod futura, quę Beati non noscunt in verbo, noscunt per evidentiam in attestante, valdè diversam à Fide stricta & obscura, vt probatum est, vel ex eo quod Deus propter majorem decentiam talis status, vtpote perfectissimi immittat Beatis extra verbum species impressas illorum futurorum, quæ vult Deus vt ipsi de novo cognoscant.

## ARTICVLVS IV.

### *AN CVM EVIDENTIA REI SIT COMPATIBILIS Fides lata de ipsa.*

759 Difficultas est: an dum adest jam evidentia de aliqua re, possit quis assentiri de novo tali rei Fide saltim lata; nempè quia alius dicit? Sententia negans prob. 1. Quia ad ea quæ quis possidet

non

non datur connatus aut motus; vt patet in lapide existente jam in centro, & in voluntate possidente aliquod bonum. Veritas autem per evidentiam jam possidetur perfectè ab intellectu. Ergo repugnat Fides, cum se habeat sicut motus ad rem, & tanquam assummens attestationem vt medium ad acquirendam veritatem. Negavimus majorem *in Temo de Incarnatione*: quando res potest per multos titulos, aut media haberi, & cum majori perfectione extensiva. Sic qui corpore & vno pede est intra Ecclesiam, alterum movet ad illam. Christus, qui in Cruce erat jam in possessione circunstantiarum Incarnationis, per meritum mortis suę erat in motu ad illas. Angelus posidens Deum cognitione matutina, per vespertinam in creaturis iterum hoc novo medio & titulo, asseverabat veritatem existentię Dei. Idem constat in voluntate, quę licèt per vnam virtutem possideat, & afficiatur circa objectum, alio motivo, (& sæpè inferiori, sicut inferior est Fides evidentia) tendit ad illud novo titulo.

760 Nec obest 1. Quod voluntas in novo illo titulo acquirit novum bonum, quia meliùs est habere duplici titulo. Intellectus autem per nova motiva, non acquirit novum verum: ergo est disparitas. Nego enim antec. quia etiam acquirit nō novum verum, benè verò novam rationem assentiendi. Sicut voluntas per novam Virtutem, solum acquirit sibi novum bonum vt novam rationem amandi. Dixi *sibi*: Nam actui acquirit novam rationem boni specificativam ipsius. Sed hanc intellectus etiam acquirit suo actui.

761 Nec obest 2. Differentia objecti formalis intellectus à voluntate. Voluntas enim per novas Virtutes ponit nova motiva, sed non nova media acquirendi, quod jam habebat. Intellectus autem divina Authoritate revelante vteretur in eo tunc, tanquam medio ad assequēdam veritatem Mysterij revelati, jam modo altiori possessam. Atqui hoc repugnat, estque omni-

sinò impertinens; ergo. Confirmatur: quia non alia ratione, etiam si in voluntate detur duplex gaudium de eodem bono possesso, implicat simul dari de eo gaudiũ, & desiderium: ergo neque in intellectu potest dari possessio alicujus veritatis, & simul motus & conatus applicans novum medium, vt assequatur illam.

762 Hæc instantia est Cardinal. de Lugo, & satis ingeniosa pro sententia ista. Sed respondetur: magnam esse diversitatem inter possessionem physicam rei, & physicam acquisitionem ejusdem rei jam possessæ, & modo quo possessa est, comparatas cum possessione & acquisitione intentionalibus per diversos titulos vel motiva, non oppositè, sed disparatè se habentia. Licèt ergo concedamus in illis implicantiam possessionis physicę cum nova acquisitione physica, secùs in istis; quia illę non se habent disparatè sed oppositè, atque implicantiam involventes. Si enim res physicè possessa est, possessio nova repugnat; quia supponeret, & non supponeret illam. At possessiones purè intentionales, cum earum novitas & diversitas non fundetur in novo esse, sed in novo motivo & novo titulo distincto, verificata novitate quantum ad hoc, verificatur nova possessio formalis, & potuit respectu istius verificari antea novus conatus formalis, licèt non objectivus.

763 Dixi 1. quando sunt *purè intentionales*, quia aliquando tendẽtię istę saltim efficaces, involvunt multum de physicis, & hauriunt repugnantiam ipsam objectorum suorum; sicut contingit in assensu & dissensu, amore & odio, gaudio & desiderio efficacibus, propter essentialem præsuppositionem præsentiæ & absentiæ. ¶ Dixi secundo: *Nova possessio & conatus formalis, non verò objectivus*: Quia in objecto cognito & expressato, solum reperitur, quod eadem veritas per vnum actum visa, sit à novo actu per aliud motivum assentita sic: *Assentior hanc veritatem, quia Deus mihi testi-*

*ficatur illam.* Qui quidem actus non dicit: *Acquiro, vel tendo ad acquirendam hanc veritatem*, sed solum dicit: *Verum est hoc propter dictum Dei attestantis.* In quo objecto nihil reperitur de acquisitione, aut de via ad acquisitionem, sed solum reperitur eadē veritas iterum assentita propter novum motivum disparatum, nempè dictum Dei.

764 Hinc ad argumentum respondetur, distinguendo secundam partem majoris. Intellectus vteretur divina Authoritate vt medio, ad assequendam Veritatem jam possessam: vt medio, inquam, assequendi objectivè, nego. Quia nihil apparet de assecutione in objecto: formalitèr, vel distinguo. Assequēdi assecutione formali; absolutè, nego. Assecutione formali cum addito, nempè ex novo motivo, concedo majorem. Quia datur nova assensio propter dictum Dei. Et nego minorem, & consequentiam. Ad confirmationem concesso antecedenti, nego consequent. Quia gaudium & desiderium importārepugnantiam objectivam prēsentię & absentię: assensus ortus Solis propter radios, & assensus ortus Solis propter alterius attestationem, solum important disparitatem motivorum objectivam, non autem objectivam oppositionem. Quam disparitatem de objectivo, & formali nota valdè; quia aliter facilè æquivocaberis.

765 Prędictam doctrinam nostram confirmat exemplū cognitionis de Deo, Maturinę in seipso, & Vsperiniæ ipsius in creaturis. Insuper in Christo visio Beata de Deo in se & scientia infusa de ipso in creaturis, dirigens amorem meritorium. Item scientia infusa & acquisita in Christo; quia ista, post Deum evidenter notum per infusam, iterum eandem veritatem noscebat ex creaturis, assumendo eas vt medium ad assentiēdam illam ex novo motivo. Non dico *ad acquirendam*, sed *ad assentiendam.*

766 Respondet Lugo, negando assummi creaturas vt

vt medium, (licet divina Authoritas ex *nu.*761. assumeretur vt medium) ad veritatem existentiæ Dei; quia licèt Christus per scientiam acquisitam cognosceret vnum in alio, nempè in creaturis Deum, vtpotè effectibus ipsius, sed non vnũ ex alio, nec Deum ex creaturis, ita vt novo actu assentiretur existentiæ Dei, eo quod assenserat creaturis. In præmissis ergo cognoscebat Christus objectum conclusionis, & in medio connexo terminum connexionis. In illis inquam, sed non ex illis.

767 Hoc pacto habens evidẽtiã supervã veritatis Baptismi, & accipiens à Deo revelationẽ de eodẽ Baptismo cum evidẽtia in attestante de eo quod Deus sit, qui cum ipso de Baptismo loquitur, formare posse: hoc judicium videns: *Deus summè verax & necessitatus ad non loquendum nisi verum, loquitur mecum veritatem infallibilem Baptismi.* Non autem posset formare illud aliud judicium: *Assentior veritati Baptismi, quia Deus illam loquitur mihi*: Differunt enim ista judicia, quia secundum assentitur non in dicto, sed ex dicto vt medio. Primum autẽ, in dicto ita vt respectu divinę locutionis infallibilis, sit judicium & assentiatur eam; respectu tamen Baptismi locuti solum sit apprehensio certa & videns, vel ad summum simplex intuitus videns in medio attestationis, non autem judicium vel assensus propter attestationem, nec ex eo vt ex medio. Vndè non debet dari secundum, ex eo quod detur primum; aliàs cum primum detur in Christo, Beatis, imò & in Deo, deberet in eis dari assensus Fidei, quod repugnat.

768 Etiam doctrina ista est satis ingeniosa; sed non satisfacit, quia hoc esset negare Christio (sine necessitate) discursum per scientiam acquisitam, & assensum judicativũ de Deo ex creaturis per eã & per infusam, & Angelis Beatitudinem naturalem, quia quodcumque judicium forment, deberet habere pro motivo veritatẽ creatã de Deo. Quod cum nõ sit in se ipso, esset

ex ea. Sine judicio autē formali de existentia Dei & de summa ejus bonitate, atque perfectione directè assentitis, nec Beatitudo naturalis daretur in Angelis, nec ita intense Amor Dei super omnia excitaretur in Christo per solam connotationē imbibitā in creatura ad Deum. Dixi, sine necessitate, quia argumenta facta ad negandum in Christo tales assensus, non obligant; imò nec Fidem latam Mysterij, propter dictum Dei sumptum per modum connexi, sufficienter impugnant.

## ARTICVLVS V. & §. I.

### PROBATIONES ALIÆ HVIVS SENTENTIÆ.

769 PAter Antonius Perez *Tract. 4. de Virtutibus Theologicis disputat. 3. à cap. 8.* latè, & doctè invehitur contra societatem alicujus Fidei, (quęcumque ista sit) cum evidentia. Admittit enim à *num. 6.* conjunctionem cognitionis inferioris cum superiori: nam Christus habet cognitionē naturalē albedinis, imò & visionem corporalem ejus, cum visione ipsius etiam ut actualis in Deo per visionem Beatam, & etiam per scientiam infusam. Cum enim cognitio major non sit tam perfecta, ut æquivaleat omnino aggregato utriusque, (Solius enim Dei proprium est, se solo æquipolere aggregato omnium, nempè ex Deo, & creaturis:) indè est, quod una possit componi cum alia. ¶ Perfectiùs enim possidetur & tenetur objectum duplici cognitione diversa, (nisi aliud obstet) quam sola una: præcipuè cum minus perfecta possit haberi ob alium particularem finem, de quo Articulo sequenti. Ut ergo posita una cognitione excludatur alia, non est attendenda sola magnitudo unius, aut possessio objecti per illam; sed ultra hoc oppositio specialis inter illas stabilienda est. Hanc doctrinam pro Articulo sequenti

jam

jam paratam habebam, & eam postea gravius sum invenire in tanto Doctore.

770 Probat ergo oppositionem specialem cujuscumque Fidei cum evidentia de eodem objecto, ac per consequens & Fidei, quam nos latam vocamus de assensu etiam evidenti propter dictum Dei. 1. Quia qui convictus & securus est de re per evidentiam, nequit fidere securitatē, aut pro ea niti testimonio & locutione alterius. Probatur. Quia testimonium alterius, quo ad assecurandum assentientem, se habet sicut hypotheca, & pignus ordinatum ad dandam securitatem alteri & depellendam formidinē, de eo quod res sua periclitari possit. Vndè datur in subsidium, supplementum & defectum possessionis & rei. Atqui qui de re habet evidentiam, ita est securus de veritate ejus, & ita in possessione ipsius vt nullū occurrat periculum falsitatis, & sic non habeat locum pignus, & hypotheca data in defectum & subsidium. Ergo cum evidentia, sit omnino ex propria ratione incompatibilis Fides, sive innitentia in testimonio alterius, cujus esse stat in eo, quod ei fidat, & ejus scientiæ & testimonio se committat ad securitatem; diffisus proprię.

771 Majorem probat à *num.* 10. Tùm ex Paulo 2. *ad Corinth.* 1. & 2. vbi Fidem vocat pignus. Quod (*vt supra nu* 68. *diximus*) intelligendum est, sumpto pro habitu, specificativo ejus scilicèt testimonio Dei, cui fidemus: hoc enim est pignus. Tùm ex Patribus: præcipuè Augustino, *lib.* 11. *de Civitate Dei*, *cap.* 3. vbi docet: *Quod quia testimonio nostro res scire non possumus, de his alios testes requirimus, eisque credimus.* Quod est dicere, nos diffisos nostri nostræque scientiæ, alios quærere testes quibus credamus, id est quorum testimonio fidamus & innitamur. Idem probat ex Niseno vocante Fidem, (id est apud Nos, specificativum essentiale Fidei, nempè testimonium Dei:) *Subsentaculum & firmamentum incertitudinis earum*

*veritatem, quæ peranetur.* Quod est dicere: esse sicut pignus & hypothecam, per quam cavetur periculum & incertitudo, & summitur securitas quasi pignoratitia. Si ergo Fides niteas testimonio alterius ex proprio conceptu & essentia, est in supplementum securitatis, quæ non erat, non poterit componi cum præsuppositione talis securitatis, quæ jam erat, essentialiter imbibita in ipsa evidentia.

772 Secundo prob. à *num.* 11. Quia qui testificando, suam interponit authoritatem, id agit, vt intellectum audientis liberum relinquat: Exigat autem jure suo assensum præ dissensu. Vndè Fides vt talis est volentis & consentientis, ac per consequens credens debet esse liber libertate fundamentali ad assentiendum, vel dissentiendum. (Dicit *libertate fundamentali*, occasione Animarum Purgatorij; in quibus perseverat strictè Fides cum impotentia ad dissensum; quæ tamen solum adest propter impotentiam peccandi. Iam autem possent dissentiri, attenta sola vi rationis, & objecti nō convincentis.) Atqui per Nos in Fide lata, fundata in evidentia in attestante; non datur libertas dissentiendi: ergo repugnat talis Fides lata. ¶ Tertio probat, ex eo quod non est dabilis assensus objecti formalis, & primarij Fidei in Attestante, nisi viso ipso Deo. *Vide infrà num* 778.

773 Quarto probat, ex incompatibilitate actus clari & obscuri simul in eodem intellectu. Repugnant enim sicut certitudo & incertitudo, dubietas & indubietas, quę quidem sunt differentiæ actuum ad oppositos status objecti & intellectus relatæ, quantum attinet ad effectum reddendi intellectum secutum, aut timidum de veritate, aut periculo falsitatis. Securitas oritur ex evidentia: timiditas autem & incertitudo ex Fide, aut Opinione. Licèt enim fidelis habeat judicium certum de veritate infallibili credendorum, nihilominus sicut est in manu ejus, Fidei dissentiri, repellendo

do à se tale judicium, potest etiam formidare, quod non potest, si habeat evidentiam. Hæc sunt argumenta præcipua istius Authoris. Omitto alia, quia ex alibi dictis possunt solvi facilè.

## §. II.
## ARGVMENTA HÆC SOLVVNTVR.

774 Nota pro solutione. Quod duplicitèr summitur Fides, Primo, pro fidere assensum suum in testimonio alterius. Secundo, pro assentiri præcisè propter testimonium alterius. Non absque nitentia in illo, benè verò absque fidentia in illo. Primam Fidem vocamus Nos Fidem strictam & obscuram. Verè enim imbibit præter assensum determinatum ex parte intellectus, piã illam affectionem & fiduciam ex parte voluntatis, quæ diffidendo de se & de sua scientia, ponit spem securitatis circa rem dictam, in scientia, veracitate, & authoritate alterius dicentis. Hæc est Fides illa de qua loquitur Sacra Scriptura, cujus objectum formale est sustentaculum rerum speranda rum, ponendo enim testimonio Dei in promissionibus nobis factis, securi vivimus, & operamur propter ultimum finem consequendum, qui aliàs non habebamus per quid assecuraremur.

775 Alia est Fides lata, præcisè consistens in assensu propter dictum & authoritatem alterius. Assentitur enim præcisè, quia alius dicit. De hujus conceptu essentiali, non est prædicta jam explicata fiducia, sed solum est quod Authoritas alterius sit novus titulus se exercendi; non ita vt alliciat, inducat, suadeat & suasivè movear, quia nihil horum habet locum respectu intellectus jam convincti, sed solum sit alia ratio, ob quam assentitur, qui ob aliam antea assenserat. Hic assensus, si sit clarus propter evidentiam in attestante, erit motivum convincens iterum, & convincentèr assecurans,

ac per consequens, nec indigens, nec locum relinquens fidei. ¶ Si autem non sit clarus, sed obscurus, & Fidei propter testimonium humanum, nunc non est sermo de hoc. Dato autem, quod dari posset, esset novus assensus propter novum motivum, & nec illud egeret fiducia, sive pia affectione, si jam intellectus erat convictus: benè verò imperio voluntatis determinante. Vt si voluntas cogeret eum ad assentiendum iterum propter humanam Authoritatem alicujus, v.g. propter testimonium D. Augustini, vel D. Thomæ, quia ipsa vellet obsequi Patribus istis. Quod quidè nunc vt dictum est, nō esset fidere, sed alio motivo novo & disparate se habente, & se alia via exercere.

776 Hæc doctrina confirmatur: quia in assentiri propter motivum alium & infimum, non datur repugnantia, si actus se habeant disparatè, & sine oppositione ex proprio modo tendendi. Quod autem sic cum evidentia, se habeant assensus ob dictum alterius, vel ob motivum opinativum sive non convincēs, probatur. Nam quando quis habet evidēciam de aliquo objecto, adhūc potest inquirere, & studere super alijs rationibus conducentibus ad solam probabilitatem. V. g. An Sancti Patres idem senserint? An in natura detur motiva prudēter suasiva ejusdem veritatis? Vt sic alijs eam persuadeat ex prædictis fundamentis & rationibus: Quibus inventis, iste potest formare judicium evidens, de eo quod Authoritas illorum Patrum sufficiat pro assensu prudenti de tali re. Et similitèr, quod illa motiva naturalia, etiam sufficiant pro eo. Simile judicium evidens habet ipse Deus de assensibus nostris entitativè probabilibus, & entitativè inconnexis. Ex quibus patet, quod Homo habens evidentiam de re, potest alijs persuadere per prædicta motiva, assensum de tali re. Qui quidem assensus posset esse sine aliquo sapore formidinis & dubietatis actualis, sicut sæpè nos, teste experientia, sine illis exercemus assēsus, entitativè quidem

dem falibiles & incertos; tamen cum tali securitate subjectiva, (præcipuè dum non se offerunt rationes in contrarium) vt securè talem rem asseveremus.

777 Ergo dum quis habet evidẽtiam de re poterit etiã voluntas imperare suo intellectui, vt per illa motiva judicata sufficientia pro alijs, se ipsum etiam exerceat eliciendo assensus pro se. Consequentia probatur: quia cum tales assensus non sint eliciendi per modum fidentis, nec piè affecti, sed præcisè per modum se exercentis de novo per talia motiva; quin ibi resultet oppositio securitatis & formidinis, nec certitudinis, & incertitudinis; (Incertitudinem enim imbibitam in actu probabili entitativè, iste reservat sibi, & si intellectus per illum reddatur incertus, id solum sonat, quod licèt sit certus, id non habeat per illum actum: & est solum incertitudo cum addito) nullam cum evidentia important oppositionem: Ergo non est, cur voluntas non possit intellectum cogere ad talem assensum, ob alios fines sibi benè visos. Qui tamen assensus Authoritate nixi, solum latè erunt Fides. Alij autem solum entitativè erunt probabiles, denudati tamen malis saporibus probabilitatis.

778 Ad 1. ergo argumentum respondetur, probare quidem de prima Fide sumpta pro assentiri fidendo. At assensus Fidei latè de Mysterio propter evidentiam in attestãte, etiam assecuratur in testimonio Dei, sed non per modum fidentis, sed per modum se exercentis, alia securitate extensiva. Ex his etiam patet ad secundum: Sola enim Fides fidens, requirit prædictam libertatem ad dissentiendum; secùs Fides lata, & evidenter convicta. Si autem detur assensus propter humanam Authoritatem, egebit Imperio per modum imperantis exercitium, sed non per modum fidentis & piè affecti. Ad tertium, jam supra à *num* 7[illegible]1. negavimus assumptum. *Vide omnino in fine huius. Quæst.*

779 Ad quartum respondimus *in Tractatu de In-*

*Incarnatione*, non repugnare in eodem in electu actũ clarum & obscurum; quia istas differẽtias nõ est necesse vt actus refundant in intellectum. Sed ille absolutè erit clarus, & cum addito non clarus; quatenùs ex vi actus obscuri, non redditur clarus. Obscuritatem autem reservat sibi talis actus. Nec verum est, quod resultent ex evidentia & Fide, securitas & formido, certitudo & incertitudo. Quia vel sermo est de formidine, dubietate, & incertitudine formali. Vel de radicali: Formalis, stante evidentia nequit resultare; quia subjectum stante evidentia non est capax. Radicalis autem imbibita in ipsis actibus contrapositis ad certos & evidentes, non refunditur in intellectum, nec denominat illum; quia eam actus reservant sibi. Solum autem refundunt in intellectum denominationes oppositas, quando eas habent tales actus, vel ex objecto, vel ex essentiali oppositione sua, vt assensus & dissensus; gaudium & desiderium.

780 Replicabis: Status evidentiæ est status securitatis, & talis exemptionis à formidine, vt superat necessitatẽ nõ formidandi. At status Fidei est status subjectionis ad formidinem, & cum libertate formidandi. Atqui hi status omnino repugnant: ergo & claritas & obscuritas, atque evidentia & Fides. Respondetur facilè: Hos status solum se habere per modum actus primi: sive simultatis potentiæ, non autem potentiæ simultatis. Dum enim adest evidentia, datur securitas in potentia & in actu, & necessitas non formidandi; orta tamen ex actu evidentiæ, sicut dum quis efficaciter amat, datur necessitas & impotentia odio habendi: sed est consequens & orta ex ipso actu amoris. Sicut autem tunc potentia odio habendi, licèt sit verè, non est expedita sed ligata, & pro sensu diviso ab amore, & hoc pacto non repugnat. Similiter libertas formidandi, quam importat actus mixus testimonio non convincenti (qualis esset propter testimonium hu-

ma

manum, vel propter motivum opinativum) stante evidentia, esset ligata, & solum esset potentia pro sensu diviso ab evidentia, & sic non repugnant simul.

## ARTICVLVS VI. & §.I.

### OPPOSITA SENTENTIA, ET NOSTRA.

781 PAter Ripalda *disputat.* 12. *de Fide sect.* 4. duo docet. 1. Fidem præcedentem, vel concommittantem posse stare cum evidentia subsequenti. 2. Stante jam evidentia intuitiva & perfecta alicujus rei, regularitèr non posse Fidem advenire, & conjungi cum illa. ¶ Primam partem contra Suarez, Coninch, Petrum Hurtado, & Lugo, quos ibi citat, probat primo: quia si quis alteri existenti in loco clauso, testetur diem jam esse, & ille assentiatur propter dictum attestantis; si postea, aperta fenestra, diem videat; non solum non amittit Fidem, sed confirmat eam per evidentiam: ergo stant simul. Distinguo antecedens: Confirmat veritatem, quæ crediderat, & verum attestasse qui *dixit*, concedo antecedens. Confirmat assensum nixum testimonio alterius, nego antecedens: Cessat enim iste, quia vis suasiva attestationis enervatur, & ebetatur, adveniente vi convincitiva evidentiæ, vt adveniente luce cessat obscuritas.

782 Sic Samaritani, viso Christo antea prædicato à Muliere, dixerunt: *Iam non propter tuam loquellam credimus: ipsi enim vidimus, quod hic est verè Salvator Mundi.* Non ergo visus impedit assensum veritatis dictæ, sed revocat assensus innitentiam in dicto.

783 Probat. 2. Quia Viatori diligenti Deum, vel facienti actũ Misericordiæ ex Fide, potest illi infundi Visio Beata, & isti scientia infusa: ergo tunc manebunt,

simul

simul cum Fide. Concesso antecedenti pro instanti sequenti, nego consequentiam: quia licèt maneant ijdem amores entitativè, jam non manent meritorij; quia Fides sopita est, & expulsa ab evidentia. Concommittantiam autem probat: ex eo quod si non repugnat simultas in conservari, vt probavit primo argumento, nec habebunt incompatibilitatem in introduci. Sed hoc argumentum jam est solutum, negando compatibilitatem vtriusque actus. ¶ Ex quibus patet solutio ad alia quæ adducit, sumpta à merito dilectionis Dei super omnia, ex Fide compatibili cum Visione Beata, & simul à compatibilitate vtriusque motivi, nempè intuibilitatis & attestationis respectu ejusdem actus; neganda etenim est talis simultas.

784 Assero nihilominus. 1. Nec ex objectis, nec ex modo tendendi talium actuum, incompatibilitas ex natura rei nõ apparet. Probatur 1. ex dictis supra n. 769. Probatur 2. Quia nec apparet ex parte Veritatis assentiræ, cum sit eadem: Nec ex parte motivorum, cum omnia inter se se habeant non oppositè, sed disparatè, & ad fovendam atque persuadendam veritatem, omnia conveniant. Nec item ex modo tendendi: quia quæ detur Oppositio in istis, quilibet actus reservat eam sibi, & non refundit eam in intellectum absolutè, sed ad summum cũ addito. Nec tandẽ ex illatis ex ipsis, siquidẽ nec sequitur dari in ipso intellectu positiva obscuritas simul cum claritate; nec ex motivo opinabili, formido existens cum securitate; nec sapor absentiæ objecti, aut vitalitatis simul cum præsentia. Nuda autem tenuitas motivi cum magnitudine alterius motivi, ex parte sua, & quoad se, incompatibilitatem patentem non importat.

785 3. Si nullum est inconveniens, in eo quod canis ægrotanti compatiatur quis, propter divinam bonitatem cujus ipse creatura est: & simul compatiatur ei, quia canis domesticus est; voluntas enim cum sit libera,

affici potest exmotivo parvo, vel magno, imò etiam si in habente visionem Beatam raperetur ex magno, adhùc posset ex honesto parvo affici: Cur & intellectus raptus & convictus ex motivo magno, non poterit à voluntate obligari, vt etiam assentiatur ex parvo si ista vellit; cum non sit imperare oppositæ!

786 4. Quia Thomistæ & alij valdè addicti Principi suæ Scholæ, etiam ea quæ assentiuntur ex divina Fide, iterum assentiuntur ob authoritatem D. Thomæ. Nec dicas: Veritatem non plenè possideri per Fidem supernam, nec intellectus per illam assecutus est plenè finem; & sic admittit assensum aliunde magis confirmativum, ob authoritatem D. Thomæ. Contra: Quia nec per evidentiam assecutus est plenè finem suum. Finis enim intellectus non est sola veritas extrinseca, (licèt in voluntate sit finis, bonitas extrinseca in qua intendit quiescere,) sed intellectus etiam intendit omnes modos diversos assequendi veritatem, & omnes illustrationes suas omnibus modis: & propterea in Christo præter scientiam Beatam & infusam, datus acquisitam; nam per has formalitèr in se amplius, extensivè saltim illustratur, & perficitur. Adde quod sæpè in visis, magis certificatur per assensum in Deo attentante: ergo adhùc post evidentiam potest, attenta natura rei, Fidem elicere.

787 Assero 3. vera est secunda pars sententiæ P. Ripalda, nempè quod cum præcedit evidentia intuitiva rei, regularitèr non est cum ea compatibilis Fides naturalis de tali re; & idem est de evidentia abstractiva, valdè clara & convincenti, vt cum assentimur præsentiæ Solis in nostro Emispherio ex radijs visis. Vtrumque enim satis probat experientia, (& fortè nõ amplius) quia dum quis loquitur nobis de Matritto, quod vidimus; excitatur ita in nobis species evidens Matritti visi, & ita rapitur tota vis intellectus, vt non relinquat locum assensui propiet Authoritatè loquen-

tis,

tis, (& idem est i quoltra sententia, sive evidentia præcedat sive sequatur.) Hujus ratio fortè est: quia nostra tenuitas, non potest simul utrique motivo attendere attentione firmante judicium. 2. Quia Fides propter dictum alterius, egeo regularitèr pia affectione, quæ non datur ubi ex alio capite datur evidens convincentia. 3. Quia voluntas regularitèr non curat, illam imperare, & fortè in intellectu invenies majorem resistentiam, quam vincere non curat, ob nullam vel parvam utilitatem.

788 An autem Fides superna evidens in attestante non trahens obscuritatem, possit compati cum evidentia? Mihi videtur quod optimè possit. Tùm quia ex parte motivorum nulla est repugnantia, vt sæpè dictum est. Tùm quia de his nulla in contrarium datur experiēntia. Vodè evidēntia physica saltim naturalis (saltim cōtra dubia impertinēntia quę suboriri possent) per Fidem divinam, imò & sæpè per Authoritatem humanam, subjectivè potest amplius & amplius certificari. Et sic regularitèr extensivè, quodvis motivum novum aliquam utilitatem afferre posset.

789 An verò sicut voluntas rapta à motivo alto, potest iterum velle liberè ex motivo infimo honesto; possit etiam intellectum raptum ab evidentia ex motivo alto visionis Matriti, v. g. liberè obligare non ex pietate, sed ex Imperio, vt assentiatur existentiæ Matriti, quia tot testes oculares dicunt? Aliqui Doctores apud Ripaldam, affirmant posse, & se ita experiri. Res est parvi momenti, præcipuè cum ex parte motivorum non sit contradictio. Vnusquisque suam experientiam sequatur, vel in suo sensu abundet, pro aliquo casu raro & irregulari.

***

## §. II.
## ILLATIONES EX QVÆSTIONE 12. & 13. & alia notanda.

790 INfero primo: Objectum Fidei obscurę & strictæ partialitèr posse includere rem evidentem, sed non propterea illa est absolutè credita. Prima pars patet Tùm quia hæc propositio: *Quod nulla sit conventio lucis ad tenebras, attestatum est à Divo Paulo*: est de Fide, & prima ejus pars est metaphysicè evidens. Sicut etiam prima illius: *Deus, qui non mentitur, attestatur, &c.* Quod autem talis pars evidens non sit credita, probatur. Quia aliud est includi in objecto credito sive in veritate credita, & aliud est rem esse credibilem. Sicut etiam aliud est esse verum, aliud includi in vero. In hac enìm propositione: *Petrũ esse lapidem est impossibile*; identitas Petri, & lapidis non est vera, licèt includatur in vero. Vndè nec est assentita, licèt includatur in objecto assentito. Sic oppositio evidens lucis ad tenebras, includitur in objecto credito, & non est credita. Tangitur per assensum creditivum, sed tangitur quasi apprehensivè in alio, (sicut hæc propositio: *Productor huius mundi regnat in Æternum*, respectu regnandi est judicium, respectu producendi mundum est sola apprehensio) non tamen creditur, quia credi est denominatio totius Veritatis revelatę in complexo integro sumptę.

791 Dices: Ergo actus Fidei de oppositione lucis ad tenebras testificata à Paulo, est simul evidens & obscurus. Distinguo consequens. Est evidens secundum quod est apprehensio talis oppositionis, concedo. Secundum quod judicium de ea vt testificata à Paulo, nego. Vndè sequitur, quod licèt assensus noster supernus de Trinitate relinquat in nobis speciem evidentem sui vt erat assensus de Trinitate, sed non propterea re-

relinquit aliquam memoriam evidentem de Veritate Mysterij in se, quia memoria quæ remanet experimentalis, solum est de assensu secundum connexionem objectivam cum Trinitate in esse cognito; non autem secundum connexionem entitativam, nec cum Trinitate prout vera exercitè & in re, juxta distinctionem explicatam *num.* 678.

792 Infero 2. Medium pro Mysterio demonstrato ex evidentia in attestante esse ex *num.* 744. complexum ex duplici illa premissa evidenti: *Quidquid Deus dicit, verum est. Sed Deus mihi dicit Incarnationem: Ergo vera est.* Si objicias: ergo assēsus sic illatus de Incarnatione, est diversæ speciei à simili assensu sic illato per evidētiam in attestante de cane Tobiæ. Probatur consequentia: Quia diversitas assensus sumpta à ratione formali, est diversitas essentialis & specifica, Atqui diversitas in conclusione sumpta à diverso complexo præmissarum, est sumpta à diverso motivo, & ratione formali, nempè à diversa attestatione divina; (quia aliud est attestari Incarnationem, & aliud attestari canem Tobiæ:) Ergo est diversitas specifica & essentialis. Sanè hoc argumentum sub hac forma propositum, valdè difficilè apparet contra vnitatem Fidei latæ, & etiam strictæ & obscuræ de Incarnatione, (cui assentior de facto, quia Deus eam dixit,) & de cane Tobiæ à Deo attestato.

793 Nihilominus ex dictis supra *num.* 708. de diversitate expressionis per causalem, quando indicat rationem formalem, & quando materialē, vel conditionem solam applicativam. Respondeo, rationem formalem Fidei essentialitèr specificantem ipsam, solum esse formalitèr, divinam Authoritatem attestantem, quod unque sit materia attestata. Quia tamē hęc materia præ alia, non habet sibi applicatam divinam Authoritatem & attestationem, nisi dictum Dei particularizetur ad hanc materiam; hæc particularizatio

adhuc

adhùc in illo complexo, potiùs est de materia determinanda, sive de applicatione rationis formalis ad materiam, quam sit de ratione formali specificativa Fidei. Non enim credo dicenti, quia dicit hoc. Sed credo hoc, quod dixit Deus, quia Deus summè verax est qui dixit.

794 Vndè ad argumentum in forma respondetur, negando consequent. Ad probationem respond. concessa majori; distinguo minorem: quando pars illius complexi est intranea rationi formali in linea formali; concedo minorem. Quando est extranea lineæ formali, & solum se habet vt modificans illam per materiam, vel per applicationem ad materiam vt in præsenti est probatum; nego minorem, & consequent. Ex quo patet ad probationem. Pro hac extraneitate. *Vide supra à num.* 745.

795 Pro dictis à *num* 719. de eo quod possit dari assensus dicti per modum dicti, quando adest evidentia in attestante, accipe 3. confirmationem ex *capè* 11. *ad Hebreos*, *v.* 11. vbi Apostolus loquendo de Sara dixit: *Quoniam Fidelem credidit esse eum qui repromisserat.* Non dixit fidelem vidit, sed credidit fidelem. Si autem ponderasset infallibilitatem dicti, eam vtique potius vidisset, quam credidisset Fide obscura, de qua loquitur Apostolus.

796 Nota 4. Nos *num.* 695. dixisse de Articulo credendo: quia Deus est, & Remunerator est: posse à Philosopho Christiano, sufficienter credi voica creditione per inclusionem votus in alio. Post quæ typis mandata adverti in textu Pauli *ad Hebreos* 11 sententiam his verbis proponi: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit* Ex quibus verbis, cum Apostolus non dicat, *quod inquirentibus*, sed dicat: & inquirentibus: & non dicat, Remunerator est, sed Remunerator sit, satis clarè relinquitur locus, vt non de necessitate habeantur pro

duobus Articulis, ( sicut si modo quo in primo dixit *quia*, in secundo addidisset *quod*, ) sed possint credi vnica creditione tanquam vnus.

797 Nota 5.Quod contra dicta à nobis supra à *nu.*754.de compatibilitate Fidei in Beato de Baptismo v.g.si non videretur in Deo per visionē Dei,se opponit P.Antonius Perez *disputat.*3.*cap.*10.& probat primo: quia non sunt compatibiles naturalitèr Fides & visio: ergo nec divinitus.Consequentiam probat ex illo Christi:*Omnia possibilia sunt credēti.*Firmo.Si divinitùs sunt possibiles visio & Fides, tale miraculum posset credi Fide.Ergo non esset supra naturam Fidei,nec fieret supra illam,nec de potētia absoluta,sed de ordinaria: imò esset miraculum & non esset.

798 Responderi potest permisso antecedenti,negando consequent. Primo: quia textus Christi solum sonat,quod ita Omnipotentia Dei alligata sit voci Fidei, vt nihil quod ista intendat, sit censendum impossibile Sed hoc ex promissione Dei,qui id faciet vel de potentia ordinaria,vel de absoluta. ¶ Respondetur 2. dum dicitur quod illa conjunctio fiet de potentia absoluta, posse intelligi de absoluta comparativè ad leges ordinarias, etiam si non sit miraculosa,& superna comparativè ad naturem Fidei. ¶ Respondetur 3. Benè posse esse supernam quoad fieri, & semel factam non esse supernam quoad credi per ipsam Fidem divinam. *De quo supra num.*532.*& in Materia de Incarnatione,num.*181.

799 Probat secundo: Quia si Beatus posset assentiri tali Mysterio à Deo ravelato,necesse erat quod Deus vt Author omnis locutionis moralitèr divinę,deberet credi,& non deberet credi. Sed hoc est impossibile: ergo & illud. Prima pars, quod deberet credi, probatur. Quia Deus vt Author talis locutionis moralitèr divinæ est primum creditum per omnem actum Fidei:ergo & deberet credi per istum.Quod aliàs non de-

deberet,imò nec posset credi,patet;quia ex vi visionis Beatę,Deus est visus quidditativè secundum omne proprium ipsius,& secundum quod contraponitur Authori locutionis non moralitèr divinæ. ¶ Respond.negando majorem.Non enim deberet credi,sed videri generalitèr vt Author omnis locutionis moralitèr divinæ. Quod autem specialitèr attestetur illud Mysterium non visum in Deo à Beato,non videtur(quoad illam specialitatem attestationis) per visionem Beatam,sed aliūde, & per revelationē distinctam à visione noscitur à Beato,qui assentitur propter illam Mysterio,Fide lata sive Fide materiali,(voco materialem respectivè ad formalem sumptam à fidentia.)

800 Nec verum est. 1.Quod per istum assensum & creditionem Mysterij propter locutionem Dei moralitèr divinam,debeat Deus vt Author ipsius locutionis esse creditus. Licèt enim debeat esse tactus quasi apprehensivè & virtualitèr pręsuppositivè,sed non creditus, imò nec assentitus, nec judicatus, vt dixi hic *num.*790.Sola enim attestatio est assentita.Creditum autem,non attestatio sed solum Mysterium,quia solum istud est assēntum propter divinam attestationem.Ista cum sit intuitivè visa,vel audita,non sortitur denominationem creditæ.

801 Nec verū est 2.Quod omnis Fides faciat credentē peregrinum à Deo, ex Paulo 2.*ad Corin cap.5. v.6.* Fides enim de objecto non viso in Deo,non facit absolutè peregrinum, sed cum addito; sicut diximus *num.*779.de actu obscuro,facere intellectum,non quidem obscurum,aut non clarum absolutè,sed cum addito; quatenūs nempè non fit clarus per talem actum,sed ab alio actu habet quod sit clarus.Sicut sacharum non esse dulce per albedinem, solum importat non esse dulce cum addito, tamen non tollit quod absolutè sit dulce per aliam qualitatem.

# QVÆSTIO XIV.

## DE NECESSITATE FIDEI.

### ARTICVLVS I. & §.I.

### *QVANDO HABITVS SVFFICIAT, ET QVANDO requiratur actus ad salutem.*

802 NOMINE salutis, non solum intelligimus salvationē, sed etiam justificationem peccatoris. Difficultas 1. est: an Fides superna sumpta pro habitu, sit necessaria ad istam, necessitate medij? Duplex datur necessitas. Vna medij sive finis; alia præcepti. Necessarium ex præcepto est illud, quod ad obtinendum finem, solum est requisitum ratione præcepti. Vndè obtinebitur finis sine re præcepta, si detur sufficiens excusatio ab obligatione præcepti. Sic restitutio est necessaria ad salutem; obtinebitur tamen ista sine illa, si defficiat obligatio ob ignorantiam invincibilem, vel inadvertentiam; ob impotentiam, vel alias causas excusantes.

803 Necessarium necessitate medij est illud, sine quo, res nullatenùs potest obtineri, (sive non positio medij sit culpabilis, sive sit inculpabilis.) Sic gratia sanctificans est medium necessarium ad salvationem, quia sine illa moriens non salvabitur, etiam si omnes fecerint, quantum possibile illis erat, vt iste cōsequeretur illam. Necessarium hoc dividitur in vnum *simpliciter* & absolutè *tale in re* & exercitè: & in aliud *tale secundum quid*; quia non est necessarium *in re*, sed vel *in re*, vel *in voto*. Primum enim non admittit substitutum, & est insupplebile. Talis est gratia sanctificans in re. Necessarium *secundum quid* admittit substitutum. Baptismus enim est medium necessarium: sed

quan-

quando nequit obtineri, ipsius vices supplentur per votum Baptismi, inclusum in contritione, vel amore Dei super omnia, tanquam per substitutum, specialitèr ad id designatum à Deo. De quo latiùs in fragmentis agimus *in Summa de Arana, Fragm. de Necessitate Eucharistiæ.*

804 His positis Respondeo 1. ad quæstionem: In Infantibus absque vsu rationis est necessarius habitus Fidei ad justificationem, & ad salutem necessitate medij absoluta, & simplicitèr *in re*, & *exercitè*; secùs Fides actualis in re. Prima pars patet: quia nequeunt fieri salvi sine gratia justificante *in re*; quæ tamen illis non infunditur sine habitu Fidei, *per Baptismum in re*; sicut nec sine alijs Virtutibus Theologicis & Moralibus supernis. Benè verum est: quod hæc necessitas medij absoluta de habitu Fidei, solum datur ratione annexionis gratiæ cum illo.

805 Secunda pars etiam patet: quia Fides actualis est impossibile in illis, dum carent vsu rationis, quod exerceatur illa in re; imò nec in voto, quia non possunt vllum actum exercere propria voluntate, qui includat votum Fidei: Salvantur ergo per gratiam sanctificantem, comitatam habitibus. Pro Baptismo autem suscipiendo in re formitèr, sufficit illis antecedentèr Fides Parentum, vel Ecclesiæ.

806 Assero 2. loquendo de peccatore adulto, actum Fidei esse illi necessarium *in re*, necessitate medij simplicitèr & absolutè. (Imò cõmunitèr Theologi, contra Ripalda, & alios, intendunt necessariam esse necessitate medij *in re* Fidem actualem strictam, & non sufficere cognitionem supernam, quæ latè sit Fides,) ad justificationem. Licèt aliud esset loqui de conservatione, & augmento gratiæ sanctificantis. Probatur ex Divo Paulo ad Hæbr. 11. dicente: *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Dices, non loqui de stricta, sed lata. Sed cõtra 1. nam loquitur de Fide illa, quã ibi

ab: definit: *substantiam sperandarum rerum, & argumentum non apparentium.* ¶ Secundo: quia *Trident. sess 3. cap. 8.* ait: *Homines justificari per Fidem, quatenùs ipsa est salutis initium.* Et *cap. 7.* ait: *Nulli umquam contigisse justificationem sine Fide.* Tertio: quia loquitur Trident. de Fide concepta per auditum, vt statim dicemus, citatque testimonium Pauli: *argumentum non apparentium*; quę omnia solum verificantur de Fide stricta & obscura. Quæ enim noscuntur superne, per cognitionem quæ non sit Fides stricta, non dicuntur non apparere, nec concipi per auditum. Solutiones horum textuum ab adversarijs datas, vide impugnatas, Articulo sequenti.

807 Probatur insuper ratione: quia adultus nequit justificari, nisi per actus liberos superuos suæ voluntatis: justificari enim per naturales esset Pelagianum. Actus autem superni voluntatis necessariò requirunt ex parte intellectus cognitionem supernam excitantem, vt supra probatum est; hęc autem debet esse per Fidem, vt hæc proximè moveat in Deum ex Trident. *sess 5 cap. 6.* dicente: *Adulti disponuntur ad justificationem, dum Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum.* Insuper satis congruum est, vt intellectus prius captivetur ex dominio voluntatis in obsequium Fidei, vt postea ex illo merito, accipiat jus per gratiam justificationis, vt elevetur ad Visionem Beatam.

## §. II.
## DVÆ SOLVTIONES.

808 Aliqui 1. existimant, (periculose tamen) hominem posse salvari per actus naturales servando legem naturæ; in qua observantia dicunt ipsi imbibi votum Fidei. Respōdēt ergo ad omnes istos textus, eos requirere necessario Fidem non Fidem *in re*, sed vel *in re*, vel *in voto*: Quod quidem votum inclusum est in

ipsa

ipsa pręparatione animi,quando homo observãdo viribus naturæ legem naturalem, Deo,quem noverat per creaturas, paratus esset in omnibus quæ imperarer, obedire. Probant,quia sicut Paulus dixit: *Impossibile esse sine Fide placere Deo*: Ita etiam Christus dixit: *Neminem posse salvari sine Baptismo*; sive quin renascatur ex aqua & Spiritu Sancto.Arqui hoc non obstanti, potest quis justificari per Baptismum in voto, quando non potest obtinere illud *in re*:ergo & per Fidem *in voto*,quando ille homo non habebat, vndè reciperet Fidem *in re*. Hæc fuit sententia Michaelis de Medina,& M.Soto.Sed ab isto retractata fuit.

809 Sed contra 1. Quia Baptismus non suppletur per votum,nisi tale votum sit supernum,& inclusum in contritione,vel amore superno Dei super omnia: ergo nec Fides supplebitur per votum, nisi tale votũ sit inclusum in prędictis actibus supernis.Consequent.prob. Quia sola generalis præparatio animi ad obediendum Deo in genere,concepta viribus naturæ,(imò nec propositum firmum naturale credendi, quidquid Deus diceret specialitèr,) non posset esse dispositio vltima ad Deo placendum,& ad accedendum ad Deum per justificationem,sine Pelagianismo: aliàs per solas naturæ vires homo sufficientèr excitaretur,conversereturque,accedereteque ad Deum. Ad contritionem autem supernam,vel amorẽ Dei super omnia superoum, debet necessariò præire Fides superna *in re*, vt dirigat voluntatem ad tales actus supernos, includentes votum Fidei supernũ: *Nam nihil volitum,quin præcognitum; & præcognitio* sive excitatio debet esse ex motione Spiritus Sancti, ac per consequens, Fides superna: ergo ante tale votum simplicitèr est necessaria *in re*, talis Fides superna. Vide Art.seq.

810 An autem talis Fides, dirigens ad votum supernum de Fide stricta, debeat etiam esse in se Fides stricta formalis,vel sufficiat alius actus su-

pernus, qui non sit Fides stricta, sed æquivalens pro Fide stricta in munere supernè dirigendi? Ex vna parte videtur, quod non; vt jam est probatum. Ripalda verò citandus Art. sequenti, tenet sufficere. Tũ 1. quia omnes textus prædicti interpretari possunt de Fide stricta *in voto*, excitato per scientiã supernam infusam. Tũ 2. quia aliqui eorum intelligi possunt, vel formaliter, vel omnino æquivalentèr; formalitèr autem intelligendi sunt regularitèr; æquivalentèr autem de Fide lata pro casu assignando Art. seq.

811 Tùm 3. quia in eo tunc, jam non viribus naturæ sed gratiæ, excitaretur homo ille, & converteretur ad Deum. Tùm 4. quia inter antiquos Gẽtiles plurimi fuerunt, qui nihil audierunt de Fide; & tamen cognoverunt dari Deum, Gubernantem Mundum. Videtur autem incredibile, quod si illi ex cognitione Dei summè perfecti & boni, dolerent verè de peccatis factis, veniam petendo; Deus aliquando non daret pluribus eorum auxilia superna elevantia, vt ellicerentur ab ipsis similis cognitio & dolor superni, ex parte principij. Sicut sæpè diximus de conclusione Theologica posse esse supernam ex principio; vndè isti justificarentur.

812 Cessat hac via (quę suavior est respectu divinæ Providentiæ, & minus immutans ordinem causarum,) indigentia medij tàm extraordinarij, quale est mittere Angelum, vel Prædicatorem ex longinquo, vt eum instrueret in Fide; hoc enìm rarissimè fiebat. Tunc autem jam non justificarentur prædicti Gentiles per Fidem strictam *in re*, sed *in voto*; concepto media cognitione *in re*, superna & æquivalenti pro Fide stricta; quod quidem vorum includebatur in contritione superna. Licèt autem commune sit apud Theologos, quod si homo nutritus à puero in sylvis, (vel etiam apud alios homines,) observaret totam legem naturalem, ad Dei Providentiam spectaret instruere illum in Fide, vel per

Angelum, vel Prædicatorem ex longinquo missum (& de hoc sunt aliquæ historiæ veridicæ;) sed tamen id rarissimè eveniet; sicut & rarissimum est, quod adultus servet totam legem naturalem, vt per hanc observantiam tollat obicem ad suam justificationem. Tunc autem, dicunt aliqui, quod non esset miraculum instruere per Angelum, vel Prædicatorem, sed quasi debitum juxta leges Diuinæ Providentiæ; quæ quidem, *facienti quod est in se*, sive non ponenti obicem: *Deus non denegat suam gratiam.*

813 Sed nos plus intēderemus in divina Misericordia confisi, nempè quod non solum servantes totam legem naturalem, sed etiam quod ex non servantibus, in tot hominum Gentilium millionibus, ad quos non pervenit notitia Fidei, vel erat jam deleta decursu temporis, fuerint plures salvati; etiā ex illis qui antea peccaverant contra legem naturalem, si postea cognoscentes Deum summè bonum, propriosque defectus commissos contra ipsum, doluerint de illis naturalitèr, considerando Deum ab ipsis offensum fuisse, vtpote violantibus leges supremi Gubernatoris (quod possibile esse naturaliter, multi tenēt.) Credibile ergo est de divina Misericordia, quod visa ex parte ipsorum hac animi præparatione naturali, (non vt merito, aut dispositione morali, sed vt remotione prohibentis:) Deus dederit eis auxilia superna, vt actu superno ex parte principij cognoscerent Deum summè bonum; & excitarentur, vt per aliud auxilium supernum dolerent serio & efficacitèr de suis peccatis. Iste autem modus eos justificandi per Fidem supernam latam *in re*, strictamque *in voto*, suavior est & aptior, vt pluries repeteretur, absque missione Angeli, vel Prædicatoris. Sed judicium de tota hac doctrina Art. seq. feremus.

814 Sequitur ex dictis, Fide lata admissa vel nō admissa, neminē per sola opera naturalia fuisse vnquam justificatum, etiam si totam legem naturalem servasset,

sed

sed per superna modo dicto. Nec obest 1. illa responsio Christi ad adolescentem interrogantem quid faceret, vt vitam æternam possideret? *Serva mandata*, vtique Decalogi, quæ sunt præcepta naturalia: ergo sufficiunt ista. Nego consequentiam: Christus enim voluit de illo, quod observaret illa supernè, quia cum ille esset jam fidelis, vtpotè instructus in Synagoga, habebat auxilia superna, vt supernè observaret.

815 Nec obest 2. Quod Paulus, loquens de Gentilibus dicat: *Gentes, quæ legem non habent, naturalitèr, quæ legis sunt, faciunt*: ergo si illi qui legem habent, observando legem salvantur; etiam Gentiles per opera naturalia. Sed respond. Paulum, licèt ad confusionem Iudæorum doceat Gentiles facere opera bona, sed non dicit, quod Gentiles salventur per illa opera, quæ naturalitèr faciunt: licèt dicat ea facere, etiam si non habeant legem scriptam, sicut Iudæi. Alij adduntur, Gentiles fecisse opera legis naturalitèr, sed solum faciliora, nempè *Honorare Parentes, non furari, &c.* quod non sufficit ad salutem. Alius dicet, loqui de supernis per Fidem latam, Si autem loquatur de solis naturalibus, non ideò justificantur, sed removent prohibens.

## ARTICVLVS II.

### *AN HÆC FIDES NECESSARIA, DEBEAT esse stricta, vel sufficiat lata.* Et §. I. *Fertur judicium de ea.*

816 NON summuntur hic Fides stricta & lata, sicut supra à *n.* 774. Vbi veraque niti debebat dicto Dei. Stricta obscurè, & per modum dicti fidendo illi. Lata verò per modum connexi, (cum discursu, vel absque illo,) nitendo nempè testimonio ipso cognito vt infallibili, cognito nempè per modum simpli-

plicis intuitus evidentis. Nunc autem summitur Fides stricta pro nitente testimonio, & Authoritate Dei. Lata verò & impropria pro nitente testimonio creaturarum, quę quidem quasi nutibus & mutis vocibus, nobis annunciant existentiam Dei, summam ejus amabilitatē, aliasque perfectiones. Cum autem tales creaturæ vt signa invisibilium Dei, sint opus Dei, vocari potest impropriè testimoniū Dei (nam propriū declarare debebat Deum ita sentire) enunciatio per ipsas: & assensus propter illud, Fides impropria & lata, in hoc ergo sensu.

817 P. Ripalda *disputat. 20. de Ente supernaturali*, & iterum *disput. 17. de Fide*, longissimè magno conatu & eruditione probat, Fidem simpliciter requisitam ad justificationem à Sacra Scriptura, Concilijs, & PP. sufficere si sit lata; eamque frequentèr reperiri etiam apud Barbaras Nationes, quæ de verbo Dei, atque prædicatione numquam aliquid audierunt: & hęc Fides lata in ipsis est etiam entitativè superna, data illis à Deo ex lege elevationis totius generis humani ad statum supernum serviendi & fruendi Deo vt vltimo fine, ad quem homo creatus est. Vndè quoties homo vult facere quodcumque opus naturale honestum & honeste, habet ibi paratam Fidem latam supernam illustrantē, & simul principia superna per quę eliciat opus supernum; vel solum, vel simul cum alio naturali, & perveniat vsque ad amorem Dei supernum super omnia, per quem justificetur. Hoc enìm pacto & non aliter facilè intelligitur, quomodo quilibet homo compos rationis, habeat in manu sua facultatem proximam (absque prædicatione ad illos non pervenienti) se justificandi per dilectionem supernam Dei super omnia.

818 Huic tamen sententiæ, se fortiter opponunt Cardinalis de Lugo, & P. Oxea. Vterque *disputat. 12. de Fide*. Quorum sententiæ vtpotè communi libentissimè adhærēo, saltim regularitèr, & de lege ordinaria. ¶ Nota tamen valdè ex P. Oxea: (Tùm pro sententia

nostra probandi. Tùm pro argumentis contrarijs, præcipuè pro sumptis ab Authoritate solvendis, quæ innumera sunt, & non vacat tempus sigillatim solvere) magnam esse differentiam inter justificationem adulti, sive vltimam dispositionem ad illam; & inter alia opera superna adulti se habentia ad justificationem antecedentèr, vt dispositiones mediatas vel remotas. Vndè ex eo quod ad istas, vel ad alia opera superna sufficeret Fides superna lata; non inde infertur, quod etiam sufficiat ad justificationem, ejusque vltimam dispositionem. Disparitas est, quia Scriptura, & Patres, vt probabimus, Fidem strictam expressè postulãt pro justificatione; non autem ita expressè pro alijs operibus.

819 Probata jam est necessitas Fidei strictæ ex Paulo, *num.* 806. & ex Trident. *num.* 805. Sed quia adversarij duas dant solutiones. Vnam de Fide lata superna æquivalenti pro stricta. Alteram de Fide stricta solum in voto superno. Iterum prima impugnanda est, textum Pauli de novo vrgendo. Inquit enim sic, *ad Hebreos* 11. *Fide Henoch translatus est, &c. Ante translationem enim testimonium habuit, placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo.* ¶ Vbi nota duo. Primum est, quod placere Deo est proprium justorum, & est idem ac dicere, quod Fides est necessaria ad justificationem vt talem. Probat enim ex justificatione & ex eo quod placuerit Deo, habuisse Henoch Fidem. Non autem benè probasset Fidem in eo per justificari, si necessaria non esset.

820 Secũdo nota, loqui de stricta. Tùm quia, vt diximus ibi, constat ex textu, *v.* 1. quod loquitur de illa quę est argumentum non apparentium. Tùm quia *v.* 6. explicando illam Fidem sine qua impossibile est placere Deo, prosequitur: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se Remunerator sit.* Non dixit *scire*, sed *credere*. Item *v.* 7. *Fide Noe, responso accepto de his, quæ adhùc*

non

*non videbantur, metuens aperuit Arcam.* Loquitur ergo expressè de Fide, ex responso de non visis. Item *v.31. Fide Raab meretrix non perijt cum incredulis, excipiens exploratores cũ pace.* Vbi cõtra ponit Fidem Raab incredulitati aliorum. Incredulitas autem non vocantur, nisi solum illi qui resistunt dicto, atque authoritati alterius sufficientèr propositis. Ex quibus omnibus patet manifestè, quod Fides requisita à Paulo ad justificationem sit Fides stricta de non visis. Id ipsum confirmatur ex *cap.2.* Abacuc, dicentis: *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso, Iustus autem in Fide sua vivet.* Vbi vult Propheta, quod Iustus à Fide habet quod vivat, quia ipsa est initium justificationis. Loquitur autem de Fide stricta. Tùm quia Divus Paulus Epistola ad Romanos *cap.1.* adducit hoc testimonium, dum sermonem habet de Fide ex auditu. Tùm quia loquitur Propheta de ea prout contraposita incredulitati, ac per consequens de Fide stricta, & propria.

821 Vrgeo insuper pro Fide stricta textum Tridentini, *sess 6. cap.7* dicentis: *Nulli vnquam sine Fide justificationem contigisse.* Quod autem loquatur de Fide stricta, patet. Tùm quia cum loqueretur de Baptismo, ait: *Quod est Sacramentum Fidei, sine qua nulli vnquam contigit justificatio.* Fides autem protestata in Baptismo, manifestè est Fides stricta. Tùm etiam, quia *caput 7.* incipit sic: *Hanc dispositionem, seu præparationem justificatio ipsa consequitur.* Quænam autem est, hæc dispositio & præparatio? Profectò illa quam explicuerat capite immediatè præcedẽti, dicens. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.* Quæ verba sincerè intellecta manifesta sunt pro omnimoda ad justificationem necessitate Fidei ex auditu concep-

tæ,

tæ, ac per consequens & strictæ. Nec Fides lata etiam superna potest esse æquivalens pro stricta in linea moralis dispositionis, cum strictæ comperat multum meriti, secùs latæ supernæ, cum hæc sit evidens. Nec datur meritum in assentiri, quod non potest negari.

822 Tertio, probatur eadem necessitas Fidei strictæ ad justificationem ex Divo Augustino *Epist. ad Sixtum*, quæ est 105. & extat *in Tom. 1. vbi colum. 3.* loquendo de Fidei mēsura, quam cuivis partitur Deus, hæc habet: *Qua propter, ne se vel ipsius Orationis*, meritum extollat, (etiam si ad vincendas temporalium rerum cupiditates, & diligenda bona æterna, atque ipsum fontem omnium bonorum Deum, adjutorium datur oranti,) Fides orat, quæ data est non oranti, quæ vtique nisi data esset, orare non posset. Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo credent, quem non audierunt? Quomodo audient sine prædicante? Igitur Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Hæc August. Quod autem loquatur de Fide in ordine ad justificationem constat: Tùm ex illo in verbis adductis: *Ad diligenda bona æterna, & ipsum omnium bonorum fontem Deum.* Tùm ex alijs verbis quæ post pauca adducit de justificatione per Charitatem Dei diffussam in cordibus nostris, & de Fide quæ per dilectionem operatur. Quod quidem Augustini testimonium manifestè est de Fide stricta sive ex auditu. Ex quibus Authoritatibus eversa manet prima solutio.

823 Secunda etiam de Fide stricta solum in voto, facilè confutatur. Tùm quia textus adducti clarissimè loquuntur de Fide exercita & in re, & de Fide ipsa vt exercitè meritoria, vt constat præcipuè ex Paulo, & de exercitè disponente, & præparante per modum dispositionis moralis ad justificationem, (quod nequit convenire Fidei in voto,) vt constat ex Trident. Tùm quia meritum Fidei, (saltim speciale) nec datur in cogni-

tione

tione, & assensu illo superno, (quia est Fides lata apud te) cum sit evidens, & ex motivo convincenti: nec item in fide vota, sive votata; cum hęc nondum habeatur: Ergo non apparet vbi sit istud meritum tàm celebratum Fidei, à Divo Paulo, & Tridentino. Tùm quia eadem libertate poterit alius negare ad salvationem necessitatem gratiæ sanctificantis in re, explicando textus de vel in re, vel in voto.

824 Tùm quia, si in Baptismo, & Pœnitentia admittitur distinctio illa necessitatis in re, vel in voto, illa introducta est ab Authoritate Ecclesiæ, quæ sola habet clavem scientiæ pro necessarijs ad salutem. Et insuper ex Sacra Scriptura constat clarissimè necessitas Baptismi, & Pœnitentiæ ex vna parte, & ex alia constat sufficientia contritionis, & dilectionis Dei sine Baptismo in re suscepto, quæ certissimè est votum Sacramenti, & omnium præceptorum. Quid mirum, si explicanda sit necessitas illa de in re, vel in voto? In Theologis autem particularibus non est sufficiens authoritas, nec sufficiens fundamentum contra tam claros textus communitèr intellectos à Concilijs, & PP. de necessitate in re, introducendi disjunctivam illam de in re, vel in voto. Admittimus ergo nos quod dilectio superna Dei super omnia sit etiam votum Fidei, sicut & est Baptismi, & justificet. Sed quod dilectio sine Baptismo in re detur, constat. Quod autem sine fide in re disponente detur, non constat; imò oppositum constat. Ergo pro necessitate in re, vel in voto applicata ad fidem, nullum est fundamentum.

825 Ao autem pro fide ex auditu, sufficiat illa fides communissima habita in filijs à Patribus, (extra vocationem ad fidem Synagogę, & Evangelij.) De qua Pater Antonius Perez supra *num.* 651. dicam, quod si sit à Parentibus proposita, tanquam ex testimonio, & dicto Dei, concedam libenter. Sicut eam acceperunt filij Iob à Patre suo. Et idem dicam, si sit talis fi-

des

des ex auditu interno per attestationem divinam ipsi credenti internè factam,dummodo non sit pura inspiratio de re, sed locutio attestans, Deum ita sentire. Si autem esset solum edoctio Articulorum à Parentibus ex propria scientia,vel ex fide lata, talis fides ad justificationem non sufficeret.

## §. II.

## ARGVMENTA SOLVVNTVR.

826 PRimum summitur ex Paulo, *ad Roman.1. à num.*18.vbi docet: Gentiles coram Deo inexcusabiles fuisse de sua injustitia, quia ex creaturis nota illis erant invisibilia Dei, ejusque Divinitas, & Omnipotentia:& potuerunt ex tali notitia, atque debuerunt colere, & glorificare Deum, & converti ad ipsum amando, & colendo illum super omnia, & non fecerunt, sed potius idola sequti sunt. Atqui talem cultum,& amorem non poterant Deo exhibere nisi per cognitionem supernam ex testimonio creaturarum, ac per consequens ex fide lata: ergo habuerunt illam.

827 Huic argumento, respondet Pater Oxea, *disputat.*12. *sect.*3 *à num* 22. concedendo talem cognitionem supernam Gentilibus, debitam eis ex providentia ordinaria;& vt adimpleatur, quod ex parte sua vult Deus, omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis,id est fidei strictæ pervenire. Admittit ergo contra Lugo cognitiones supernas ad opera honesta, mediatè & remotè præparativa ad justificationem, secus immediatam ad conversionem, contritionem, aut amorem Dei super omnia immediatè ad illam disponentes, quia id sine fide stricta impossibile est. Hæc solutio sufficientissima est pro solutione argumenti.

Nos

828 Nos autem vlterius intendimus ex textu ipso Paüli benè ponderato circa inexcusabilitatem, & ex docta interpretatione Patris Cornelij Alapide, negando ex tali textu & inexcusabilitate probari aliam cognitionem præter solam naturalem ex creaturis, quia teste Cornelio, licèt Anselmus & alij pauci intendant superiam, communis tamen Patrum solam naturalem agnoscit.

829 Pro quo nota iram Dei contra Gentiles, de (a Paulus ibi, supra duplicem posse cadere culpam, Vna est peccatum detinendi in injustitia (id est, injuste & peccaminose) & incarcerandi Veritatē Dei intra se quid est cognitionem quam ex creaturis habebant de Deo vno summe bono, & Omnipotenti, & cui debeant cultum & glorificationē) & non permittēdi vsum ejus, quoad exercitium Cultus veri Dei, vt liberius possent servire Idolis. Aliud est peccatum injustificationis, sive non justificationis, & non se covertendi ad Deum per contritionem & amorem super omnia, per quem justificarentur. Ista autem esse peccata valdè diversa patet. Tùm quia potest vnum dari sine alio, vt patet in eo, qui se præcipitaret in puteum, & postea non exiret, quia nesciret modum exeundi. Imò & si sciret, adhùc patet in Christiano peccante mortaliter, & non exeunte à peccato per multos dies, & postea repente & sine vlla advertentia periculi mortuo ante obligationem annuæ Confessionis. Hunc enim Deus judicabit, & damnabit de primo peccato: sed non arguet, nec damnabit de secūdo, nec ob defectum Confessionis & conversionis.

830 Igitur Apostolus solum imputat Gentilibus (a excusabilitatem primi peccati, (quod omnino est solum contra legem, & cognitionem naturalem absque vllo supernaturalitatis saporè) non verò secundi, vt patet ex ipso contextu: vbi nec verbum de non exitu eorum à peccato, aut de notitia modi immediati re ipsa ex-

eundi ab illo; nec de Deo super omnia amando, nec de se ad illum convertendo. Nullum enim ibi apparet vestigium objecti superni aut cognitionis supernæ: non solum disponentis ad vltimam præparationem justificationis, sed nec ad non vltimam, nec mediatam, aut remotam cum aliqua supernaturalitate; & inexcusabilitas à Paulo ipsis imputata, (adhùc dato & non concesso, quod etiam esset de justificatione) non probat cognitionem supernam de illa.

831 Probatur: Tùm quia eo solum quod non remobuerint prohibens justificationis, si noscerent illam, inexcusabiles erant. Tùm quia sicut vox de Cœlo facta est Beato Fratri Ægidio socio Divi Francisci, dicens: *Præparare ad reddendam rationem, non solum eorum quæ accepisti, sed quæ non accepisti.* (Fortè, quia saltim in confuso occurrere illi potuit, quod esset reus non accipiendi.) Ita etiam istis potuit saltim in confuso occurrere cognitione naturali, quod si vero Deo à se jam cognito, vt par erat, inservirent, ipse illis abundè beneficeret: & ipsis imputari potest aliqualiter impeditio hujus beneficij saltim in genere: & ad hoc non requiritur potestas superna se justificandi.

832 Adde quod si motivum illius Fidei supernæ latæ, sumitur ex creaturis, erat vsique naturale; ergo eandem vim præstabat contra eorum excusabilitatem, sive esset naturaliter cognitum sive supernè cognitum. Quia illud solum accusabat eos vt expressatum, & vt non ignoratum, & secundum quod importabat de expressato, non secundum quod importabat de superno ex parte principij non expressito. Et licèt supernaturalitas executa conduceret ad aliquale meritum, vt Deus illos vocaret ad Fidem, tamen non est sermo de merito, sed solũ de demerito & peccato, & indignitate eorum ex illo; quæ quoad pœnam dandi eos in reprobum sensum, vt inquit Paulus; eandem vim habebat essendo purè contra legem & cognitionem naturalem. Nullum

ergo

ergo apparet in eo textu supernaturalitatis vestigium.

833 Objicies 2. Anselmum, & aliquos alios docentes in Gentilibus cognitionem supernam sine Fide stricta. Respondetur 1. generaliter (pro quacumque authoritate quæ adduci possit) non loqui eos de justificatione, sed ad summum de operibus honestis se remotè & mediatè habentibus ad illam, vt visitare infirmos, honorare parentes. Pro hac autem solutione applicanda, cura examinare, prius quam respondeas, in authoritate cujuslibet Patris, de quo opere honesto loquatur. Et nota quod à Paulo Fides stricta, solum pro justificatione constat requisita esse: dixit enim: *Quod credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam*, sive justificationem. Non autem constat ita expressè, quod dixerit idem ad alia opera mediatè disponentia.

834 Respondetur 2. (& hæc sit solutio generalis, qua in publicis Thesibus vsus fuit multis abhinc annis P. Antonius Xarque Societatis Iesu Vir doctus & magnæ eruditionis) vni Sancto Patri, alterum opponendos v.g. Anselmo, Augustinum. Respondebat enim: in hoc puncto Augustinum sequor (cujus verba dabat) Anselmum ei oppositum non sequor. Cum enim Sancti PP. clarè inter se dissideant, & certum aliàs sit, quod nulli eorum Deus dederit plenè in omnibus scopum veritatis attigisse, (vt ipsemet Christus revelavit V.M. Mariæ de Agreda loquenti de motivo Incarnationis, & constat ex sensu Ecclesiæ damnantis aliquas propositiones, non obstante, quod in aliquo Sancto Patre reperiantur) liberum erit Theologo in illis in quibus Patres dissident, eligere ducem quem ex illis maluerit. Per hunc solutionis modum, à multis in Thesibus publicis, (in quibus non vacat tempus, textum S. Patris, tunc adducere in examen & ponderare) angustijs liberaberis. Præcipuè hic locum habet hæc solutio, siquidem communis Patrum Authoritas stat contra S. Anselmi mentem.

835 Objicies 3. Ipsum Augustinum non posse, non recognoscere hanc Fidem supernam latam. Probas: Sæpissimè enim opera Gentilium facit peccata, ductus quia *quod non est ex Fide, peccatum est.* Vndè apud ipsum in infideli, operire nudum est peccatum si non sit ex Fide. Atqui non potest loqui de Fide stricta: ergo loquitur de lata. Minor patet: quia Gentiles ante Fidem strictam certum est ex damnatione Michaelis Baij, per Summos Pontifices, posse facere opera honesta, & quæ peccatum non sint: ergo vt operire nudum sit honestum, & non peccatum, non requiritur Fides stricta: ergo si Fides requiritur ab August. sufficit lata. Vide plures alios August. textus apud Ripalda.

836 His & alijs similibus vrget Ripalda Fidem latam, quasi ipsa requiratur, & sufficiat pro his August. textibus satis difficilibus à Recentioribus solvendis. Sed verè meo videri, nec requiritur, nec sufficit. Quia damnatum est in Michaele Baio, quod opera naturalia infidelium, omnia sint peccata: ergo ea quæ fiant absque Fide superna lata non erunt peccata, si aliàs sint honesta, etiam si fiant per solas vires naturæ: ergo adhùc perseverat tota difficultas in Augustino, dum asserit oppositum hujus, nempè quod operire nudum, si non sit ex Fide, (superna vtique apud Ripaldam, licèt lata) peccatum est. Huic igitur nodo alia solutio quærenda est, siquidem Fides lata non solvit illum.

837 Vera ergo solutio est ex Cornelio Alapide *ad Roman.* 14. *v.* 23. ex P. Oxea, & alijs, Augustinum sumpsisse illa verba Pauli: *Quod nō est ex Fide*: per Miosim, pro eo quod est ex infidelitate, sive quod fit ad cultum Idoli; id est peccatum esse quidquid non est ex Fide, sed est ex non Fide, id est ex infidelitate. Cum enim quilibet referat ad numen quod adorat, quodcumque opus bonum, relatione vel virtuali, vel habituali, vel saltim ex parte subjecti: & aliàs tempore Augustini solum esset cognitum duplex genus hominum, scilicèt fidelium

&

& infidelium idolatrantium, omne opus quod non erat fidelis supponebatur ab Augustino opus infidelis, & essens positivè ex non Fide, figuratè sumpta sive ex infidelitate, relatūque ad falsum numen, ac per consequēs ex hac suppositione ait esse peccatū. Non ergo unquam judicavit Augustinus operire nudū, sumēdo absque ordinatione ad malum finem, fore peccatū. Est ergo peccatum ex mala relatione, non autē ex defectu Fidei supernæ latæ. Et hæc sine ulla mentione Fidei supernæ latæ verificari possunt. Hunc sensum confirmat P. Oxea, ex ipso Augustino adducto ab ipso *num.*38. Vbi ait de arbore mala, de qua dictum est non posse bonos fructus facere: *Non itaque in quantum homo est, quod est, opus Dei, sed in quantum mala voluntatis est, quisque arbor mala est, & bonos fructus facere non potest.* Propositio ergo illa distinguenda est. Et quæ litteraliter sumpta falsa esset, figurate & per *miosim*, vera est.

838 Nec obest 1. Quod August. varijs in locis admisit charitatem Dei non essentem super omnia, ac per consequens latam apud Ripaldam: ergo & potuit Fidem latam. Concesso antecedenti, nego consequentiam, loquēdo de facto. Tùm quia charitas lata, & dilectio Dei lata est cōmuniter recepta apud omnes: V.g. dilectio proximi per opèra misericordiæ. Fides autem lata vix est audita ante Ripaldā. Tùm quia Augustinus loquitur, & sæpè repetit de Fide quæ est ex auditu, ac per consequens de stricta. ¶ Nec obest 2. Cognitiones veri Dei, de quibus supra à *num.*829. dici ab Augustino verè esse datas à Deo ex gratia per Christum ergo erant supernæ. Distinguo consequens: supernæ ex divina extrinseca ordinatione, concedo; entitativè, nego, vt jam est probatum. Fortè enim dabantur à Deo ob merita Christi ex fine vt removerent prohibens justificationis.

839 Ad argumenta autem adducta supra à *num.*

810. Nego ad primum & ad secundum, textus nostros commodè posse interpretari de Fide in voto, nec de Fide lata aut æquivalente vt probatum est; & quia illę cognitiones per creaturas nullum Fidei vestigium, aut æquivalentiam important, nec ex motivo, nec ex modo tendendi. Ad 3. non sufficit quod justificatio sit viribus supernis, sed debet esse ex Fide. Ad 4. respond. si Gentiles facerent amorem Dei supernum, & super omnia fore justificandos. Sed nego id futurum, licèt præcedat remotio prohibentis, vel etiam si dispositiones supernę remotę (saltim de lege ordinaria) quin pręceda: Fides stricta ex testimonio Dei per Angelum, vel hominem: Nec id esset miraculosum, (licèt esset rarum) sed debitum ex lege providentię de danda gratia facienti, quod est in se, & removenti prohibens.

840 Replicabis contra istas responsiones. Deus multo magis justificat causam suam contra Gentiles, dando eis istas cognitiones supernas in illa abundantia quam intendit P. Ripalda: ergo ita dedit. Respondetur 1. Aliud esse quod dederit, & aliud necessarium esse quod dederit ad justificandam causam suam. Permitto ego primum, nego secundum. Respondeo aliter: Justificat multo magis causam suam, ita vt non justificet illam sufficientissime sine illis, nego. Ita vt adhùc sufficientissime justificet, concedo. Solum ergo requiruntur pro magna superabundantia, de qua non constat; secùs pro sufficientia de qua constat.

841 Objicies tandem: Deus Gentilibus, eo solum quod removeant prohibens, paratus est providere proximè media Fidei: ergo nec in Gentilibus, nec in hæreticis dabitur de Fide ignorantia invincibilis, sive inculpabilis (quod quidem absurdum est, cum plures illorum, vel nihil audiverint de mutanda Religione, vel si audiverint, tamen de obligatione perseverandi in sua, ita convincuntur à Magnatibus suis, vt nulus remaneat scrupulus prudens inspectis circunstantijs in eis, ac pen

con-

consequês, nec possent tuta conscientia suam sectam relinquere,& nostram amplecti, vt docent Sanchez apud Oxea *num.14.lib.2.Moral. cap.1. & Layman. tom.1. lib.2.cap 10.*) Conseq. probatur: quia semper esset in ipsis culpa carere Fide, siquidem si removissent prohibens,non carerent illa. Respondetur: concesso antecedenti, nego consequent. Ignorantia enim vincibilis, vel culpabilis admitti nequit vllo pacto,nisi(vt optimè docuit Thomas Sanchez) precedat aliqua suspitio,scrupulus vel remorsus,qui non præcedit.

842 Dices: Quomodo ergo imputatur eis sine aliqua culpa non amplexari novam Religionem sive Fidem? Respondeo:remote & quasi radicaliter aliquam dari in eis;quia non removent prohibens, sed non formalem, neque ratione sui, nec distinctam à non removere prohibens,imputabilem; siquidem non præcessit cognitio ad voluntarium requisita. Nisi fortè in confusio adverterint privare se ipsos aliquo magno dono Dei,vt diximus *num.831.*

## ARTICVLVS III. & §.I.
## *ALIQVA INFERVNTVR DE FIDE LATA, ET alia notantur.*

843 INfero 1. Non solum infidelem peccatorem vt convertatur,& justificetur egere Fide stricta, vt probatum est ex Trident *sess.6.cap.6* Sed etiam peccatorem fidelem. Tùm quia sine Fide impossibile est placere Deo in quo etiam comprehenditur, transire de non placere ad placere Deo ex Paulo. Tùm etiam,quia ex Trident.*sess.6.cap 7.*justificatio fiat in eo,quod homo ex injusto fiat justus,& ex inimico amicus. Et de hac justificatione loquendo generaliter, inquit quod sine Fide(illa vtique de qua dixerat concipi ex auditu)nulli vnquam contigit justificatio.

844 Nec obest 1.quod experientia teste,nos sæpè

movemur ad contritionem ex sola cognitione Bonitatis Dei, & fœditatis peccati absque assensu Fidei stricte nixo revelatione Dei. Respondeo enim negando, quia licèt non experiamur Fidem expressantem pro tunc divinam revelationem, experimur aliam ex *num.* 148. nempè firmam persuasionem de divina bonitate & gravitate offensæ contra ipsam, qui conceptus etiam est Fides stricta ob derivationem essentialem ab alia expressante. Et idem dicam de Christiano peccatore Philosopho se convertente ad Deum vt Authorem supernum, vel remuneratorem. nempè non ei dari à Deo, quod eliciat contritionem supernam nisi ex Fide stricta.

845 Infero 2. Adultum si cum gratia Baptismali decedat, posse salvari sine Fide actuali stricta, (imò & sine lata) si nempè moriatur paulo post vsum rationis, saltèr quod non se obtulerit occasio audiendi aliquid de Fide, & præconcipiendi illam ex auditu. Cum enim iste jam supponatur justificatus per Baptismum, textus adducti pro justificatione, non loquuntur de isto. An autem iste, vel alius justus potuerit post vsum rationis, sua merita augere per opera honesta, directa & gubernata ex Fide superna lata? Credibile videtur quod sic, si Deus tales cognitiones supernas illi infunderet, vt v.g. supernè ex parte principij honoraret Parentes, nudos vestiret, &c. Nec enim pro isto casu invincibilis ignorantiæ Evangelij, & Mysteriorum invenientur in Scriptura, & Concilijs, textus requirentes Fidem pro augmento meriti. Dixi si detur: an autem detur resolvetur infra.

846 An autem Gentiles, vel Christiani faciant opera superna ex Fide superna lata? Pars affirmans probari potest. Primo de infidelibus: Quia nisi Deus infundat illis has cognitiones supernas ex motivo creaturarum, ad hoc vt faciant opera superna de rebus honestis per quæ mediatè se disponant ad Fidem, & justi-

fi-

ficationem, non videtur plenè, imò nec sufficienter ad impleri, quod dictum est à Paulo 1. *ad Timoth* 2. nempè: *Deum velle omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.* Non enim possunt sine his superuis cognitionibus, & affectibus se ad veritatem agnoscendam, & salutem consequendam disponere, cum Fidem ex auditu concipere non potuerint.

847 Secundo: Quia plures Patres ante fidem, aut Evangelium Gentilibus promulgatum, admittunt in eis facere aliqua sancte, & habere in se semina virtutum sive Dei. Ita Hieronymus *ad Galat.* 1. inquit: *Ex quo perspicuum fit natura omnibus Dei inesse notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, & non habere,* (ita est in textu; non autem sine particula *non*, vt referunt Ripalda, & Oxea. Et sensus est *sine Christo non habere*) *in se semina sapientiæ, & justitiæ reliquarumque virtutum. Vndè multi absque Fide, & Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, vt parentibus obsequantur, & inopi manum porrigant; magisque judicio Dei obnoxij fiunt, quod habentes in se principia virtutum, & Dei semina, non credunt in eo sine quo esse non possunt.* ¶ Idem probatur 3. Quia alij plures Patres admittunt in eis operari ex gratia per Christum, & ex hoc disponi ad Fidem. Admittere autem semina virtutum sine cognitione superna, & ex gratia, esset semipelagianum

848 De Christianis autem præcipuè existētibus in gratia, multo fortius probatur primo: Quia Cornelius Centurio, *Actor.* 10. dicitur: *Vir Religiosus, ac timens Deum.* Item quod Deus accepravit eleemosynas ipsius tanquam dispositiones ad Fidem, & propterea missus est ad Petrum vt instrueretur in illa. Non autem ista opera erant ex fide stricta cum esset Gentilis. Nec erant naturalia, quia ista nequeunt esse dispositio ad superna. Secundo ex Trident. *sess* 6. *cap.* 16. opera bona justorum habent meritum supernum, & de condigno

apud

apud Deum, quin ad hoc requiratur fides stricta; siquidem Tridens istius non meminit, dum ibi sermonem exprofesso habet de conditionibus requisitis ad meritum. Tertio: quia *Matth* 25. *Iustis propter opera Misericordiæ datur Regnum Cœlorum.* Et tamen ita sæpissimè fiunt ex compassione gubernata per cognitionem miseriæ pauperis, & quod honestum sit illis succurrere; absque vestigio vllo pro tunc fidei strictæ, sed latè supernæ.

849 Nihilominus prædicta meo videri, non convincunt intentum. Non in Gentilibus, quia textus Pauli, & voluntas Dei salvandi omnes, sufficientèr verificantur, si Deus ex parte sua præparaverit media Redemptionis, & Sacramentorum, &c. pro omnium salute quantũ est ex parte sua: & paratus sit, si ipsi tollant obstacula legem naturalem observando, dare auxilia, & & inspirationes supernas vt pergant ad Fidem (quin tamen eas de antequam ipsi removeant prohibẽs.) Hoc enim sufficit vt non stet pro Deo, sed pro ipsis quod nõ salventur cum possint. Hoc intellige de lege ordinaria & regularitèr, & quoad vim hujus textus. Alitèr posset esse vna, vel altera vice ex favore speciali Dei supra legem hujus voluntatis, & quasi promissionis.

850 Ad 2. ex PP. respõdetur: Quod quando Deus supernas cogitiones dat, ex nuper explicata liberalitate dat. Hieronymus autem qui loco citato loquitur cum magna generalitate de omni homine, habere in se semina virtutum, sed non sine Christo. Respond. locum Hieronymi esse satis difficilem, & intricatum adhùc grammaticalitèr, vt patebit legenti in fonte. Tamen loquitur de Virtutibus naturalibus summendo ly *sanctè* pro eodem, ac honestè. Quod patet, nam expressè sermonem habet de notitia Dei, quę inest omnibus per naturam. Vndè contra Michaelem Bayum asserentem omnia opera naturalia esse peccata, adduci solet communitèr à Theologis iste locus. Quin obsit, quod ipse di-

dicat: neminem sine Christo nasci, & non habere sine Christo in se semina Sapientiæ & Virtutum: ergo loquitur de habitis ex gratia per Christum. Respondeo ibi ly *sine Christo*, intelligi de Christo vt Deo influente, & non vt homine merente.

851 Quod probo primo ex contextu: Immediatè enim antea dixerat: *Quod illuminat omnem hominem venientem in mundum*: (quod de Verbo vt Deo dictũ est Ioannis 1.) *ex quo perspicuum fit, natura omnibus Dei inesse notitiam, nec quemquam sine Christo nasci.* Arguo sic ponderando illa verba *ex quo*. Ex illuminatione omnis hominis per Verbum, perspicuum fit, natura inesse omnibus notitiam Dei, nec quemquam sine Christo nasci? Atqui illuminatio illa omnis hominis fit, vt constat ex contextu Evangelij Ioannis 1. per Verbum vt Deum, sine quo factum est nihil, quod factum est: Ergo etiam, nec tale nasci fit sine Christo vt Verbo. Secundo: quia nasci non potest verificari de omnibus quod sit ex meritis Christi; benè verò quod sit ex influxu Verbi, sine quo factum est nihil. Quod autem dicat: tales homines aliqua benè operantes, magis fieri obnoxios judicio Dei, quod non credant in Deũ Respondeo: id non probare in omnibus hominibus tales dispositiones supernas; sed solum probare ipsos habuisse sufficientissimè per quod removerent prohibens.

852 Probo: quia vel loquitur Hieronymus de his qui cum audierint Evangelium non acceptaverunt. Vel de his, qui numquam audierint. Si de primis, eo ipso etiam absque fide lata sunt obnoxij judicio Dei; quia rationes expressatæ illos faciunt obnoxios, ad quod parum refert pro voluntario, expressari supernè, vel naturalitèr. Si de secundis, eis non potest ly non credere imputari ratione sui, sed solum ratione omissionis se disponendi per opera honesta superna distincta à fide. Nos autem dicimus imputari eis propter non abstulisse obstacula, observando legem naturalem. Et hac via dicimus,

mus, quod obnoxij sunt judicio Dei, & sufficientissimè salvari Hieronymi Authoritatem sine vlla fidei latæ supernæ necessitate.

855 Ad 3. de Patribus admittentibus etiam in Barbaris plura opera ex gratia per Christum. Respondemus, admittendo ex gratia extrinsecæ ordinationis, atque remotæ, ad fidem & salutem, sine entitativa tamen supernaturalitate ex parte operum. Quia sæpissimè remotio impedimentorum, & prohibentium est gratia data ex meritis Christi, ratione ordinationis divinæ ad finem supernum. Sicut dici solet de gratia externę protectionis.

854 Quoad secundam partem de operibus honestis factis à justo augmentativis gratiæ? Respondeo: argumenta facta non convincere ea fieri ex fide lata superna. Non primum de Cornelio: Quia ipse ex commertio cum Iudæis habebat fidem strictam supernam de Vero Deo sine superno, ex Alapide super illum textum. Non secundum de Trident. quia in textu adducto manifesta mentio est de fide stricta. Inquit enim *cap.* 16. circa initium: *Quod benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tunquam gratia Filijs Dei per Christum promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione, &c.* Quæ propositio vitæ æternæ, vt gratiæ, & mercedis, manifestè est propositio Mysterij, Fidei strictæ, & ex auditu. Ad 3. De Regno Cœlorum dato Iustis per opera Misericordiæ. Respond. ea debere esse supernè facta, per Fidem strictam derivatam à Fide de divina revelatione. Adde ly *mihi fecistis*: non sonare solam compassionem, sed aliquam ordinationem ad Christum cognitum per Fidem strictam in pauperibus, juxta illud: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recipiet.* Vndè hæc argumenta necessitatem Fidei latæ non probant.

## §. II.
## VERA SENTENTIA.

855 Ex quibus: Affero 1. Probabilius esse in Gentilibus ante negotium rigorosum Fidei strictæ, non dari vllam cognitionem entitativè supernam. (Voco negotium rigorosum Fidei superæ, ipsam Fidem cum suis requisitis necessarijs proximis & immediatis, qualia sunt ex parte voluntatis pia affectio, sive fidentia essentiales Fidei obscuræ, & ex parte intellectus judicium credibilitatis de Mysterio, & bono repromisso, sanctaque illustratio, quæ omnia sunt & sapiunt specialitèr lineam Fidei.) Probatur: Tùm quia August. multis in locis primam gratiam supernam semper reducit ad Fidem. Tùm quia propterea Fides vocatur fundamentũ sive substantia sperandarum rerum, & à Tridentino initium justificationis, id est ordinis superni. ¶ Tùm quia Fides lata superna ex creaturis deberet esse scientifica: & admittenda non est tam frequens scientia per se infusa, qualem etiam in Barbaris facium Fidem supernam latam Authores contrarij. Nec obest evidentia prudentiæ supernæ, & credibilitatis Mysteriorum; quia talis evidentia cum sit de rebus, vel secundum rationem communem fiendorum, aut credendorum; non vocatur scientia per se infusa: quæ debet esse de rebus secũdum rationes intrinsecas & particulares. Tùm quia, si in Patribus reperiatur insinuatio supernaturalitatis salutaris in Barbaris ante auditum Fidei; sufficienter explicatur de supernaturalitate extrinseca, sive ex divina ordinatione, & de salutaritate per remotionem obstaculorum. Et tandem si aliqua Authoritas alicujus S. Patris videatur multum vrgens, vni Patri alterum oppone juxta dicta supra *num.* 834.

856 Si respondeas ad omnia hęc, opera superna facta ex Fide lata à Gentilibus, jam esse de negotio, &

linea Fidei strictè, quia sunt virtualitèr, & incohatè quædam pia affectio ad bonum salutis, reddens hominem piæ affectum ad credendum, quia cum per quemlibet actum vellint esse honesti in moribus saltem implicitè, honestate fructuosa, si occurreret eis quando eliciunt illum actum necessitas Fidei, vel amplecterentur illam, vel desisterent à tali actu. Ita tenet Pater Oxea *disputat.12 num.71.*

857 Sed contra: quia illi actus nihil habent de Virtualitate, aut linea Fidei, nec aliquod speciale munus ipsius. Et sic salutaritas, quæ ab ipsis incipiat; non ideò incipit ab aliquo Fidei. Probatur: quia nihil habent de Fide in re. Nec de Fide in voto, pia affectione, aut animi præparatione. Prima pars probatur, de aliquo proprio fidei in re. Nam in tali cognitione fidei latæ, nec datur obscuritas, sed potius evidentia convincens. Nec datur motivum divinæ locutionis, quia hæc vt esset talis, exprimere debebat Deum ita sentire, vt diximus supra à *num.816.& 821.* Ergo cum de fide in re, nec participet specialitèr motivum, nec modum sentendi; de fide in re vt tali nullam importat virtualitatem.

858 Secunda pars de affectione, aut voto. Probatur: Tùm quia cum voto virtuali non compatitur omissio rei votæ, si se offerat occasio: Atqui est compatibilis dissensus fidei, sufficienterè propositæ imò & sufficientissimè, cum operibus Misericordiæ in Gentilibus, quia potest in ipsis dari, vel tenacitas, vel passio se opponens creditioni vt contingebat in Iudæis: ergo non fuit fides in voto. Tùm etiam, quia ideò non est contritio, aut confessio in voto in homine fideli repetitio operum Misericordiæ, aut Virtutum Moralium, quia cum illis compati valet esse in peccato mortali, licèt conceperint necessitatem veræ contritionis pro salvatione obtinenda. ¶ Atqui multo magis in Gentilibus velle permanere in infidelitate, & nolle piè affici ad res

suffi-

sufficiētèr propositas vt credibiles, vel se obcœcando vt negēt esse credibiles, vel adhùc intuitēdo in eo, quod bonè possunt esse credibiles, & non vere: ergo nihil habent de fide, aut pia affectione adhùc in voto Quorum ratio in vtrisque est, quia per opus Misericordiæ volunt esse honesti fructuosè, sed honestate, & fructu solo particularis Virtutis, & non vniversarum. Non ergo incipere ab illis salutaritatem, esset incipere à fide adhùc virtualitèr, & cum lex detur de eo; quod salutaritas incipiat à fide, illę regularitèr admittendę non sunt.

859 Objicies: Iacobus *in Epistola Canonica, cap.* 2. pro justificatione postulat opera: Atqui Paulus non opera, sed Fidem. Inquit enim: *De Abraham, quod est justificatus, sed non ex operibus*: ergo ne sint contrarij dicendum est, quod opera ipsa sunt quædam incohatio Fidei. Respondetur negando consequentiam: Quia Iacobus loquitur de operibus post Fidem acceptam, quia Fides sine operibus, id est sine contritione, mortua est. Paulus verò loquitur de operibus ante Fidem auditam, quæ justificationem non incipiunt. Et sic nego quod sint incohatio Fidei, imò & nego, quod dentur opera superna ante negotium speciale Fidei.

860 Assero 2. Nec in Iustis fidelibus de lege ordinaria, & regularitèr fiunt opera superna, nisi ex Fide stricta. Non quod requiratur illa, quæ exprimit revelationem sed quæ ex conceptu suo petit illam modo explicato hic à *num* 844. & à *num.* 148. Hoc mihi probabilius est cum Cardinali de Lugo. Probatur: Tùm quia ex Scriptura magis hoc deducitur quam oppositum. Per Fidem enim ambulamus. Item lucerna pedibus meis Verbum tuum. Lucerna autē Fides est, & illa est quæ dirigit in via gressus, etiam meritorios nostros. Id ipsum roboratur de meritis ex solutione ad Tridentinum data. Quin obsta dari in Iustis prudētiam supernam evidentem & dirigentem merita eorum. ¶ Fateor:

sed

sed exercitium ejus practicè dictaos quod,v.g.Confessio sit facienda,vel eleemosyna danda,fundatur in assensu Fidei de eo,quod talia opera sint honesta,& Deo placentia,ipsumque placantia,& esse dispositiones pro obtinenda vita æterna,quę judicia sunt Fidei strictę.

## ARTICVLVS IV.

### *DE NECESSITATE FIDEI AD OPERANDVM honestè naturalitèr.*

861 Michael Bayus inter alias propositiones damnatas à Pontificibus, dixit in propositione 22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Roman.2. (Gentes quæ legem non habent,naturalitèr quæ legis sunt faciunt) intelligunt de gentibus, Fidei gratiam non habentibus.* Item in propositione 25. dixit: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Idem secutus est Iansenius *lib.3.de statu naturæ lapsæ à cap.5.*& etiam *lib.4.*per plura capita. Vadè docens ita esse necessariâ Fidem ad non peccandum,vt omnia opera infidelium, etiam honorare Parentes & vestire nudos,sint peccata in ipsis.

862 Probat Iansenius ex multis Authoritatibus Sanctorum Patrum, & præcipuè Divi Augustini, qui multis in locis repetit,omne quod non est ex Fide peccatum esse. Quod quidem sumpsit ex Divo Paulo. Alij autem Patres, vel idem dicunt, vel saltim repetunt opera infidelium non esse bona: Ergo quia necessaria est Fides ad quodcumque opus bonum, & honestum, etiam naturale.

863 Sed in primis textus ille Pauli sæpè ab Augustino sumptus: *Quod non est ex Fide peccatum est:* Litteralissime & in toto rigore, ex multis PP. apud

Alas

Alapide intelligitur, de eo quod non fit ex bona Fide, & credulitate, sive ex dictamine conscientiæ, sed potiùs contra illud. Hoc enim peccatum est. Quia tamen adhùc interpretatio Augustini sustineri potest ex lege illa de duplici sensu litterali in eodem Scripturæ textu, ideò dicimus ex dictis supra à *num.* 837. Augustinum ly *non est ex Fide*, sumpsisse non tanquam locutionem propriam, sed figuratam, nempè per figuram Miosim, pro eodem, ac quod est ex infidelitate; sive per relationem (formalem aut virtualem) talis operis ad Idolum: hoc enim ratione mali finis semper est peccatum.

864 2. Probat ex alijs Patribus, omnia opera infidelium asserentibus, non esse bona: alibi autem positivè asserentibus esse peccata. Respondetur illos Patres, qui dicunt talia opera non esse bona, (etiam si sint opera Misericordiæ, vt operire nudos, vel lege naturæ ordinata, vt honorare Parentes) intelligendos esse de bonitate proximè conducente ad vitam æternam. Carere enim tali bonitate certum est, & de ea intelligi debere, constat ex Augustino *lib. 4. contra Iulianum, cap. 3.* dicente: *Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei gratia, quæ datur per vnum mediatorem Dei, & hominum neminì posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, Regnumque perduci.* Talis autem bonitatis carentia, non impedit naturalem & moralem honestatem, licèt impediat specialem conducentiam ad salutem per modum meriti, aut positivę dispositionis. Quando autem PP. dicunt, esse peccata, vel possunt intelligi esse positivè moralitèr defectuosa ex mala ordinatione ad finem, Idoli scilicèt, vt dictum est; vel saltim ad alios fines, satis in ipsis frequentes, scilicèt vanæ gloriæ, lucri temporalis, vel similium: vel esse defectuosa, non positivè, nec moralitèr, sed negativè; quatenùs carent conducentia positiva ad vitam æternam.

865 3. Probat: quia illud opus nequit esse bonum, quod caret debita ordinatione ad vltimum finem. Hic autem solum est ipse verus Deus ad quem infideles non possunt sua opera ordinare; cum eum, vel non cognoscant, vel saltim vt verum Deum non recognoscant, nec colant. Respondetur duplicem in opere bono naturali posse dari ordinationem ad verum Deum. Vnam expressam, & formalem: Aliam implicitam, & virtualem. Non dari primam in operibus honestis infidelium probat argumentum factum: Sufficit tamen secunda nempè ordinatio positiva ad bonum honestum, & cõforme rationi naturali signatę à Deo in mẽtibus omnium hominum, tanquam lumen vultus Dei, atque participatio honestatis divinæ. Dum ergo homo operatur aliquid honestum, ob rationem honestam apprehensam vt talem, (nihil cogitando de Idolo, sed positivè in tali honestate sistendo) jam ordinat opus suum ad verum Deum, non quidem ordinatione expressa, & signata ad ipsum in se ipso, sed ordinatione exercita & virtuali, & ad ipsum in sua participatione, quod sufficit ad opus naturale honestum.

866 Potest probare 4. Si opera infidelium posset constare esse honesta, maximè ex præmio eis in Sacra Scriptura promisso, & aliquando dato, vt v.g. *Exodi* 1. dicitur: *Benè ergo fecit Deus obstetricibus*, (quia nempè non occidebant infantes Hæbreorum, licèt præcepisset Rex,) *& quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis Domos.* Atqui tale præmium non probat honestatem in illis operibus. Tùm quia, *Matth.* 6. dixit Christus *de jejunijs hypocritarum, quod receperunt mercedem suam*: Ergo merces solet dari à Deo operibus materialitèr bonis, & formalitèr vitiatis, & peccaminosis. Tùm quia in talibus obstetricibus vitiata erat Misericordia illa puerorum per mendacium, de eo quod mulieres Hæbreæ, antequam ipsę advenirent, jam pepererant, puerosque absconderant. Ea

tamen

tamen istud opus licèt vitiatum, est à Deo præmiatum, quia Deus nihil impręmiatum, nec impunitum relinquit, & quia opus materialitèr sumptum bonum erat, pręmiabatur à Deo.

867 Respondetur 1. negando majorem, non quidem absolutè, sed quoad nos, nempè quia nos non cogimur vti tali probatione. Respondetur 2. Permissa majori, negando minorem: quia cum pręmium sub ratione præmij sit correlativum morale meriti, & obsequium moralitèr vitiatum, non potest esse meritum, nec æstimari vt tale apud Deum, nec Deus poterit illi dare præmium. Ad primam probationem de hyppocritis, concedo accepisse mercedem suam, quam merebantur, & procurabant, nempè gloriam apud homines propter quos jejunabant, sed non apud Deum. Ad illud de obstetricibus. Respondetur in ipsis fuisse opera independentia, Misericordiam, & fallaciam, cum vsi fuerint ista ad occultandam illam, postquam jam facta erat, & facta ex timore Dei, ac per consequens non vitiata ex malo fine. Videatur Augustinus *libro contra mendatium, cap. 15 Exodi 2.*

868 Tandem, si aliquando Deus dedit aliquod bonum ad præsentiam alicujus obsequij materialitèr boni, vitiati tamen ex malo fine; non dedit in pręmium, nec causa dādi significabitur nomine virtuosi obsequij, (sicut significata est in obstetricibus, *quia nempè timuerunt Deum*,) sed dat Deus ad alliciendum animum aliorum ad similia obsequia, secundum quod habent de bono.

869 Assero ergo; quod ad opus honestum naturale, non est necessaria Fides superna, nec ex ejus defectu omnia opera infidelium erunt peccata. Hæc sententia est certissima, & communis Scholasticorum, nempè Divi Thomæ *quæst 10. de Fide, artic. 4.* Bellarmini *lib. 5. de Gratia, & libero arbitrio.* Durandi *in 2. dist. 41. quæst. 1.* Eam docuerunt ex nostris Carmelitis

Calcearis Bacconius Princeps Averroistarum *in 4. distinct.1. quæst. 2. artic. 2.* Michael de Bononia *in 2. dist.41.* Augustinus à Virgine *in suo Cursu Theologico, tom 3. Tract. de Fide, disputat.17. quæst.3.* contra Iansenium, & Iansenistas. ¶ Item P. Martinez de Ripalda *tom. 3. de Ente supernaturali*, valdè ex professo articulos Bayanos impugnans, *disput.20.* hanc eandem assertionem, vt certam inter Catholicos eruditè defendit. ¶ Probatur 1. Quia B. Pius V. & Gregorius XIII. & Vrbanus VIII. inter alios Articulos, & propositiones Michaelis Baij damnatas, tanquam hæreticas, erroneas, & scandalosas, & piarum aurium offensivas comprehenderunt propositionem 26. quam Bayus docuit *lib. de Virtutibus impiorum, cap.5. & 6.* dicens: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

870 Respondent 1. Tales propositiones nõ fuisse damnatas vt falsas, sed vt pacis pro tunc turbativas, sive vt scandalosas. Sed contra: quia manifeste constat ex ipsa Bulla damnatas vt hæreticas, & erroneas, &c. & non solum vt scandalosas. Respondent 2. Verba Bullæ non determinare hanc propositionem vel aliam determinate esse hæreticas; inquit enim sic vt referunt ipsi: *Quamquam nonnulla aliquo pacto sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu ab asserteribus intento, eas tamèn vt hæreticas damnamus.* Si ergo in rigore, & sensu ab Authoribus intento sustineri possunt: ergo non sunt damnatæ propter falsitatem, sed propter scandalũ quod sequebatur, & præcipuè ex censuris quas Bayus apponebat sententijs, alias probabilibus, v.g. propositioni 22 adductæ *num.861.*

871 Sed contra 1. Quia quidquid sit: an Pontifices in Bayo damnaverint censuras solas in propositionibus illas habentibus, & non assertiones Baij, (habet enim verumque suos Patronos,) tamen propositio 26. quam impugnamus, cum non inurat censuram, ex hoc

capite, non eximitur à damnatione hæreticæ. Item nec ex verbis damnationis ab ipsis adductis; quia in modo scribendi falsificata sunt ab illis, per coma falso interpositum, inter ly in sensu ab Authoribus intento, & ly eas damnamus. Potiùs enim legendum est sic: *Quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*, (coma) *In rigore tamen, & sensu à suis Authoribus, intento eas damnamus.* Ita declaravit legendum Vrbanus VIII. apud Ripalda, tales propositiones, & simul malam comatis interpositionem de novo damnans.

872 Contra 2. Quia inutilis omnino redderetur Pontificia damnatio, si in sensu ab Authoribus intento aliquæ propositiones defendi possent: siquidem nullam determinando, de qualibet posset dici, quod illa in sensu ab Authoribus intento defendi potest: ergo ne fiat infructuosa damnatio, sensus est, quod licèt aliquę possent absolutè sustineri, in sensu tamen ab Authoribus suis intento, nulla potest.

873 Secundo probatur: Quia nullus homo compos rationis datur, qui solo naturæ lumine instructus non cognoscat rationabile esse Parentes honorare, Fidem datam servare; imò & verum Deum colere. Vndè Apostulus adductus supra *num.* 826. declarat inexcusabiles homines, solo naturæ doctu Deum non glorificantes: Ergo quia verè possunt absque Fide verum Deum agnoscere & colere. Si enim hæc opera eis occurrant vt rationi conformia: & pro tunc nihil occurrat in contrarium, quid vetat ea facere ex tali motivo, cum facillima sint? Tunc ergo non erunt peccata. ¶ Confirmatur ex Patribus, præcipuè Hieronymo supra à *numer.* 847. adducto.

Non ergo pro opere omni naturali honesto necessaria est Fides.

# QVÆSTIO XV.

## DE ARTICVLIS NECESSARIO CREDENDIS.

## ARTICVLVS I.

### PROPONVNTVR SENTENTIÆ.

874 NOta 1. Quod non est sermo de necessitate præcepti, sed solum de necessitate medij, & loquimur de omnibus hominibus indiscriminatim pro illo statu; nam necessitas medij eadem est in omnibus. Quod enim inter Hæbreos Pontifex, vel Magnates sapientissimi in populo, & inter Gentiles Sanctus Iob, deberent aliqua specialitèr credere, id est ex præcepti, non verò ex medij necessitate. Si enim à præcepti obligatione excusarentur per possibile, vel impossibile ex inadvertentia, vel ex alio capite, per medium solum commune omnibus, salvari possent. Item est sermo de necessitate medij simpliciter & absolutè, & prout *in re*, nam necessitas medij *in voto*, saltim implicito, dicitur communiter comprehendere alia Mysteria, quia alia continentur in Articulo divinæ Providentiæ supernaturalis, necessitate medij credendę.

875 Nota 2. Quod est quæstio valdè diversa, si sermo sit de Mysterijs credendis explicitè, & de credendis implicitè. Ille assensus est Fides explicita, qui clarè & distinctè, & per proprios terminos, (licèt non quidditativos, sed superficiales) expressat Mysterium, quod credit, prout est Mysterium distinctum ab alio. Ille verò est Fides implicita, qui attingit Mysterium, prout implicatū, & involutum cum alijs vnius sine distinctione ab alio continente illos confusè. V. g. cum credo omnia, quæ sunt in Scriptura, etiam in ea credo implicitè Tobiam habuisse canem.

Ne-

876 Notandum est etiam tertio: Nos non loqui hic de augmento justificationis, nam pro augmento sufficit quævis cogitatio & inspiratio superna dirigens, sed de transitu à peccato ad gratiam justificantem: qui transitus est duplex. Vnus in infideli non baptizato ad gratiam. Alius de peccatore fideli ad gratiam.

877 Nota 4. Quod est magna diversitas, si sermo sit de Mysterijs credendis necessario in lege naturæ, & in lege Scripta; imò & in initio legis Gratiæ, ante sufficientem Evangelij promulgationem per totum Orbem, quæ facta est per Apostolos. Vel si sermo sit post promulgationem sufficientem, quæ contigisse videtur post excidium Civitatis Hierusalem per Titum, & Vespasianum; quia tunc fuit tantus clamor & rumor per totum Orbem, media prædicatione Apostolorum, vt tunc adimpletum sit: *Quod in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.*

878 Loquendo ergo ante Evangelium promulgatum sufficienter, est quadruplex sententia circa Articulos *in re* credendos necessitate medij. Prima ponit tres, nempè de Deo, *quia est, quia Remunerator est, & de Christo Mediatore, & Redemptore*, explicitè credendos. Duos primos probat ex Paulo: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia Remunerator est.* 3. Quia Scriptura Sacra sæpè clamat, neminem potuisse justificari, nisi per Christum, & ejus merita in omni statu & lege. Hæc sententia est aliquorum antiquorum, & sequitur illam ex Modernis Philippus à Trinitate apud Gonet. Sed quantum ad tertium Articulum, (quem superaddit contra sententiam communem,) hæc ratio nihil probat. Respond. enim aliud esse justificari omnes per Christum vt merentem & aliud per Christum vt explicitè cognitũ & creditum tanquam merentem. Solum primum docet Scriptura,

non verò secundum. Etenim omnia auxilia omnibus data, sunt data à Patre propter merita Christi, prævisa à Patre dante, quin sint prævisa, aut expressè cognita à peccatore se convertente. Vt autem vniatur peccator conversus cum Christo vt capite; sufficit vnio per Fidem supernam, vel per gratiam habitas ex meritis Christi, sine expressa cognitione Christi; quia illa vnio non debet esse objectiva, sed per similitudinem Fidei acceptam ex Christi meritis.

879 Secunda sententia admittit solum duos Articulos Pauli explicitè creditos, & in illis implicitè Christum, tanquam medium præcipuum divinæ Providentiæ ad remunerationem. Conveniunt in hac sententia communitèr Thomistæ, & Recentiores, quia justificatio fit per conversionem ad Deum vt summè bonum, & vt vltimum finem; & requiritur, non solum Fides de Deo, sed Fides in Deum. Creditur autem vt vltimus finis, & implicitè vt per visionem obtinendus, dum creditur vt Remunerator.

880 Tertia sententia, etiam admittit duos Articulos Pauli, exclusò tertio quoad Fidem explicitam, sed distinguit inter illos duos, & ait: Quod dum peccator fidelis convertitur & justificatur, non requiritur Fides expressa, & actualis de secundo Articulo Remuneratoris, sed solum de primo, nempè de Deo vt summè bono. Quando verò ille, qui convertitur est infidelis & non baptizatus, requiritur Fides de vtroque. Secunda pars patet: quia infidelis debet accedere ad Deum, non sola voluntate per contritionem, sed etiam intellectu per Fidem, cum recessisset à Deo per non Fidem. Solum autem accediturr sufficientèr per Fidem ex parte intellectus, quando de Deo creduntur, non solum ipse Deus, in quo implicitè omnia Dei continentur, sed etiam Deus vt Remunerator, & vt vltimus finis repromissus obtinendus per media suæ Providentiæ, in quo implicitè continetur omnia alia Mysteria extra Deum.

Ac peccator fidelis, cum per Fidem maneat conjunctus Deo ex parte intellectus, & solum indigeat vnirì, & accedere per voluntatem, solum debet illam Fidem præmittere, quę ex natura rei est necessaria simpliciter *in re* pro exercenda contritione; ad hanc autem sufficit Fides de Deo, quia est summè bonus.

881 Et hæc doctrina probatur: Etenim peccator fidelis sæpè, si considerat se Deum summè bonum gravitèr offendisse, ex hac sola consideratione dolet efficacitèr de peccato, propter solam divinam bonitatem, omninò oblitus de remuneratione: hęc enim vt talis requiritur simplicitèr pro actu Spei Theologicę; nullo autem pacto pro actu charitatis puræ. Eo ipso autem quod quis supernè conteratur ex toto corde de peccato propter bonitatem Dei, manet justificatus. Ad contritionem autem sufficit si proponatur sola bonitas Dei, cum sola sit motivum adæquatum illius, præcissa omnino recordatione remunerationis. Videatur Conninch *disput. 14. dub. 9.*

882 Ad hoc argumentum P. Orea *disputat. 13. sect. 2.* respondet pro communi sententia requirente Fidem de duplici Articulo, voluntatem peccatoris posse moveri, ex cognitione Dei præcisè ad amorem Dei, & displicentiam peccatorum propter Deum, inefficaces tamen & insufficientes ad justificationē. Contritio etenim efficax requirit necessariò secum conjungi propositum efficax non peccandi per totam vitam: tale autem propositum, licèt non repugnet physicè induci sine cognitione Remuneratoris; repugnat tamen, & est moraliter impossibile sine illa. Attenta enim humana inclinatione ad bonum delectabile, & magna difficultate atque insuperabili abstinendi à peccatis per totam vitam, voluntas non determinabitur ad propositum practicè efficax, nisi alliciatur & roboretur per Spem tam magni præmij, non quidem vt per motivum contritionis & propositi, sed vt condi-

tio.

tionem animantem, vt ad illud voluntas toto conatu se applicet.

883 Sed contra hoc objici potest: Tùm quia aliquando magnus peccator indolis generosæ, repræsentata fœdissimæ peccati ex vna parte, & ex alia bonitate sola Dei, (ex qua magna illi fecit beneficia) quin occurrat aliud motivum, solet dolere efficacissimè de peccatis propter Deum, & proponere seriò numquam peccare, ne Deum offendat: Tùm quia aliquando cõtingit, quod ita inardescit in summam Dei bonitatem, vt libenter & serio cederet suæ beatitudini, & omnes Inferni pœnas amplectereturvt placeret Deo & reconciliaretur ipsi. Tùm quia proposita vehementèr divina bonitate, ipsa sola est motivum sufficientissimum, non solum ad dolendum de peccatis inefficacitèr sed efficacitèr, & cum firmo proposito numquam peccandi: jam enim in hoc datur totale contritionis & propositi motivum.

884 Ratio autem est, quia licèt in exercitio non peccandi per totam vitam sint plurimæ difficultates, quæ seorsim ponderatæ deterrerent peccatorem à proposito; sæpè tamen nec ponderantur, nec se offerunt, & propositum concipitur serium & efficax abstinendi generalitèr à peccato; & sufficit si concipiatur, vt vulgo dicimus *à vulto*, aut superficialitèr ex parte rei cognitæ: ergo ad efficacem contritionem & propositum non requiritur expressa cognitio remunerationis, adhùc vt conditio illicitus & roborans. Tùm denique, quia apud plures Theologos, non requiritur ad justificationem formale, & expressum propositum emendationis, sed sufficit virtuale inclusum in vera & seria contritione propter divinam bonitatem.

885 Vndè 4. sententia est P. Arriagę *disp.12. sect.5.* & nostri Bonespei asserentiũ contra communem: sufficere Fidem de primo Articulo D. Pauli; secundum verò, quod Fidem remunerationis explicitam, nec adhùc

nunc

gunc requiri ad justificationem, vt medium *in re*. Primò, quia peccator fidelis potest dolere de peccatis propter pœnam æternam vt à Deo inflictam, quin recordetur de præmio, si de eo non sit instructus, & potest confiteri cum Spe veniæ, absolvi, & justificari. Secundò, quia notitia remunerationis solum pro Spe requiritur non pro cõtritione orta ex charitate. Tertiò, quia dum paulatim instruitur Cathecumenus, potest prius instrui de divina bonitate, gravitate offensæ, & de obligatione numquam peccandi, & tunc Cathecumenus sine vlla remunerationis notitia, converti potest ad Deum ex toto corde.

886 Ad locum autem Pauli respondet Arriaga, Articulum de Remuneratore, licèt communiter & ex præcepto sit explicitus, pro aliquo tamen casu, & prout importat necessitatem medij, sufficit implicitus & *in voto*. Articulus autem de Deo *quia est*, sive vt est summè bonus, debet necessariò esse explicitus, quia requiritur simpliciter, & ex natura rei pro actu contritionis. Imò ly *oportet* prout comprehendit vtrumque Articulum, satis indicat se non loqui de necessitate medij, *in re*, sed implicitè, & *in voto*, & pro complemento, & integritate attingendi Deum Theologicæ vt vltimum finem, integrè tactum per Fidem, Spem, & Charitatem.

## ARTICVLVS II.

### *NOSTRA SENTENTIA.*

887 ASsero 1. cum communi sententia contra primam: non fuit, ante Christi adventum medium necessarium *in re* Fides explicita de Christo, nec de Mediatore, aut Redemptore, sed sufficiebat implicita de ipso incluso in Deo Remuneratore Ita Divus Thomas multis in locis, præcipuè hic *artic. 7. ad tertium.*

*tium.* Probatur: quia Divus Paulus *ad Hebr.*11.pro accessu,& conversione ad Deum, solum requirit credere, *quia est*; & quia *Remunerator est.* Si autem aliud requireretur vt medium, processisset diminutè in re gravissima, vtpote ad salutem necessaria simpliciter: Atqui veramque potest credi sine notitia explicita Christi: potuit enim Deus esse Remunerator per alia media superna, etiam si Christus non fuisset venturus: ergo.

888 2. Probatur, quia D. Paulus *ad Galat.*3. loquens de Fide Christi, ait: *Iudæos fuisse conclusos in ea Fide, quæ revelanda erat*: Ergo Fides de Christo erat, nõ revelata, sed revelanda; adhùc pro ipsis Iudæis, & multo magis pro Gentilibus. Vnde licèt Iudæi communiter viderent in Templo Sacrificia multa, Christi mortem & Redemptionem significantia, sed communiter non noscebant in illis istam significationẽ, quam soli Magnates penetrabant, & aliqui solum noscebant fieri in Cultum Dei. Imò Iudæi cõmuniter, licet expectarent Messiam suum, solum expectabant vt hominem, & Regẽ Temporalem, atque liberatorẽ ab inimicis temporalibus ipsos oprimentibus; quin existimarẽt expresse Deum hominem, nec Redemptorem à peccato.

889 3. Probatur: quia Fides explicita de Christo tunc, vel fuisset necessaria ex natura rei, vel ex divina institutione: Atqui non primum, quia sine illa, vt probatum est, poterat peccator converti ad Deum vt vltimum finem. Non secundum quia de tali institutione, nec constat ex Scriptura, nec ex traditione. Talis autem res, vtpote pertinens in re ad medium vnicum salutis, debuisset à Deo toti Orbi intimari, cum Deus non deficiat in simpliciter necessarijs. Nullibi autem constat de tali intimatione vel notitia, saltim pro Gentilibus: est autem credendum de divina bonitate in tot Gentilium millionibus, plures ex simplicibus fuisse salvatos sine hac notitia, & per Fidem Dei Remuneratoris.

Nec

890 Nec obest 1. D. August. *lib. 18. de Civitate Dei, cap. 47.* dicens: *Nemini ante adventum Christi concessum fuisse quod esset Iustus, nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei, & hominum Homo Christus.* Respond. ex Gonet, intelligi de sola Fide implicita. Sicut quando *lib. contra Pelagium, & Cœlestinum,* (qui liber est de peccato originali) *cap. 24.* ait: *Neminem potuisse antiquitùs à peccatis mundari sine Fide Incarnationis & Mortis, & Resurrectionis Christi*, quod solum de implicita potest verificari. Quod ego confirmo. Nam ex illo Ioann. *Nos audivimus ex lege, quia Cristus manet in Æternum*; saltim colligitur, quod de morte Christi in vulgo Iudaico dabatur ignorantia. Sed ego dicerẽ ad August. quod ly *cui* nõ sonat, quod ipsi notificatus sit expresse advẽtus Christi (aliàs revelatio fuisset facta cuilibet justo, iã id sonat rigor verborum) sed ly *cui* sonat Hispanè, *para quien*, id est in cujus utilitatem specialem promissio, & revelatio de Christo venturo facta est, sed Capitibus Ecclesiæ, non autem ipsi.

891 Aliam solutionem ponit Gonet dicens, Augustinum loqui de Iustis salvatis, quod quidẽ verũ est; nam in Limbo omnes habebant Fidem explicitam de Christo. Sed quod Augustinus loquatur, nomine Iustorum, de Sanctis provt in Limbo consummatis, alienum videtur à mente ipsius. ¶ Nec obest 2. Quod PP. sæpè insinuant, Fidem explicitam de Christo fuisse, & necessariam fuisse in omni tempore, & statu. Respond. eos non loqui de necessitate in singulis individuis, sed solum in Capitibus Ecclesiæ, in quibus erat necessitas præcepti de tali notitia.

892 Nec obest 3. Quod in lege naturæ parvuli justificabantur per Fidem Mediatoris, ipsis à Parentibus applicatam per aliquod signum externum, & protestativum, Mediator autem est Christus: ergo ista notitia erat communis in populis & necessaria. Respond. di-

distinguendo antecedens: per Fidem Mediatoris implicitam, concedo; explicitam, nego. Fortè enim nec de peccato originali habatur notitia communis; & sic nec de Mediatore, & multò minùs de Mediatore homine Deo. Iustificabantur ergo parvuli per Fidem vnius Dei, & ad summum Dei Remuneratoris protestatam à Parentibus signo aliquo externo, quo Deo dedicabant Infantes, & Christus implicitè per illam credebatur.

893 Assero 2. Satis probabile mihi esse, sufficisse Fidem explicitam in re de primo Articulo, id est de Deo, quia est summum Bonum. Et probatur: quia ista sufficiebat ad contritionem cum proposito efficaci, vt probant argumenta facta pro alijs sententijs. Et Paulus intelligi potest de Fide Remuneratoris *in voto*, quod etiam habet locum in conversione peccatoris infidelis. Si enim iste de sua infidelitate, etiam culpabili, postea haberet oblivionem invincibilem, vel ignorantiam invincibilem de obligatione retractandi, jam posset per contritionem justificari modo dicto, & per Fidem Dei summi Boni. Tunc autem accederet ad Deum non solum per voluntatē, sed per intellectum, quantum postulabat obligatio accedendi per intellectum, nempè vt posset justificari. Tunc autem locus Pauli sufficienter salvatur de Fide Remuneratoris in voto; ipsa autem frasis D. Pauli ita indicat. Primò enim dicit: *Quod sine Fide, impossibile est placere Deo*, quæ verba de necessitate *in re*, requirunt illam Fidem, quæ necessaria est ex natura rei pro contritione. Postea autem, dum loquitur de Articulis in particulari, vtitur verbo illo *oportet*, quod non significat necessitatem medij simpliciter & *in re*, sed explicari potest de necessitate medij minus stricta, nempè *in voto*.

893 Quod si Paulus eodem contextu & stylo, videatur loqui de vtroque Articulo existentiæ Dei & remunerationis, & inde arguat: ergo vel vtrique explicitè est necessarius *in re*, vel vtrique solum *in voto*.

Ref-

Respondetur 1. distinguendo consequens: ex præcisa vi hujus clausulæ permitto; ex vi primæ de impossibilitate placēdi Deo sine Fide, nego: quia ista petit illam Fidem, quæ ex natura rei requiritur ad contritionem. Respond. 2. fortè non loqui eodem sensu & stylo; sed sensus est: sine Fide in Deum impossibile est placere Deo. Oportet autem, vt hæc Fides non sit contenta expressè credere *quia est*, (vt postulat natura contritionis) sed vlteriùs addat credere, quia Remunerator est, quia istud secundum, supra primum, oportet id est, conducens est, non ad necessitatem sicut illud, sed ad integritatem credendi in Deum, vt in vltimum finem Theologicè speratum. Hæc intellige disputativè & speculativè loquendo: Practicè enim.

894 Assero 3. Vterque Articulus est explicitè credendus necessitate medij *in re*. Sic teneo: Tùm ne discedamus à D. Thoma, & communi sententia Theologorum cum ipso, ita D. Paulum intelligentium. Tùm quia, si Deus daturus est auxilium supernum necessariò pro Fide de primo Articulo, ad Providentiam ejus spectat excitare memoriam de Remuneratore, non quidem ex natura rei requisitam (vt probant argumenta facta) sed ex institutione per D. Paulum declarata. Vtrumque enim est Deo æquè facilè sine miraculo, vt homo noscat & Deum summè bonum, & simul remissivum offensæ, & Remuneratorem per media suæ Providentiæ; & non dabit Deus vnam cognitionem supernam sine alia, quando instat tempus se convertendi pro justificatione. (Et in hoc stat illud sæpè repetitū à nobis, nempè quod Deus ruditati hominum prospiciens, infundat tales notitias. *Vide à num.* 594.)

895 Cognoscitur etenim Deus tūc facilitèr vt Gubernator mundi, & vt ad eum spectat dare præmia pro bonis, & punire malos, & ex hoc peccator excitari potest ad dolendum de peccatis propter summam Dei bonitatem, intendens pro Remuneratione doloris remissio-

nem

nem sui peccati, atque divinam benevolentiam & re-cõciliationem cum Deo propter bonitatem Dei, (quod quidem præmium tunc non erit objectum Spei, sed Charitatis, & vterque Articulus erit pro Charitate.)

896 Tùm denique, quia necessaria est Fides, saltùm implicita in Christum, si non vt hominem, saltùm vt medium remissionis peccati, & Dei Providentiæ sive Dei vt Salvatoris. At Fides implicita de Deo remissore non continetur in primo Articulo vt tali, nec continetur in contritione, sed solùm in 2. Articulo de Deo Iudice, sive Remuneratore: ergo iste Articulus explicitè credendus est, vt in eo implicitè includatur Fides implicita de Christo. Min. quoad 2. partem, (nempè Fidem implicitam de Christo non contineri in contritione) probatur: quia Fides etiam implicita est actus elicitus intellectus; at contritio est actus voluntatis: (sicut & propositum admittendi Fidem:) Fides ergo illa ad summum erit objectum contritionis, contentum objectivè in illa vt voto, sicut continetur Baptismus & Pœnitentia; non autem continetur in contritione formalitèr. Fides autem implicita de Christo, benè continetur in Fide intellectuali Dei Remuneratoris, quia Christus vt Iudex vivorum & mortuorum, est medium Remunerationis.

897 Vadè in isto Articulo, licèt non clarè exprimatur Christus vt homo nec vt Redemptor; exprimitur tamen secundum aliquam rationem propriam ipsius, nempè Medij Remunerationis. Sic autem licèt adhùc credatur implicitè Christus; tamèn aliqualitèr explicatius quam alia credita generalitèr solum *in voto*, v.g. Baptismus & Pœnitentia. Hanc conclusionem de Fide necessaria veriusque Articuli intellige de conversione peccatoris infidelis, & etiam de fideli; quia iste, dum conteritur, exspectat quod Deus propicietur sibi in remunerationem sui doloris, & saltùm reconciliationem intendit ex motivo divinæ bonitatis.

Ad

898 Ad argumentum P. Arriagę & aliorum; intendentium sufficere ad justificationem contritionem, & ad hanc, Fidem de vno Deo summè bono cognito vt offenso, concedo sufficere quidem ex natura rei, & in alio ordine rerum; secùs in isto, in quo Deus non dabit contritionem perfectam, absque eo quod infuderit Fidem veriusque Articuli.

899 Si objicerer 1. libere id dici: Negamus, quia ita per Divum Paulum intimavit. Si 2. sæpè teste experientia nos dolere de peccatis sine tali Fide: Distinguo, sine tali Fide de providentia alicujus remunerationis supernæ, (vel per Beatitudinem, vel saltùm per reconciliationem cum Deo obtinendæ) nego. Sine Fide remunerationis determinatè per beatitudinem vt vltimum finem, subdistinguo: sine Fide concepta cum perfecta expressione, & ponderatione beatitudinis, concedo. Concepta actu sine tanta expressione, sive cũ sola superficiali actuali & tenui (licèt ita actuali, vt sapiat caliginem lucidam, & potius cum sapore notitiæ quasi habitualis, & supra quam pro tunc non fiat reflexio,) nego. Semper enim ibi quasi clanculum sentitur Spes aliqua vltimi finis, & Fides illam tenuiter dirigens, & quasi media inter virtualem & actualem expressam, nempè actualis obscura de secundo Articulo remunerationis.

## ARTICVLVS III.

### *DE CREDENDIS POST EVANGELIVM PROmulgatum.*

900 PLures Doctores docent, post Evangelium promulgatum, necessariam esse necessitate medij *in re* Fidē explicitam de Christo, & etiam de Mysterio Trinitatis. Ita communiter Thomistæ, licèt non omnes. Aliqui enim, & Recentiores communiter, solùm

necessitate præcepti istam Fidem requirunt. Ita Noster Bonæ Spei hic. Probatur: quia dispositiones necessariæ *in re* ad justificationem peccatoris post Evangelium, vel discurrendæ sunt, ex natura rei, vel ex divina institutione. Atqui neutro modo ista Fides explicita est medium necessarium *in re*: ergo. Min. probat. quoad primam partem: quia ad detestationem peccati, & propositum firmum propter Deum, sufficit Fides de Deo summe bono; ad timorem autem, & spem Reconciliationis, sufficit Fides de Deo vt Iudice, Remuneratore, & Remissore.

901 Quoad 2. partem etiam probatur: quia non constat de tali institutione; imò Divus Paulus, scribens sempore Legis Gratiæ de Fide necessaria, non fecit mentionem de tali Fide explicita in isto loco: Lex autem favens non est coarctanda, dum non constat de coarctatione. Multum autem favet, (saltìm pro hominibus enutritis in sylvis, vel pro alijs, qui nihil audierunt de Evangelio) quod salvari possint per illos duos Articulos Pauli; jam enim salvabũtur per merita Christi sine Fide explicita de Christo. ¶ Probat insuper Bonæ. Spei: Quia homo surdus, & mutus à nativitate, qui brevi sempore difficillime potest instrui de Christo vt Deo homine, & de Mysterio Trinitatis (facilitèr autem de Deo summè bono offenso, & Remuneratore) pro dolore de peccatis; si ista secunda Fides non sufficeret, egre, imò & ferè impossibilitèr posset salvari post Evangelium: quod quidem dicendum non est.

902 Nec obstat 1. plura loca Scripturæ, & Patrum, indicantia necessitatem Fidei de Christo. Loquuntur enim, vel de necessitate præcepti post Evangelium, non solum promulgatum, sed cuilibet in particulari sufficientèr propositum. Vel loquntur de Fide implicita Christi; quæ licèt sit implicita de Christo Homine & Redemptore, sit explicita de ipso sub concepta Dei, Iudicis, & Remuneratoris. ¶ Nec 2. *ex cap. 3. Ioan.*

*Ioannis*: Tàm necessarium est credere in Filium hominis vt exaltatum in Cruce, quam erat necessarium Israelitis videre Serpentem Æneum; sed visus illius Serpentis erat medium simpliciter necessarium *in re*, vt Israelita liberaretur à morsu Serpentis; ergo & visus sive Fides explicata Christi crucifixi, vt homo liberetur à morsu peccati. Respond. visionem Serpentis fuisse necessariam, sed non quod esset ita clara, quæ distingueret Serpentem à non Serpente; cùm Serpens posset videri valdè à longè, (cum exercitus esset tam magnus, & plures distarent per leucas) & hoc pacto Israelitæ sanari. Sic ergo est necessaria Fides de Christo crucifixo; sed non ita clara, vt distinguat Deum Remuneratorem & Iudicem vt hominem & mortuum, à non homine, nec mortuo. Vndè P. Oxea *disput.13.de Fide, sect.4.numa* 53.contra Coninch optimè advertit, quod Christus dixit Ioannis 3. *Vt omnis, qui videt, & credit in eam, non pereat*; non autem dixit, quod pereat, qui non videt, seu qui non credit explicitè.

903 Nec obest 3. *Trident sess 5.cap.6.* numerare Fidem de Redemptore inter dispositiones necessarias. Respond. enim, loqui de dispositionibus communitèr intervenientibus, vel de necessarijs sive vt medio *in te* sive ex præcepto; non autem de solis necessarijs vt medio *in re*. ¶ Nec obest 4. Non fore, in quo differat Christianus in Legè Gratiæ à fidelibus legis naturæ, vel saltèm à Iudæis in lege Scripta, qui etiam saltèm implicitè credebant Christum. Respond. differre, non quidem quoad precissam necessitatem medij *in re*, nec in his quæ pertinent ad Ecclesiam secundum quod dicit de invisibili; (nam quantum ad hoc Paulus nollam possuit differentiam,) sed differre in visibilibus, quia est baptizatus, & quia Christianus tenetur credere expressè necessitate præcepti Christum natum, & mortuum, qua non tenebatur Gentilis, aut Iudæus.

904 Nec obest 5. Authoritas Divi Bernardi, & Divi Thomæ. Ille *Epist.77.ad illa verba Marci: Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & Baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit condemnabitur.* Ioquit Bernardus: *Cautè igitur, & vigilantèr non repetivit: qui verò Baptizatus non fuerit, sed tantum: qui verò non crediderit condemnabitur; innuens solam interdũ sufficere Fidẽ, & sine ipsa sufficere nihil:* ergo sentit Bernardus, Fidem Evangelij esse medium necessarium *in re*, & non sufficere *in voto*: quia *in voto* etiam Baptismus est medium necessarium. Respondeo tamen, *in voto* esse medium necessarium Fidem, à differentia Baptismi, sed non Fidem explicitam Evangelij, (aliàs omnes Articuli essent necessario credendi explicitè) sed Evangelij, *in voto*, & ex præcepto, & in preparatione animi. Dei autem Remuneratoris Fides *in re* requiritur, & sine illa sufficit nihil. Optimè autem dixit: *Qui non crediderit*, (Evangelio sibi jam intimato) *condemnabitur*; sed non quia sit medium, sed præceptum; quod observare est omninò, (eo intimato) in sua manu. At potest non habere in sua manu (nempè si deficiat notitia, vel materia) Baptismum *in re*.

905 D. Thomas autèm *in 3.dist.25.quæst.2.ar.2. Quæstiuncula* 2. docet, post prædicatum Evangelium, omnes teneri credere explicitè; & si aliquis instructionem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ipse poneret obicem. Respond. loqui de necessitate præcepti. Dices: si sola esset necessitas præcepti, & nõ medij *in re*, Deus non instructo, non miteret instructionem. Sic autem dixit D. Augustinus, quod Cornelius Centurio, si posset salvari sine Fide Christi, non fuisset missus ad Petrum. Respond. quod Deus mitteret instructionem, non ex necessitate medij *in re*, sed ex abundantia suę largitatis, qui non denegat gratiam (quam alijs dat) non ponentibus obicem. Similitèr loquitur D. Augustinus, & loqui-

tur de necessitate præcepti, & quod ægrè & difficultèr posset conservari in gratia sine instructione Petri, licèt potuisset poni in ea. Fortè autem Cornelius habebat aliquam notitiam de Christo, & tenebatur ex præcepto inquirere, & non salvaretur, cum illa ignorantia jam esset vincibilis. Quod dictum est de Fide explicita Christi, dicendum est de Trinitate, esse necessariam ex præcipuo præcepto. Sic Suarez *disputat. 12. sectione* 4. & multi alij.

## ARTICVLVS IV. & §.I.

### *PRO SENTENTIA DE FIDE EXPLICITA Christi, & Trinitatis, explicatur necessitas medij, & præcepti.*

906 POST hæc ita in nostra Vniversitate dictata, mihi rem profundius consideranti, duriuscula visa est sententia negans, de Christo, & Trinitate Fidei explicitæ, necessitatem medij, & solum concedens necessitatem præcepti, communē cuilibet Fidei Articulo etiam minimo, cum tamen distinctivū speciale Christiani à non Christiano sit protestatio Trinitatis, & adventus Christi vt hominis Dei. Et sic pro sententia affirmante noto prius quod duplex est necessitas: nempè medij & præcepti. Illa adhùc est duplex: Vna strictissima medij in re, & est necessitas simpliciter & indispensabiliter, ita vt nulla admittatur excusatio. Alia non ita stricta, nempè necessitas medij solum *per se*, (licèt per accidens possit dispēsari & suppleri per votū vt substitutū). Sic licèt Baptismus & Pœnitētia possint suppleri per accidens per contritionem & votum, sunt tamen necessarij necessitate medij per se ad primam gratiam, quia pro illa danda sunt instituti, & de per se atque ex officio attinet ad Ipsos, illam dare; licèt per accidens, & dispensabiliter eorum votum vices supplent.

plcat. Vndè quodlibet Sacramentum ex illis pro sua, est medium voicum. Sicut de per se solum Pontifex est potens absolvere à censuris sibi reservatis. Quod tamen non tollit vt per accidens, dispēsabilitèr, & ex commissione absolvat alius Sacerdos.

907 Vndè necessitas præcepti est valdè diversa à medij Necessitate, quia neque in re, neque in voto institutu est adimpletio rei præceptæ ad causandam primam gratiam. Non enim restitutio, verbi gratia, est pro prima gratia causanda: Restitutio enim in peccatore quantumcumque per attritionem disposito eam non causat, ac per consequens, nec votum, aut propositum ipsius illam valet causare, etiam si substituatur pro illa. Adimpletio autem solum conducit vt si fiat, gratiam in justo augeat, & si voluntarie & peccaminose non fiat, gratiā destruat. Non tamen vt vnquam primam gratiam causet, quia hoc est proprium medij positivi per se instituti ad illam causandam ex officio.

908 Si objcias: illud non est necessarium necessitate medij, sine quo res obtineri potest; atqui potest sine Pœnitentia per contritionem: ergo. Respondetur distinguendo majorem. Non est tunc, (id est quando admittitur substitutum) necessitas medij simplicitèr, sive in summo rigore necessitatis medij, concedo majorem; medij *per se*, nego majorem; quia quando res est per se instituta ad aliquem effectum, licèt iste obtineri possit per substitutum de per accidens, hoc non impedit in principali necessitatem medij *per se*, licèt impediat medij simplicitèr, & in re.

909 Vt hæc necessitas medij explicata maneat prout etiam potest comprehendere Eucharistiam: (*juxta dicta in Fragm. additis ad Summam de Arana, à numer.* 84. *& folio* 483. *omnino, omnino videnda.*) Noto 2. Sacramentum necessarium necessitate medij generaliter loquendo, illud esse quod est per se institutum, & simplicitèr requisitum pro prima gratia causan-

da.

da. Non dico, *vt ipsum primam gratiam causet*: sed pro prima gratia causanda. Dividitur enim tale Sacramentum vt medium necessarium, in duplex. Vnum per se institutum vt primam gratiam causet. Talia sunt Baptismus & Pœnitentia. Aliud per se institutum non vt causet per se, sed vt ipsa causetur, Eucharistia enim cum ex vi institutionis suæ contineat intra se merita Christi vt memoriale passionis ipsius, & totum valorem sanguinis Christi effusi pro nobis, vt constat ex vi formæ Calicis, licèt non sit potens causare per se primam gratiam, est tamen continens per se virtutem illam per quã 1. gratia ab alio causetur, sive à Sacramentis, sive à contritione, derivatam ad illa ex Eucharistia, in qua formaliter continetur, & sic clarè constat, quod sit per se instituta pro prima gratia causanda. ¶ De hac virtute ex Eucharistia derivata ad alia Sacramenta, dixit Divus Thomas *quæst. 79 artic. 1. & 3. in corpore adductus in Fragment. num. 98. Vndè ex efficacia virtutis ipsius est, quod etiam ex voto ipsius aliquis gratiam consequatur, per quã spiritualitèr vivificetur*. Ecce virtutem in Eucharistia contentam, & in alia quę causent, derivatam.

910 Sicut autem ad proferendam sententiam à Iudice in laicos, est necessaria in Aragonia jurisdictio realis, quæ per se & ex officio residet in Iudicibus; per accidens, & dispensabilitèr in Substitutis transeuntèr deputatis: formalitèr verò in Rege, qui tamẽ licèt possit illam ex se in alios derivare; ipse tamen non potest illam per se ipsum exercere; sic cõtingit in Eucharistia. Ius pro prima gratia simplicitèr requisitum est in ea; non vt causante, sed vt continente, & derivante, & designante Media, ex officio causativa & per se immediatè, v.g. Sacramenta Mortuorum; & etiam pro causare obiter, & de per accidens, nempè Vota & proposita eorum: Eucharistia autem se habet sicut Rex.

911 Dices I. Medium omne debet habere influ-

cum activum, quod non habet Eucharistia. Distinguo: activum agendo vt *quod* & formaliter nego; virtualiter & continendo, & dando *quo*, sive virtutem alijs, concedo: & hoc jam præstat. ¶ Dices 2. Ergo erit necessaria in re, siquidem continêtia talis virtutis est in re. Distinguo: vt manducata erit necessaria in re, nego; vt instituta & continens virtutem, concedo. Vndè Eucharistia, cum duplici gratia vt effectu cõparari potest; nempè & cum prima gratia, & cum augmento gratiæ. Istud causat per se vt manducata, illam verò non causat per se, sed per se continet vt instituta, virtutem per quam alia Sacramenta causent.

912 Hæc optimè expressit Divus Thom. 3. *part. quæst. 79. artic. 2. in corpore*, vbi distinxit in Eucharistia: *Id ex quo est effectus, & id per quod est effectus.* Id ex quo, exprimit merita cõtenta Christi, & virtutem ad alia Sacramenta derivatam pro prima gratia. Id per quod, est manducatio causans augmentum gratiæ, quod solum causat vt manducata, loquendo in re, & de per se. Ex quibus sequitur quod ad hoc vt Sacramentum aliquod sit necessarium necessitate medij pro prima gratia, non requiritur quod per se ipsũ immediatè causet illam, nec quod sit institutũ vt ipsũ causet illam, sed solũ disjunctivè vel vt causet, vel vt fontaliter ex vi suę institutionis contineat virtutem causativam, & deriveet illam in alia; quæ vel ex Officio, vel ex commissione causent illam.

¶ Objicies 2. Hanc doctrinam nostram solum probare necessitatem medij de sanguine Christi contento in Eucharistia, sive de meritis, & Redemptione Christi per depositum existentibus in illa, non autem de Eucharistia ipsa. Respondeo negando secundam partem: quia Eucharistia vt talis est depositum meritorum Christi, & vt talis licèt non sit passio Christi; est memoriale perenne passionis: cui vt tali dedit Deus, quod esset fons omnis gratiæ, & omnis Virtutis depositum

per

per quam gratia ab alijs Sacramentis causanda est. Habet enim ex vi *suæ institutionis, quod ab illa & per illam, & ex illa*, dimanet tanquam ex destinato aquæ ductu omnis talis Virtus & proveniat, & derivetur.

## §. II.
## DE EVCHARISTIÆ NECESSITATE VT medij.

913 Restat autem examinare. An Eucharistia non solum sit necessaria necessitate medij pro prima gratia, vt fontalis depositaria virtutis ad illam, ( sive ex Divo Thoma, *secundum id à quo est effectus*) sed an etiam vt manducabilis, ( & secundum, *id per quod est effectus* ) sit etiam necessaria necessitate medij, vel in re, vel in voto? Ratio dubitandi est, quia Eucharistia comesta, de per se, & ex vi institutionis est Sacramentum vivorũ, & nequit de per se causare primã gratiam: Ergo pro prima gratia nõ est necessaria, neque in re, neque in voto, sed se habet sicut restitutio, cujus votum primam gratiam non causat, quia nec ipsa illam causat.

914 Pro resolutione notà: Aliud esse loqui de Eucharistia præcisè vt cibo, & aliud de ipsa vt fine omnium Sacramẽtorum, & propter quod, vt ritè & rectè, & fructuosè cõmedatur, Sacramenta mortuorum instituta sunt. Ipsa ergo instituta est vt per se immediatè causet augmentum gratiæ, & altiorem vnionem animæ cum Christo vt fonte gratię. Quia tamen hæc vnio non fit, nec hic effectus causatur nisi in anima vt jam viva, ac per consequens vt jam habente primam gratiam, instituta sunt alia Sacramenta cum virtute derivata ab Eucharistia eã continente, vt propter Eucharistiã rectè manducandam & cum fructu, animam disponant producendo primam gratiam. Vndè istam producere est propter Eucharistiam vt finem, & includunt in se votum Eucharistię recipiendę cum fructu vt fine.

Asse-

915 Affero ergo, quod Eucharistia etiam vt manducanda est medium necessarium pro prima gratia. Necessarium inquam vel in re, vel in voto. Hoc latius probavimus in Fragmentis citatis à *numer.* 84. Præsertim enim, *nisi manducaveritis, &c. non habebitis vitam in vobis*, ęquè requirit Eucharistiam vt cibum pro vita habenda ac: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. & nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis, &c.* Nec minus intelligitur à Patribus ly *nisi* in Eucharistia de necessitate medij, ac in alijs.

916 2. Quia si Eucharistia non esset medium necessarium, & per se pro prima gratia, maximè quia nequit vllo in casu per se causare illam, sive esse principium efficiens illam. Sed hæc ratio est nulla: ergo. Minor probatur: quia causalitas primæ gratiæ, potest provenire ab aliquo ex necessitate dupliciter; nempè vel vt à principio activo, & per se atque immediatè in genere causæ efficientis causante: vel vt à causa non quidem efficienter, sed finaliter causante, id est essendo per se ratio, propter quam ex vi institutionis causetur à causa efficienti. Vtroque enim modo potest aliquid esse medium necessarium: Ergo licèt Eucharistia vt cibus nequeat esse principium per se efficiens primam gratiam; potest tamen esse finis propter quem Baptismus & Pœnitentia causent efficiẽter primam gratiam: Ergo nulla est ratio negandi Eucharistiæ hanc dignitatem, vt nempè sit necessaria necessitate medij pro prima gratia; quia nempè est finis immediatus specialis propter quem causetur prima gratia. Dixi specialis, quia beatitudo vel est generalis, vel est obtinendus per ipsam Eucharistiam vt in re, vel vt in voto.

917 Objicies: In eo qui post Viaticum peccavit, & juxta stylum Ecclesiæ, solum habet propositum confitendi & non communicandi; tunc non datur receptio Eucharistiæ, neque in re, neque in voto; nam non habet talem finem, sed potiùs contrarium: Atqui tunc produ-

citur prima gratia: Ergo Eucharistia non est necessaria vt finis pro prima gratia. Respondetur, negando majorem. Habet enim votum Eucharistiæ, non quidem pro tunc recipiendæ, sed recipiendę quando obliget, & hoc sufficit ad votum strictum Eucharistiæ vt per illud accipiat primam gratiam: sicut contingit in eo qui elicit contritionem, & resolvit non confiteri vsque ad Pascha, vel vsque dum obligetur, licèt possit. Sicut autem potest Scholasticus providere sibi de Breviario pro recitatione Officij vt fine, quando adhùc non est constitutus in Sacris, vt recitet quando constituatur & obligetur, sic etiam potest peccator, in eo tunc post Viaticum providere sibi per Pœnitentiam de prima gratia, & voto recipiendi Eucharistiam quando obliget.

918 Si dicas: tunc peccatorem non curare de prima gratia propter Eucharistiam, sed propter salvationem: Ergo finis primæ gratiæ, tunc non est Eucharistia, sed salvatio. Respond. 1. Instando argumentum in peccatore, qui convertitur ad Deum eliciendo actum contritionis, non intendendo tunc confiteri; imò intendendo non confiteri, nisi quando obliget, & solum intendendo pro tunc salvationem. Respondeo 2. Verum votum alicujus Sacramenti pro prima gratia, non debere esse explicitum, sed sufficere implicitum, nec debere esse ex expressa ordinatione recipientis Sacramentum, sed Dei qui propter dignam susceptionem Eucharistiæ vt finem quando obliget, ordinavit dari primam gratiam per alia Sacramenta, de per se, & ex Officio, vel per contritionem, & votum eorum ex commissione. Tunc autem salus intenta expresse, si pro tunc intendatur sola, est ex ordinatione peccatoris: ex ordinatione enim Dei, ita est intenta vt immediatius intenta sit à Deo, vel in re, vel in voto digna Eucharistię susceptio quando obliget, & vltimatè salvatio.

919 Ad rationem dubitandi respondetur distinguendo antecedens. Eucharistia nequit de per se causa-

re primam gratiam, secundum causalitatem causæ efficientis, concedo antecedens: quia secundum hanc solum est de per se causativa secundæ gratiæ. Secundum causalitatem causæ finalis, (juxta quam causat non immediatè per se, sed mediante Sacramẽto mortuorum) nego antecedens & consequentiam. Nec valet paritas de Restitutione, aut de alia re præcepta, quia nulla est tantæ dignitatis, vt sit instituta à Deo, nec tanquam causa efficiens, nec tanquam finalis pro prima gratia. His præjactis. Reddeamus ad necessitatem Fidei de Christo in lege gratiæ.

## §. III.
## NOSTRA CONCLVSIO.

920 ASsero ergo cum communiori sententia, quod Fides explicita de Christo est necessaria necessitate medij. (nõ medij simpliciter, sed medij per se) pro justificatione. Hęc assertio probatur ex Scriptura. Etenim Apostolus *ad Roman* 3. ait loquendo de Christo: *Quem proposuit Deus propitiatorem pro peccatis per Fidem in sanguine ipsius.* Ergo Fides de sanguine ipsius est constituta & instituta à Deo, atque proposita, vt medium ad propitiationem à peccatis, & non solum vt res præcepta, ly enim *per Fidem in sanguine ipsius*, medium significat. Tridentinum enim *sess.* 6. *cap.* 6. ait de disponentibus se ad justificationem: *Liberè moventur in Deum, credentes verà esse quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per Redemptionem, quæ est in Christo IESV.* Vbi nota ly per Redemptionẽ, & nota ex Goner ly in primis, quod sonat Fidem de Redemptione, valdè primariò se habere ad justificationem.

921 Item Ioannis 17. dixit Christus: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem mi-*

*misisti Iesum Christum*: Id est in hoc stat vita æterna sive medium vitæ æternæ, nempè in cognitione veri Dei, (quæ cognitio ex natura rei est medium simpliciter) & in cognitione Iesu Christi missi sive Mesiæ, quæ est medium ex institutione Dei. Quod vlterius patet ex Actibus Apostolorum *cap.4.* vbi Petrus dixit loquendo de Christo: *Nec enim aliud nomen*, (id est invocatio, sive cognitio & Fides) *est sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*: Ergo hæc Fides est necessaria tanquam medium.

922 Quod autem non sit medium simpliciter & indispensabiliter, sed solum *per se*, sicut Baptismus probant ipsę frases adductæ. Apostolus enim loquitur de Fide in Christum tanquam medium à Deo propositum sive institutum. Item Petrus loquitur de nomine dato, id est instituto ad hoc vt per illud salvi fiamus. Vndè sufficit, quod hæc Fides in Christum vt jam à Deo missum, sit necessaria in voto, & non requiritur in re. Tùm quia per id sufficiēter distinguitur substantialiter Christianus à Iudæo, qui nec in voto tenebatur ad Fidem explicitam de Christo vt homine Deo. Tùm propter argumenta facta de eunuchio in sylvis, & de surdo & muto à nativitate, parum post vsum rationis morienre, vel de cathecumeno incepto instrui, & Baptizato & mortuo ante instructionem explicitam de Christo.

923 Incredibilis enim est solutio adducta ab exigentibus indispensabiliter Fidem explicitam de Christo; nempè quod Deus mittet semper Angelum, vel Prophetam, vel internam expressam illustrationem de Christo; hoc enim est aligare divinam Providentiam ad præstandum indispensabiliter, quod nec requiritur ex natura rei, nec constat quod promiserit. Pro dignitate autē Christi, & Sacræ Scripturæ Textibus, sufficit necessitas medij per se, quia non plus vrgent de hac Fide vt medio, quam de Baptismo & Pœnitentia vt medio.

Nec

upna Universidad Pública de Navarra Nafarroako Unibertsitate Publikoa

924 Nec obest 1.Authoritas D.Bernardi juxta quam multo magis necessaria est Fides, quam Baptismus,& si hic sufficit in voto,illa non: jam enim est soluta. 2.Respondetur loqui de Fide, in illo qui jam audivit Evangelium,& non credit; in isto enim requiritur in re. Nec obest 2.illud Ioannis 3. *Qui non credit in Christum,jam judicatus est.*Respondetur loqui de non credente in Christum sufficientèr ei propositum. Versu enim 19.prosequitur:*Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.*Nec 3 Ioannis 17. *Æquè ponitur vita æterna in cognoscere Deum, & Christum.*Sicut & Ioannis 14.dictum est:*Creditis in Deum, & in me credite*,quod sonat æqualitatem. Respondeo sonare æqualitatem quoad necessitatem medij,sed non quoad indispensabilitatem, & supplebilitatem per substitutum. ¶ Nec 4 Tridentinum dixit:*Fidem Christi requiri in primis ad justificationem*: ergo nihil plus quam illa. Respondeo loqui de eo qui jam audivit Evangelium, vt constat ex ipso Textu. In quo Fides in Christum non sufficeret in voto,sed in re, secus in alijs.

925 Nec 5.Quod Christus dixit: *Ego sum Via,Veritas,& Vita. Ego sum ostium. Per me si quis introierit,salvabitur.* Sed non intratur,nec itur ad vitam, nisi sciatur via:ergo.Distinguo majorem:est via & ostium meritivum vitæ, concedo: objectivum,subdistinguo:per se,& dispensabilitèr concedo. Indispensabilitèr,nego:Qui enim ducitur ab alio ad terminum manu & gratia sua,quin sciat illum potest ad illũ pervenire. Nec 6. Fides de adventu Christi est differentia Christiani à Iudæo:ergo necessaria in re. Distinguo antecedens. Differentia post auditionem Evangelij,concedo. Ante illam subdistinguo, est differentia in voto, concedo;in re,nego.

926 Nec 7.obsunt PP.docentes largè,necessitatem

tem Fidei explicitę in Christum. Vndè Augustinus de prædestinatione Sanctorum, *cap.6.* ait de Cornelio misso Actorum 10. ad Petrum, vt instrueretur de Christo: *Si posset sine Fide Christi salvus esse, non ad eum ædifficandum, mitteretur Petrus Architectus*: ergo impossibile illi erat salvari sine instructione de Christo. Respondetur ad PP. generaliter, vel loqui post Evangelium auditum, vel loqui de Fide explicita in voto, ac per consequens de medio necessario supplebilitèr.

927 Nec replices, Fidem de Christo in voto, etiam fuisse necessariam in lege naturæ & scripta: ergo nulla esset differentia inter veramque legem. Respond. aliud esse loqui de Fide in Christum præcisse, & generaliter vt medium divinę Providentiæ: & aliud specialiter de Fide in Christum vt talem vel sub aliqua ratione speciali sua. In hoc secundo sensu, nego antecedens: quia pro tunc, nec talis Fides explicita erat specialiter instituta vt medium *per se*; adhùc dispensabiliter, & modo est: nec erat præcepta sicut modo; modo enim datur jam specialis institutio Fidei explicitę vt medij, & speciale præceptum de ipsa: A cujus obligatione solùm excusat de per accidens ignorantia. Tunc autem neutrum dabatur, & sic excusabat non sola ignorantia, sed quia neutrum dabatur pro tunc. ¶ Vndè sicut modo contritio in ignorante Baptismum, adhùc est votum & substitutum ipsius, secùs in lege veteri, (eo quod modo Baptismus est institutus per se pro medio, & præceptus, secus tunc) sic modo & non tunc, est votum de Fide explicita de Christo ob eandem rationem. Tunc enim solum debebat credi Christus sub ratione communissima medij divinæ Providentiæ, vt dictum est. Ad illud de Cornelio Respondetur, quod non poterat salvari sine Fide explicita Christi; quia jam habebat aliqualem notitiam de eo per Iudæos, & tenebatur instrui: secùs esset de homine enutrito in sylvis, qui nihil de Christo audivisset.

Nec

928 Nec tandem obest D.Thomas *in 3.dist.25. quæst.2 art.2.quæstiuncula 2. Post adventum Christi, quia jam Mysterium Redemptionis impletum est, & corporalitèr & visibilitèr prædicatum; tenentur omnes ad credendum explicitè, & si aliquis instructionem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex culpa sua remaneret.* Respondeo loqui Divum Thomam in hoc textu, non de necessitate medij, sed præcepti in re: inquit enim quod *tenentur*: Non ergo Fides explicita in re est de necessitate medij, sed præcepti.

929 Replicas: Sanctus Thomas dicit, quod Deus mitteret ad eum instructorem, nisi ignorare staret pro ipso. Atqui si talis Fides non est medium indispensabilitèr necessarium, non vteretur Deus medio tam extraordinario, sed relinqueret vt ille salvaretur per Fidem explicitam in voto, contentam in contritione facta ex Fide Dei Veri, & Remuneratoris: ergo. Respond. concessa majori, distinguo minorem. Pro substantia salvationis, tunc non vteretur medio extraordinario, concedo. Pro aliquibus circunstantijs debitis ex præcepto, (nempè vt fieret cum adimpletione substantiali præceptorum) nego. Pro hac enim missus est per Angelum Cornelius ad Petrum, vt docuit D.Thomas 2.2.*quæst.* 10.*artic.*4.*ad tertium*, dicens: *Habebat Fidem implicitam Christi, & cum ea justificatus fuit ante manifestatam veritatem Evangelij, & vt explicitè instrueretur de Fide Christi, missus est ad eum Petrus.* Iam ergo erat justificatus, antequam Petrus eum instrueret. Idem docet 3.*part. quæst.*69.*artic.*4.*ad secundum*, vbi dicit: *Quod Cornelius, & alij similes, consequuntur gratiam, & virtutes per Fidem Christi, & desiderium Baptismi, implicitè, vel explicitè: postmodum tamen in Baptismo maiorem copiam gratia, & virtutum consequuntur.* Pro hac ergo majori copia, mittitur tunc instructor.

930 Hæ confirmatur: quia instructor sæpè mittitur etiam pro Baptismo in re, & exercitè recipiendo, (qui tamen absolutè solum erat necessarius in voto, & non in re:) ergo mittitur instructor pro rebus solum necessarijs *per se*, non autem indispensabilitèr. Vndè textus D. Thomę adductus in argumẽto (qui vt constat ex contextu, loquitur de necessario necessitate medij) intelligi potest sufficientèr de necessitate in voto, sive de necessario *per se*. Quod si inferas: ergo nõ magis necessaria est Fides Evangelij, quam Baptismus, contra D. Bernardum: concedo conseq. de *magis*, quoad substantialia: quia vterque est solũ in voto, sed Fides magis principuè: & Bernardus loquitur de aliqua Fide in re, v.g. in Deum Remuneratorem. Si verò de explicita Christi, loquitur post Evangelium promulgatum ipsi credituro. Quod patet ex ipsa *Epist.* 77. In qua paulo ante verba adducta *num.* 904. asserit quod etiam post illud: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, duravit remedium antiquum ad justificationem, quousque Evangelium innotesceret, cuilibet credituro. Vel saltim dubius hæret circa necessitatem in re. Vide illum.

931 Quod dictum est de Incarnatione dici debet de Trinitate, quæ etiam est medium necessarium per se, siquidem Fides de Christo debet esse de ipso, vt Filio Dei, quatenùs concepto de Spiritu Sancto. Sed non in re, nec indispensabiliter, ob rationes adductas. Ex quibus sequitur, falsam omnino esse censuram, quam inusit P. Gonet sententiam asserentem, absolvi posse rusticum, qui omnino est impotens calere Fidem explicitam de Christo, & de Trinitate. Etenim cum ipse jam sit Baptizatus à pueritia, & alias possit dolere, & confiteri peccata sua, cum spe veniæ & proposito non peccandi de cætero, & à peccato non credendi explicitè talia Mysteria excusetur ab impotentia innata, non est cur non sit capax omnino Sacramenti Pœnitentiæ, quidquid in contrarium dicant Lobanienses.

932 Quæres, quæ sint necessariò credenda ex præcepto? Non est dubium, dari præceptum, & hoc obligare circa quodvis Mysterium, cum sufficienterè proponitur, quia summa Dei Authoritas id postulat, nempè vt ei promptè credatur. Item quando quis graviterè tentatur contra aliquod Mysterium, debet exercere Fidem de illo, si existimet, non posse aliter tentationem vincere. Respond. ergo, cum communi sententia, omnes Christianos teneri ex præcepto credere articulos contentos in Symbolo Nicæno, (licèt non suo ordine) Patet: Tùm ex vsu Ecclesiæ: Tùm ex Catheciſmo B. Pij V. ¶ Tùm quia in Symbolo continentur præcipua Fidei Capita, quæ ignorari à Christiano nefas est, & contra obligationē ipsius, multò magis, quam ignorari ab Artifice sit inverecundum, notiora suę artis principia Capitalia; Præter hæc debet fidelis scire ex præcepto decem mandata Decalogi, & quinque præcepta Ecclesiæ, siquidem tenetur illa observare, & saltim exponitur periculo parenti non servandi, qui nescit ea. Et idem dic de Sacramentis, saltim de illis, quæ quis tenetur recipere. Sed hæc obligatio sciendi præcepta nascitur ex ipsis præceptis, non ex præcepto Fidei.

## QVÆSTIO XVI.

## DE SVBIECTO FIDEI.

### ARTICVLVS I.

### IN QVIBVS SVBIECTIS DETVR?

933 NON est dubium, Fidem supernam dari in omnibus fidelibus in via. Et etiam datur in Sancto Paulo habitus in raptu, vt supra dictum est. Fideles sunt baptizati omnes, qui non peccaverunt

mor-

mortalitèr contra Fidem:vel si peccaverunt, jam restituti sunt ad gratiam habitualem, per quam reddit Fides. Item Catechumeni, qui verè in Christum credunt, & etiam qui per contritionem, cum sola notitia duorũ Articulorum Pauli, positi sunt in gratia, vel saltim in habitu Fidei; juxta dicenda Art. vlt. hujus Quæst.

934 Assero 1. cum communi sententia, contra Bonæ Spei hic, non dari in Beatis Fidem. Probatur ex 1. *ad Corinth Cum venerit quod perfectum est*, id est visio: *Evacuabitur, quod ex parte est*: Id est Fides, quæ solum cognoscit ex parte, quia nempè partem habet quæ est certitudinis, non vero partem claritatis. Item quia inutilis esset obscuritas Fidei in illo statu tam perfecto ad ea, quæ Beatus videt in Deo; ad ea autem, quę non videt in Deo, habet speciés scientię infusæ, per quas videt ea in se ipsis: imò licèt non videret, sed haberet solam evidentiam in attestante circa tales res, adhùc non exerceret Fidem; quia non crederet dictis per modum dicti, sed per modum connexi optimè penetrati.

935 Assero 2. reperiri in Animabus Purgatorij. Ita communis sententia. Probatur: Tùm quia ex D. Paulo fiet evacuatio Fidei, cum venerit quod perfectũ est, nempè visio, & non antea. Tùm quia animæ, cum non sint in visione, & sint in amore superno Dei; per exercitiũ Fidei supernæ proponitur illis Bonitas Dei. Tùm quia sine fundamento in Scriptura, & Patribus concederetur illis aliud genus cognitionis supernæ. Intellige communitèr loquendo, & pro communitate illius status, (nam extraordinariè nulla est repugnantia, vna, vel altera vicè.) Vodè Fides non est Virtus propria status Viatoris existentis in statu merendi, sed etiam Viatoris extra statum termini. Credibile autem est, omnes animas ibi, & in Lymbo Patrum, habuisse Fidem explicitam de Deo Trino, & de Deo Incarnato, & de præcipuis Articulis Fidei, quia

potuerunt instrui ab Abel, & ab alijs Magnis Magistris.

936 Quæritur: an Fides divina maneat in damnatis? Nego cum communi sententia contra aliquos apud Gasparem Hurtado *disputat.7.difficult.4.* Probatur: Tùm quia Fides est donum gratuitum supernum: omnia autem gratuita perire in damnatis, teste Dionysio de Divinis Nominibus, *cap.4.* & à paritate etiam de alijs supernis in ipsis damnatis. Tùm quia Fides est lucerna data, vt ducat nos in itinere vitæ æternæ, cujus ipsi sunt incapaces, nec est ad quid maneat in illis misserrimis. Vndè D. August. *9. de Civitate Dei, cap. 2.* ait: *Dæmones non cognoscere Christum Lumine Fidei, sed efficacia signorum valdè penetrata.* Signa ergo, quę nobis sunt velut propositio Mysteriorum, & effectus quos illi experiuntur, sunt motivum eos cōvincens moralitèr evidē.èr, vt propter ea credant Mysteria esse vera & dicta à Deo: nō ergo propter dictum Dei credunt obstinati illi, ne ei tantum deferant honorem. *Vide supra à num.602.*

937 Nec obest 1. Quod si fidelis recordetur revelationis, cui assentiebatur in via, posset Mysterio propter illam assentiri, saltùm Fide naturali. Nego enim assensurum, quia non vult habere piam affectionem, quam habebat in via, & sic credit quasi convictus. ¶ Nec obest 2. manere caracterem in damnatis: ergo & Fidem. Nego consequentiam: quia ille maner, non ad operationem sicut maneret Fides, sed ad ignominiam.

938 Nec obest vltimo: Iacobum *cap.7. Epistol. Canonic.* docere: *Dæmones credere vnum Deum, & contremiscere.* Vndè probat, Fidem sine operibus non justificare nos, sicut nec Dæmones. Si respondeas, loqui de Fide naturali. Contra, quia argumentum ejus nihil probaret: Respondebit enim hæreticus, Fidem non justificare Dæmonem, quia naturalis est: nostra ve-

rò est superna. Respond.Iacobum loqui de actu naturali credendi propter signa vt motivum; non autem quia Deus dicit.Gaspar Hurtado probat adhùc Iacobi argumentum esse efficax,quia loquebatur contra asserentes assensum firmum de Mysterijs vndequaque sit, justificare credentes.

939 Mihi in mentem venit,exemplum Dœmonum non adduci,ad probandum Fidem non justificare, (licèt id in illo capite multis alijs probetur)sed adduci ad probandum,in eo qui solam Fidem habet, nihil reperiri,quo ostendatur,vel ex quo,quo ad nos colligi possit,quod talis credens sit justificatus;nam ait:*Ostende mihi Fidem tuam sine operibus,& ego ostendam tibi ex operibus Fidem meam. Tu credis,quia vnus est Deus;bene facis.& Dœmones credunt,& contremiscunt.* Id est,non te plus Iustum probas,quam Dœmones,ex eo ipso quod credas præcisè.An sit bona solutio,alij judicent.

940 Assero 3. contra Durand. *in 3. distinct.23. quæst.9.*non manere in hæretico habitum Fidei, licèt vnicum tantum neget Articulum. Nec enim alios credit per Fidem supernam,sed solum per divinam objectivam naturalem,explicitam supra à *num.*283. Quod non maneat habitus supernus in eo, docet communis sentent. & probatur ex Paulo,*qui 1.ad Timoth.6.*ait: *Quosdam admittentes opiniones falsas circa Fidem, excidisse*:ergo ceciderunt ab statu Fidei Idem constat ex Tridentino *sess.3.cap.*15.definiente,amitti Fidem in peccato infidelitatis: Atqui negatio vnius Articuli est peccatum infidelitatis,& oppositio cum Fide:ergo deperditur habitus Fidei. Dixit *in peccato*,quia si negetur Articulus per invincibilem ignorantiam, nec perditur Fides,nec gratia,cum non detur peccatum.Et ita potest contingere in aliquibus educatis inter hæreticos, & ex simplicitate illis assentientibus.*Vide n.*954.

941 Nec obest 1. Hæreticos valdè tenaciter

adhærere aliis Articulis. Respond. enim id provenire, non ex habitu superno, sed ex affectu voluntatis, & certitudine subjectiva. Nec obest 2. Ipsos credere propter revelationem Dei: ergo Fide divina. Distinguo conseq. divina naturali, & ex parte sua fallibili, concedo, (solum enim est certa ex immobilitate objecti), divina formali, & superna, nego. Vndè talis Fides solum objectivè & cum additio est divina & Theologica; non verò formalitèr, & absolutè. Addet alius, tales hæreticos in pœnam illius infidelitatis carere ex lege Dei habitu superno; non verò aliquibus actibus supernis Fidei, factis per auxilium supernum extrinsecum (vel intrinsecum transiens) & in hoc inclinat Ripalda *tomo 2. disputat. 131. section. 5.* quia cum Deus, facienti quod est in se non deneget gratiam; forrè non negabit eis, vt eos actus, quos elicere volunt Fidei, elliciant supernos circa alios Articulos.

## ARTICVLVS II. & §. I.

### *AN DISSENSVS VNIVS ARTICVLI EXPELLAT ex natura rei habitum Fidei?*

942 Major difficultas est: an hæc habitus privatio sit ex sola lege Dei, an verò ex natura rei, eo quod negatio vnius Articuli sit per se virtualis negatio cæterorum, & propterea expellat ipsum habitum? Prima sententia negat, docens, solùm privari demeritorè, & ex lege Dei; quia indigni sunt dono Fidei, qui peccant mortalitèr cõtra illam. Ita aliqui Recentiores. Probatur: quia negato vno Articulo, adhùc reperitur totum objectum formale, & materiale, & cõditiones essentiales pro Fide Theologica: ergo potest permanere habitus, attenta natura rei. Antecedens patet: quia negata Eucharistia, adhùc Incarnatio manet verè revelata, & potest sufficientèr proponi. Etenim Ec-

Ecclesiæ Romanæ propositio, quæ negatur negata Eucharistia, non est conditio simpliciter essentialis pro Incarnatione. Tùm quia potest haberi prudens propositio de ista ex alijs motivis credibilitatis supra alatis. Tùm quia revelationes particulares creduntur Fide divina, absque propositione Ecclesiæ. Vndè arguitur vbi permanet objectum materiale, & formale sufficienter applicatum potentiæ, potest permanere virtus exercens suos actus circa illa, vt patet in alijs virtutibus; nec apparet vnde petat destrui; ergo negato vno Articulo, potest ex natura rei manere habitus.

943 Respondebis: qui negat vnum Articulum dictum à Deo, negat virtualiter, & incomparabiliter omnes, qui à Deo dicti sunt, & qui confitetur vnum, quia revelatum à Deo, virtualiter confitetur omnes, qui à Deo sunt revelati, cum habeant eandem rationem revelati. Contra; quia non negat illum Articulum, existimando esse dictum à Deo, sed potiùs quia existimat, non esse dictum à Deo, nec esse sufficienter propositum vt à Deo dictum. Si enim existimaret à Deo dictum, eo ipso crederet; sicut si alicui proponantur duo pauperes, qui sint in re pauperes, sed vnus habet signa clara paupertatis, alter suo videri, non habeat illa, absque vlla contradictione potest existimare vnum esse pauperem, & ob id succurrere ei, & alij potest non succurrere, quia existimat, non esse pauperem. Vndè homo credit hunc Articulum, quia existimat dictum à Deo; & discredit alium, quia existimat non esse dictum à Deo. Quæ in hoc contradictio?

944 Aliqui probant 2. istam sententiam, ita: Quia in actibus liberis, quales sunt creditio vnius Articuli, & negato alterius, identitas vel similitudo rationis formalis non facit, vt amplexato vno objecto, non possit respui aliud, in quo sit eadem ratio formalis. Patet, quia potest quis ex motivo Misericordiæ dare huic pauperi centum, quia pauper est; & non ar-

alteri,etiam si pauper sit,& vt talis noscatur;& hoc experientia docet,dum plures pauperes in via occurrunt, & do isti,vel illi,& non alteri.Similitèr potest quis debens Petro,& Paulo, velle solvere hodie huic,& non hodie illi,etiam si habeat cum quibus.Confirm.in ipso Deo,qui ex innumeris creaturis suis amabilibus propter suam bonitatē,& ex hoc capite habentibus eandem rationem formalem, potuit prædestinare vnam, quia voluit, saltim prædestinatione ad gratiam finalem, & nolle prędestinare aliam.

945 Si autem quęratur in his casibus,quare id facit voluntas, cum comparato vno objecto cum alio, sit in vtroque eadem ratio ? Respondebit:quia cum sit libera,potuit. Habet enim in sua manu pro solo arbitrio suæ libertatis,amplexari vnum,& respuere aliud. Sic docetur in Materia de Actibus Humanis contra P. Vazquez,ex duobus medijs omninò ęqualibus ad eundem finem, supposita bonitate vtili in illis,voluntatem eligere quod velit; (imò ex inæqualibus eligere minus)sine motivo objectivo ad præeligendum,& ex sola libertate ex parte principij.Ratio est:quia & datur volitio talis medij,& datur quod talis volitio sit electio, vel præelectio. Vt volitio indiget, quod objectum sit bonum, vt tale motivum specificet volitionem; at vt prędelectio non eget motivo objectivo, sed libertate principij:ergo etiā poterit inter duos Articulos,adhùc existimatos vt à Deo dictos. Et confirmat.hæc 2. ratio defendendi hanc sententiam, quia sæpè nos credimus alicui homini dicenti vnum,cum sępè non credamus illi dicenti alia. Imò Zacharias,qui non credidit Angelo & Deo in illo,dicenti conceptionem Baptistę, credebat Deo dicenti alia.

946 Oppositum est tenēdum à nobis.Sed prius contra hanc doctrinam hujus sententię, objicimus fortitèr:qui detestatur aliquod peccatum ex contritione vera propter Deum summè dilectum, apud omnes

vir-

virtualitèr necessario detestatur omnia peccata, & nequit simùl amare aliquod. Ratio autem est, quia bonitas divina est motivum commune pro omnibus detestandis: Ergo cum motivum Iustitiæ, Misericordiæ, & Fidei, quodlibet sit commune motivum, nequit vnum objectum amplexari, & aliud habens idem motivum respuere, sed amplexatio vnius est amplexatio aliorum virtualis eo ipso, & imcompatibilis cum alterius rejectione. Respond. distinguendo rationem antecedentis: quia est motivum commune fundamentalitèr, & intensivè, nego; formalitèr & extensivè, concedo antecedens, & nego conseq. Etenim contritio vt impediat admissionem alicujus peccati, non sufficit, quod sit detestatio propter divinam Bonitatem amatam; sed propter illam vt amatam super omnia: Repugnat autem, quod ametur super omnia peccata, & quod aliquod peccatum ametur supra ipsam.

947 Vndè est disparitas à Iustitia (& idem est de Misericordia). Solvens enim Paulo, quia debet, sive propter conservationem juris Iustitiæ, non solvit ex motivo vniversali extensivo omnis omninò conservanis Iustitiæ: nam si hoc motivum haberet, necessario solveret Petro, & omnibus, si posset: & idem de succurrenti vni pauperi, & non alijs. Hinc sequitur cum Ripalda *sect.4.* benè posse dari amorem Dei, & contritionem ex motivo Charitatis, compatibilem cum volitione efficaci peccandi mortalitèr; si tamen illa dilectio Dei sit ita imperfecta (licèt propter suam bonitatem) vt non diligat ipsum super omnia, nec ex toto corde, & ex tota mente, & viribus, id est non ex tota extensione cordis appretiativa super omnia mortalia, sed tantum super aliqua. Vndè sunt plures Christiani, qui considerata divina Bonitate, non offendent Deum in tali peccatorũ specie, v.g. in irreverentia cum Christo, & offendent in sensualitate.

948 Objicies 2. Nequit voluntas in rebus Fidei

vel

vel alijs, imperare intellectui dissensum veri cogniti vt veri: ergo nec vnius Articuli, cum assentiatur alteri, existimando verumque dici à Deo. Pro solutione nota, quod dupliciter potest quis credere canem Tobiæ, *quia Deus dicit*, sive ex motivo *dicti Dei*. Primo, ex motivo cum tota extensione; id est, quia Deus summe verax dicit; & sic verum est quodcumque dicat, quia non solum in vno, vel altero, sed in omnibus est verax. Secundo, præcisè & imperfectè, & sine tota extensione ex parte motivi; & quia Deus dicit canem Tobiæ, facilem credi. Mea sententia omnino est, quod in primo sensu, si existimet quis, verumque Articulum dictum esse à Deo, repugnare omnino, quod assentiatur vni, & respuat alium, cum assensus vnius ex illo motivo, ita extenso; sit virtualis assensus omnium Articulorum, qui existimantur dicti à Deo; sicut vera contritio propter Deum super omnia est detestatio illius peccati, & omnium. Vnde hæreticus credens Christum, & negans Eucharistiam, non negat supponendo dictam à Deo, sed negat quia existimat non esse dictam à Deo.

## §. II.
## DE SECVNDO SENSV.

949 QVid in secundo sensu? Videtur, quod cum intellectus credat tunc, quia voluntas determinat, & hæc possit determinare ad vnum, & non ad aliud, (vt in exemplis adductis) quin importetur contradictio in objecto, poterit intellectus assentiri his Mysterijs, *quia Deus dicit*, licèt assensus sit imperfectissimus, & ob motivum non extensum; & non assentiri alteri Mysterio, vt probat exemplum de Zacharia, non assenticore, quia difficillè putavit quod dicebatur.

950 Censeo tamen, hoc præmisso, quod talis assensus de Articulo, *eo quod Deus dicit tale Articulũ*, so-

solùm apparenter, vel solùm imperfectissimè & improprijssime, posse dici Fidem divinam objectivam, (adhùc comparativè ad illam, quę reperitur in hæretico). Patet: Tùm quia objectum Fidei divinę est, *quia Deus summe verax dicit*, quodcũq; dicat: & cũ tali extẽsione, & nõ aliter est ratio motiva. Si enim quis credit hoc, quia Deus dicit hoc prę alio; jã tũc motivũ partiale credẽdi est veritas ipsa rei dictę, quę est facilior creditu quam aliæ. Tùm quia motivum est summa Dei Authoritas, & summa *in omnibus veracitas*, quo motivo deficiente, deficit ex objecto formali expressato Fides objectivè divina. Ex hoc sequitur, motivum Fidei divinæ necessariò esse vniversale, & comprehendens omnia à Deo dicta, concepta vt dicta.

951 Vndè dicendum 1. Quod quando negatio vnius Articuli, concessis alijs, solum est quia isti creduntur dicti à Deo, secùs ille juxta primam viam, posse ex natura rei manere habitum Fidei; quia adhùc manet objectum materiale, & formale ipsius in alijs Articulis, & propositio necessaria pro alijs, vt convincit prima probatio sententię, (licèt verum sit, quod habitus pereat demeritoriè) ¶ Dicendum 2. Quod quando omnes Articuli proponuntur vt dicti à Deo; assentito vno, repugnat ex natura rei, (& ex objecto ipso datur contradictio) quod negentur alij. Et sic displicet secunda probatio. Nam assentitur ex motivo Fidei cum tota extensione motivi, quia tota est essentialis prospecificatione Fidei, & sine tota illa extensione non remanet motivum essentiale Fidei, scilicèt summa Dei veracitas. Et sic, si respuatur vnus Articulus propositus etiam vt dictus à Deo, tanquam à prima Veritate, eo ipso ex natura rei manent omnes repulsi, & incapaces At credantur Fide divina objectiva; alij autem assensus Fidei imperfecti, non sunt Fidei ex objecto; quia isti essentiale est motivum cum tota illa extensione summe veracitatis.

Ex

952 Ex his autem videtur, hucusque dicta solum probare, quod ex natura rei cum dissensu vnius Articuli nequeat compati assensus alterius per Fidem ex Deo summe vero, & quod vnus assensus expellat physicè alium, ob impossibilitatem ortam ex objecto: sed non probat de habitu, quod expellat physicè ipsum. Quod probant Suarez, & Recentiores: quia actus contrarius non expellit physicè habitum per se ipsum formalitèr; quia non opponuntur vt duę formę oppositę; nec efficientèr, quia non facit aliquid per quod expellatur physicè habitus: ergo solum expellit moralitèr, non autem ex natura rei.

953 Respondent Thomistæ, expellere physicè, quia dissensus opponitur immediatè alicui Fidei dispositioni, physicè necessarię ad conservationem habitus, nempè captivitati intellectus, quæ essentialitèr est dispositio pro conservando habitu Fidei: nam qui dissentitur, eo ipso non captivat intellectum suum in obsequium Fidei. Sed fortè dicet Suarez, captivitatem esse dispositionem pro exercitio & vsu Fidei, non pro conservatione habitus. Dic quod volueris, quia res non magni momenti est quoad habitum; quoad actus autem, jam dixi quod sentio.

## ARTICVLVS III.

### *DE HÆRESI INVINCIBILI IN HABENTE Fidem.*

954 EX hucusque dictis sequitur 1. In Idolatris, & Gentilibus regulariter dari peccatum mortale infidelitatis, ac per consequens non dari in eis habitum Fidei; quia vt constat ex Paulo adducto supra *num.* 826. fuerunt inexcusabiles in non glorificando vero Deo, eo quod ipsum cognoverunt (vel fuit in manu ipsorum cognoscere). Qui tamen vt liberius peccarent

rent noluerunt eum confiteri. Eandem culpam mortalem contra Fidem commisserunt certissime Hæresiarchæ, & alij Magistri & Doctores, & Parochi, & quilibet Sapientes Hæreticorum in Articulis quos negant, quia in ipsis dubitari non potest, quod sæpè se eis offerat, saltim formido seria, scrupulus, aut remorsus de malitia suæ sectæ, & cum sint periti, tenentur studere, vel inquirere sine passione veritatem, quod quidem obcœcati superbia, cupiditate temporalium, vel alia passione, præstare nolunt.

955 Hoc multis potest confirmari. Tùm in Scribis & Pharisæis confitentibus miracula Christi; & tamen ex temporali cupiditate ipsum negantibus. Tùm in Rege Angliæ à Parlamento erudicato, de quo existimatum est, quod vellet Christianus mori, & tamen se mori in Secta Anglicana protestatus est, fortè ne ejus filij ab omnibus bonis suis reijcerentur à Parlamento.

956 Tùm quia cum in manu Dæmonis sit eos tentare per suggestionem, & immissionem remorsuum conscientiæ, atque scrupulorum, indubitabile videtur, quod ita præstet, & non sinat eos manere in quiete bonæ Fidei; sed potius in mala, vt ita mortaliter peccarent: quia si ipse in eis, quod peccent non consequitur, nihil aut parum pro suo intento consequitur. Tùm denique, quia ad ipsam Dei providentiam, & voluntatem generalem salvandi omnes, videtur spectare vt curet eos interiùs admonere, saltim aliquando in genere & per remorsum circa malitiam suæ Sectæ; vt sic esset in manu eorum inquirere. Quod confirmo ex revelatione Christi facta nostræ Sanctæ Matri Theresiæ. Quæ cum deploraret continuo multitudinem Animarum, quæ sine suæ perditionis notitia damnabantur, ei à Christo dictum est: *Quod nemo perditur, quin sciat se perdi.* Quod quidem nos in nobis ipsis experimur quotidie, per remorsus conscientiæ clamantis contra

no-

nostros vivendi modos,& testimonium de periculo nostræ perditionis perhibentis. Et hic remorsus, qui in nobis frequens est circa mores, in ipsis credibile est quod sit circa Religionem.

957 Id quod dictum est de Magnatibus,non est ita generale in Hæreticis simplicibus,Rusticis,Mulieribus, aut pueris. Licèt enim plurimi ex istis similes patiantur admonitiones,& remorsus, per quos amittant bonam Fidem,& perdant habitum Fidei in Baptismo susceptum, tamen evenire potest quod aliqui ex istis habeant ignorantiam invēcibilem de malitia suæ Sectæ, ac per consequens conservent habitum internum Fidei;& hoc potest esse verū etiam si per alia peccata amiserint gratiam, & charitatem. Quod potest provenire, vel ex eo quod numquam se eis offerat remorsus & dubium prudens, ob nimiam simplicitatem, & rusticitatem.Vel si se offerat aliquando, facilè convincuntur à suis Magistris de securitate suæ malę Sectę. Et sicut in Christianis similes dubitationes contra Fidē prēventio Magistri docet & facit pelli ante consensum,ita potest contingere in ipsis.

958 Hoc autem probari potest,quia teste experientia aliqui ex his,qui multo tempore fuerunt in hęresi, post conversionem suam testati sunt se in sua secta multo tempore vixisse sine vllo conscientiæ remorsu circa falsitates ipsius suæ sectæ: Ergo quia istas invincibiliter ignorabant. ¶ Nec obest 1. si dicas:Solius Fidei divinæ supernæ propriam esse hanc securitatem & immunitatem à formidine, vt probat P. Antonius Perez *disputat.2.de Fide,à cap.2. & 3.* Ergo nequit reperiri in Hæreticis.Respondeo enim,quod securitas Religionis potest considerari in duplici statu. Primus est dum credens,non tentatur vehementer,nec ejus credibilio acriter concutitur per persecutionem,vel per nimiam suggestionem. 2. Dum pulsatur, & concutitur. Sola firmitas in hoc secundo statu est propria divinæ

Fi-

Fidei, quæ etiam in Rusticis, & pueris triumphat de Tyrano, secùs in primo statu. Et hoc volunt Chrysostomus, & Tertullianus quos ipse adducit.

959 Nec obest 2. Quod assensus Sectę quomodo cumque concipiatur, nequit ab aliqua formidine, & remorsu liberari. Probatur: Quia solus actus entitativè certus opponitur probabili, cui est innata formido: Ergo cum tales actus, & assensus Sectæ sint entitativè falsi, ne dum probabiles; necessario sunt expositi formidini. Respond. negando antecedens: Quia aliud est, quod entitativè sint comparibiles cum formidine, & aliud quod necessario adveniat formido. Primum est verum, & secundum falsum. Si enim hodie aliquis Parochus inter nos instrueret Rusticos de puritate Conceptionis quod esset jam de Fide, non solum firmiter assentirentur, sed tenacitèr dum hæc ignorantia duratet in eis, vitam perderent pro tali puritate, & omnino in eis exclusa esset formido actualis: (non tamen radicalis & potentialis) Sed exclusio formidinis actualis, tàm in eis, quàm in simplicibus Hæreticis conservaret bonam Fidem pro tali tempore, & peccatum contra Fidem non committerent.

¶ Ex quibus sequitur illam certitudinem supernam experimentalem, tantopere prætensam à Patre Antonio Perez (de qua diximus *à num.635 & num. 646. & num.649.* & sæpè alibi) regularitèr non dari in hominibus fidelibus, licèt aliquando Deus illam eis communicet.

## ARTICVLVS IV.

### *DE SVBIECTO FIDEI, IN HABENTE ALIÀS opinionem circa idem objectum.*

960 QVeritur tandem: an possit dari Fides de aliquo objecto in subjecto habente opinio-

nionē de illo? Non loquimur de subjecto habente scientiam, quia de hoc satis supra dictum est, dum de natura Fidei, & à num 759. Affirmant communiter Recentiores, & Gonet, aliique Thomistæ contra alios. Et prob. 1. quia Divus Thomas in 3. sentent. distinct. 21. quæst. 2. artic. 1. quæstiunc. 1. ad quartum, dicit: *Quod scientia, & opinio possunt esse circa idem objectum, quia licèt sit de eodem, non tamen secūdum idem, & ideò possunt esse simùl*: Atqui non minus opponuntur Fides & opinio, quam scientia & opinio; imò magis, quia scientia etiam in claritate opponitur opinioni, in qua Fides illi non opponitur: ergo.

961 Nec obest idem Divus Thomas *quæst. 14. de Veritate, artic. 9. ad sextum*, dicens: *Scientiam, & opinionem non reperiri circa idem objectum, quia importat certitudinem; opinio verò formidinem.* Confirm. quia nequit intellectus assentiri eidē objecto simùl fallibilitèr & infallibilitèr: ergo nec simùl opinione, quę est de se fallibilis; & Fide, quę est infallibilis. Res. opinionem importare duos conceptus. Primus est probabilitatis, & incertitudinis entitativę ex vi medij, cui innititur. Secundus formidinis, & incertitudinis subjectivę; & benè potest reperiri primus sine secundo. Quando ergo Divus Thomas simul cum scientia admittit opinionem, admittit primū, exclusa formidine, & exclusa incertitudine subjectiva, quia cum subjectum per scientiam maneat certus, per opinionem non manet incertusi

962 Non autem repugnat cum scientia ex vi hujus medij habere assensum formalitèr probabilem, & formalitèr, atque entitativè incertum ex vi talis medij, & fallibilem ex vi illius; quia hoc non est intellectum esse certum, & incertum absolutè: sed absolutè certum, & incertum pręcisivè, & cum additio: id est non certum ex vi talis medij, benè verò ex vi alterius. Sicut intellectus manens suspensus ex vi apprehensionis, & determi-

minatus ex vi judicij. Et sic quando homo habet oculum clarum, & perspicacem, & alium obscurum, & lippum, idem color & lux videntur ab illo homine clarè absolutè loquendo; obscurè tamen cum addito, nempè ex vi oculi lippi; & ille verè potest dicere: hunc colorem bene video, sed per oculum lippum eum non bene video.

963 Nec obest 2. si dicas: Implicat idem objectum esse fallibile & infallibile in se; sed primo modo est objectum opinionis, & secundo scientiæ: ergo implicat quod simùl sit objectum opinionis, & scientiæ. Respond. aliud esse, quod objectum sit verum, aliud quod sit infallibile: Repugnat esse verum & falsum, hoc summitur ab objecto in se, non autē esse infallibile formalitèr, & fallibile respectivè; quia hoc nō summitur ab objecto prout in se, sed à medijs & motivis proponentibus vt infallibile, vel vt fallibile. Scientia ergo est infallibilis de objecto, quia nititur motivo infallibili; opinio autem ex se est assensus fallibilis ob motivum diversum fallibile; imò & est radicalitèr capax formidinis; sed dum est cum scientia, quævis formido cessat; quia licèt intellectus sciat, in motivo fallibili dari fundamentū formidinis; impeditur tamen hęc à scientia ex suo motivo.

964 Objicies tandem: ergo idem actus ex diversis motivis poterit esse simul Fides divina, & opinio: sicut à multis asseritur, posse esse Fidem, & scientiam ex diversis motivis. Nego consequentiam: quia licèt Fidei actu possint vnum objectum vel duo attingi ex diversis motivis, infallibili, & fallibili: repugnat tamen, quod assensus ex se fallibilis ex motivo, sit actus supernus, quia posset esse falsus, vt supra dictum est. Vndè si esset idem actus, deberet esse supernus, & non supernus contrativè & ex se; hoc autem non sequitur, si idem actus esset scientia, & Fides, quia vtroque modo posset esse supernus.

## ARTICVLVS V.

### *ALIÆ QVÆSTIONES, ET ILLATIONES DE subjecto Fidei.*

965 EX hucusque dictis in Articulo primo, sequitur primo: habitum Fidei qui manet in Hęretico esse acquisitum ex repetitione actuum entitativè naturalium, quos elicit ex motivo formali Fideę objectivæ divinæ juxta dicta supra à *numer.*283. Infertur secundo ex eodem Articulo primo: si alicubi Patres doceant in Beatis, aut damnatis adhuc dari Fidem, intelligi posse de illa Fide lata evidenti per evidentiam in attestante, de qua supra *num.*738.

966 Quod si alicubi ponant differentiam in damnatis inter Fidem, & Spem, & dicant quod ista non maneat, secùs illa, respondetur quod Spes de bono pro ipsis damnatis, etiam acquisita negatur à Patribus, secùs aliqua Fides salutem convicta, vel ex evidentia signorum, vel ex evidentia in attestante. Vndè Fides infusa in damnato moriente absque peccato infidelitatis, excludetur, non ex peccato ipso infidelitatis, sed juxta Thomistas, ob defectum piæ affectionis. Cum tamen ista solum requiratur essentialiter pro exercitio, & non pro habitu, melius dicetur expelli ratione illius status miserrimi, vbi indigni sunt tanto bono superno: & ratione omnimodę inutilitatis, quia jā cessavit via in qua lucerna erat necessaria: de quo supra à *num.*936.

967 Infertur tertio: apud nos habitum Fidei infusæ nō habere essentialem incompatibilitatem cum statu beatifico. Licèt enim repugnent actus visionis & Fidei circa idem objectum, tamen in habitibus similis repugnātia essentialis, non apparet vnde sit. Non enim ex eo quod [illegible] evidentia de objecto primariō, repug-

pugnat essentialiter Fides obscura de secundario, vt docuimus à *num.*750. Solum ergo talis habitus excluditur à nobis, ob evaquationem ejus assertam à Divo Paulo, & etiam quia ejus obscuritas non est consentanea illi statui; & tandem quia inutilis, de quo à *numer.*934.

968 Si dicas: Virtutes morales, v.g. fortitudo, & temperantia manent in Beatis quo ad habitum: Ergo etiam Fides, cum hæc entitativè sit perfectior. Respondetur negando consequentiam ex Divo Thoma 3. *parte, quæst.* 7. *artic.* 3. *ad primum.* Disparitas est, quod Fides est nobilior illis per ordinem ad suam materiam. Sed circa materiam ipsam importat quemdam defectum, scilicèt obscuritatem: quem defectum non important aliæ virtutes circa suas materias. Ideò evacuanda illa, & non illæ.

969 Nec obest: quod apud plures habitus Theologiæ scientificæ, licèt sit obscurus manet in Beatis. Respondet enim P. Gonet, solum esse obscurum accidentaliter, (& non essentialiter sicut Fides,) ratione nempè suorum principiorum, id est præmissarum Fidei, loco quarum intrant in Beatis præmissæ evidentes, quibus in via sub alternabantur præmissæ Fidei. De quo à *num.*37. *de Attributis.*

970 Infero tandem in Hæreticis negantibus Ecclesiam Romanam, si sint simplices, & negent invincibiliter, non solum manere habitum Fidei juxta dicta *num.*957. sed etiam actus circa alios Articulos veros, quia ipsis sufficit pro tali exercitio propositio suæ Ecclesiæ, vel sui Parochi, (quia in his non errant) bona Fide, concepta vt vera, sufficiens & legitima. Si verò sint periti, & negent vincibiliter, & propterea sint Fide superna privati, adhùc manet in eis sufficiens objectum formale expressum pro sua Fide naturali objectivè divina; siquidem credunt, quia Deus summè verax dixit. ¶ Quæ ita est divina ex objecto cum tota

extensione, (de qua *num.*948.) vt sit incompatibilis cum negatione alicujus Articuli concepti vt à Deo dicti. Vndè quem negat, quia concipit non esse dictum à Deo, negat ex *num.*943. Pro propositione autem sùffficit illis, sicut in revelatione privata, quod prudentèr, & moraliter certò eis constet aliundè, talia Mysteria vere dicta esse à Deo.

971 Si dicas contra primam partem. In negante invincibilitèr Ecclesiam Romanam, etiam si confiteatur alios Articulos, non posset infundi virtus superna Fidei: Ergo nec potest conservari. In primis nego antecedens, si de alijs instrueretur, & attritus baptizaretur. Sed melius nego consequentiam: quia sicut impeditur infusio in adulto per defectum invincibilem attritionis & inculpatum, sic per defectum Fidei inculpatum de tali Articulo, quia est inhabilitas. At privari nõ potest sine culpa, quia privatio tunc est pœna, & culpa non datur, vbi adest ignorantia invincibilis.

972 Quæritur in fine: An habitus Fidei remanens in peccatore sit vera Virtus in ipso? Affirmavi supra à *num.* 547. & iterum affirmo, cum communi sententia. Tùm quia Paulus enumerans Virtutes Theologicas, cum seorsim nominat, dicens: *Nunc manent Fides, Spes, & Charitas*: ergo quia secundum se, & seorsim computatus est Virtus. Tùm quia Virtus est principium operationis bonæ & honestæ, inclinans *permanentèr* ad actum bonum, & *arduum, atque ordinatum ad vltimum finem*, quæ omnia conveniunt Fidei. Tùm quia aliud est virtus vera, & aliud virtus perfecta & formata. In hoc secundo sensu debet esse associata charitate; non autem in primo sensu. ¶ Ratio est: quia Aristoteles, Divus Thomas, & alij loquuntur de Virtute perfecta, dum dicunt Virtutem esse, quæ facit hominem bonum, sive quæ constituit hominem in modo, & statu simplicitèr proximè, & formalitèr ordinatũ ad vltimum finem: quod solum præstat ipsa

Cha-

Charitas, conjungens actu nominem cum vltimo hoc. Vndè Patres aliquando dicentes, solum dari in Iusto propriam Virtutem, loquuntur de Virtute perfecta & formata; & similitèr dum vocant Virtutes proprias, illas solas, quæ non reperiuntur in homine, nisi Charitate asociatę, loquuntur etiam de Virtute perfecta, non de vera.

## ARTICVLVS VLTIMVS.

### *DE INFVSIONE, PERFECTIONE, & CAVSIS, atque effectibus Fidei.*

973 QVeritur 2. An aliquãdo habitus Fidei infundatur à Deo sine infusione gratię sanctificãtis? Quod conservetur sine ista, certum est. Tùm ex dictis: Tùm ex Paulo dicente: *Si habuero omnem Fidem; Charitatem autem non habeam*: Ergo sentit esse separabiles. Gonet, Cayetanus, & alij, agendo de causis Fidei, affirmant esse communem sententiam cum Divo Thoma *hic quæst. 6. articul. 2. ad tertium*, infundi à Deo aliquando sine infusione gratiæ, & id contingere in Baptismo adulti informi, & dum infidelis disponitur ad Fidem; non autem disponitur ad Charitatem & gratiam. Quod probatur: quia cum Fides reperiatur separata à Charitate quoad conservari, & homo possit disponi & converti ad Fidem credendo Mysteria, quin se disponat ad Charitatem; æquum videtur vt Deus, juxta dispositionem recipientis infundat Fidem informem, licèt non infundat Charitatem, & tunc ille cessabit à continuatione infidelitatis, sed non à macula infidelitatis præteritæ, quia illud peccatum non tollitur nisi per gratiam. Tridentinum autem docens, infundi à Deo peccatori simùl Fidem, Spem, & Charitatem, loquitur de infideli, dum pleaè disponitur. Hæc doctrina satis vero consona est.

974 Quæritur 3. An inter omnes Virtutes Theologales Fides sit perfectior? (Non est dubium respectu moralium ob motivum nobilius). Videtur quod sic. Primò, quia est de perfectiori linea, nempè in intellectuali, & est in via summum illius lineæ. Secundò, quia est fundamentum & radix totius vitæ spiritualis, sive ædificij, estque apud Patres prima vita spiritualis. Nego tamen cum communi, quia Charitas est perfectior Fide. Tùm ex Paulo dicente: *Quod inter Theologicas maior est Charitas.* Tùm quia ista est quasi forma informans Fidem, perficiens, & elevans ad altiorem statum spiritualem. Tùm quia est vnio strictior cũ ipso Deo, vt porè est summum bonum, & strictior amplexus cum vltimo fine quam Fides.

975 Ad primum respondetur concedendo, Fidem esse de perfectiori linea, sed in ea absolutè sumpta intrat visio Beata Theologica, quę perfectior est. Et sic Fides, cum non sit summum lineæ intellectualis, superatur à summo volitivæ. ¶ Ad secundum respondetur, Fidem esse priorem origine, & propterea vocari fundamentum, & primam vitam, sed perficitur postea à Charitate, vt nexu cum vltimo fine strictiori, in quo differt Charitas à Spe, quæ nec perficit Fidem, imò ipsa accipit à Fide certitudinem, nec vnit immediatè cum Deo, cum non respiciat Deum prout bonum in se, sed prout bonum nobis.

976 Alia restant adversenda pro complemento. Primum: Quod Fides est Virtus Theologica, & intellectualis. Quod si quidam negant, esse virtutem intellectualem; ideò est, quia nomine intellectualis solam virtutem evidentem intelligunt. Secundũ est, Fidem esse eminentèr speculativam & practicam, vt docet Divus Thom. Tùm quia est participatio divinæ scientiæ vt talis. Tùm quia tendit in Deum speculando illum per quosdam actus, (vt dum assentitur esse Trinum & Vnum;) per alios vero in Deum assentiendo, vel quasi practicè,

&

& operativè dictando, obsequia amandi, & colendi ipsum, quia ipse dixit, ista debere fieri. Nec ex hoc sequitur, quod dentur in Fide actus specie diversi, nempè speculativus & practicus. Respondetur enim negando, quia hæc differentia est solum animastica, & se habens materialitèr ad Fidem, cui solum est essentiale assentiri Mysteria, *quia Deus dicit*, quodcumque dicat.

977 Vltimo notandum circa Fidei causas, eam habere quatuor, nempè pro formali, vel se ipsam, quia ipsa est forma intrinseca intelligentis fidelis, vel objectum suum formale & motivum, nempè primam veritatem, vt formam extrinsecam essentialitèr specificativā. Pro materiali, intellectum Viatoris. Pro efficienti, solum Deum, quatenùs ipsa est Virtus per se infusa. Pro finali autem, spiritualem salutem Viatoris, propter quam obtinendam est posita Fides à Deo vt fundamentum, & radix vitæ spiritualis.

978 Divus Thomas hic *quæst. 7. artic. 2.* Fidei duos tribuit effectus, nempè timorem Dei, & purificationem mentis. Timor est duplex. Vnus filialis, alterque servilis. Cum enim Fides repræsentet Deum summè bonum, inducit ad filialem; & cum repræsentet vt Iudicem, inducit ad servilem. Operatur autem Fides purificationem mentis, quatenùs proponendo Dei bonitatem, inducit ad contritionem de peccatis, per quam anima purgatur, & à suis sordibus purificatur.

## QVÆSTIO XVII.

### *DE EXTERNA FIDEI PROFESSIONE.*

979 DVO hic disputanda breviter. Primum est de elicientia ipsius. A quo nempè habitu procedat externa Fidei professio. Secundū est

de obligatione profitendi externus Fidem. De utroque breviter agemus. Quia primum non valdè interest. Secundum autem spectat fusius ad Theologos morales.

## ARTICVLVS I.

### *AN EXTERNA PROFESSIO FIDEI PROCEdat ellicitivè ab habitu Fidei.*

980 AFfirmant communitèr Thomistæ, quia censent non solum se habere externam professionem instar materiæ propriæ imperatæ à Fide, sed etiam elicitivè esse ad ipsa interna Fide. Licèt enim externa professio sit elicitivè à potentia sensitiva locutiva, sed non sola, sed media aliqua qualitate vt virtute derivata in illam ab actu interno Fidei. Recentiores tamen oppositum tenent. Ita Suarez *lib. 2. de Religione, cap 3* Pater Oxea *in Tractatu Morali de Virtute Theolog disputat. 1. section. 1.* Vbi distinguit duplicem modum quo actus externus sit actus alicujus Virtutis. Primus est: quia talis actus externus est materia propria circa quam, tanquam circa objectum proprium versatur talis Virtus. Vt restitutio respectu Iustitiæ, & moderata comestio respectu Temperantiæ. Secundus est: quia talis actus externus, licèt sit materia omnino extranea tali Virtuti, imperatur tamen ab illa, & ordinatur ab illa ad suum finem, vt quando moderata comestio imperatur à Pœnitentia ad satisfaciendum Deo.

981 Vnde docet primo: Quod confessio externa cum sit quid entitativè naturale non est elicitivè ab habitu intellectuali Fidei, sicut est ab illo elicitivè actus internus. Secundo: quod nec est ab illo imperativè, sicut moderata comestio est imperativè à Temperantia, quia homo vt intellectivus nõ est imperativus. Tertio: nec se habere vt propriam materiam talis habitus, quia

pro-

propria materia talis habitus est specificativum ipsius, quale non est externa professio Fidei respectu habitus interni. Quarto tandem, esse actum Fidei latè, sumptæ pro pia affectione complente Fidem. Et ratio est: quia sicut ad istam attinet movere intellectum ad credendum dicta à Deo propter honorem divinæ veracitatis, ita & ad confitendum ea propter eundem honorem.

982 Thomistæ autem probant elicientiam ab habitu Fidei, quia locutio exterior elicitivè, & non imperativè, procedit à judicio intellectuali, pro quo in ore substituitur. Etenim actus exterior oris non est objectum actus mentalis, sed ipsius exercitium: si autem esset imperatus, esset ejus objectum: ergo vterque debet procedere ab habitu Fidei, vt motore locutionis externæ per actum Fidei internum. Vndè quando in ore datur locutio, quæ non sit exercitium judicij interni, sed objectum cognitum, non procedit ellicitivè ab habitu, à quo procedit tale judicium internum. Sic in conservante Fidem interius, & exterius negante per locutionem hæreticalem, illa locutio infida non procedit à judicio infideli, quia non procedit vt exercitium illius.

983 Quod autem hæc sententia sit expressa D. Thomę, probatur contra Patrem Oxea *ex quæst. 3. de Fide, artic. 1.* vbi Sanctus Doctor respondendo ad 3. inquit: *Fides interior, mediante dilectione, causat omnes exteriores actus virtutum, mediantibus alijs virtutibus, imperando, non elliciendo; sed confessionem producit tanquam proprium actum, nulla alia virtute mediante.* Ex quibus verbis manifestè patet fieri ellicitivè ab habitu Fidei, prout contradistinguitur à fieri imperativè per affectionem.

984 Quæ doctrina ex duplici capite confirmatur à nobis. Nempè quia si potentiæ exteriores mittunt ad interiores, (v.g. Visio ocularis albedinis ad po-

tem

tentiam imaginativam) speciem impressam immediatè repræsentativam albedinis visæ vt elliciat cognitionem imaginativam circa illam, & postea potentia imaginativa concurrat ad speciem spiritualem intellectus similitèr de eodem objecto, non est cur intellectus medio suo actu Fidei supernæ non possit mittere ad potentiam locutivam aliquam virtutem vt loquatur id ipsum objectum, quod intellectus crediderat. Secundum caput est: quia in hoc differt exercitium imperatum ab elicito, quod imperatum, extrinsecè habet ab imperante, & non ex propria inclinatione, quod ordinetur ad objectum, seu finem intrinsecum imperantis. At locutio salutis vera, ex propria natura & inclinatione ordinatur, vt exprimat ipsissimum objectum, & finem intrinsecum interiæ creditionis: ergo quia est ellicitivè ab ista.

985 Nec obest 1. Quod talis confessio sit entitativè naturalis. Potest enim 1. responderi: quod talis locutio est ex illis actibus, qui respectivè ad suum objectum possunt fieri naturalitèr, vel supernè, vt diximus de conclusione Theologica à *numer. 52. de Attributis.* Erunt autem determinatè superni à principio, si illud habeant supernum. Respond. 2. fore naturalem: quia qualitas derivata ab actu superno Fidei est naturalis, quia non derivatur ab ipso vt superno, sed prout judicio affirmativo Mysterij præcisè, (quo pacto præscindit à superno) & pro illo vt tali ex propria inclinatione substituitur.

986 Nec obest secundo: Quod sicut vnus habitus solum est in vna potentia, solum est natus operari intra illam, & non extra: ergo. In primis negant antecedens adducendo ex Divo Thoma habitus operantes in alia potentia. Etenim Divus Thomas *in 4. distinct. 15. quæst. 4. artic. 1. quæstiuncula* 4. in fine corporis docet, quod oratio quæ est actus intellectus, ellicitivè est à virtute latriæ existente in voluntate. Idem docet

*ibidem*

*ibidem distinct 17.quæst.3.artic.2.quæstiuncula 7.ac Confessione externa peccatorũ*;nempè esse elicitivè à Pœnitentia. Ratio autem potest esse ex nuper dictis, quia ex propria inclinatione sunt propter objectum,& finem intrinsecum talium virtutum. Et idem dicendum de Restitutione,& moderata comestione respectu Iustitiæ & Temperantiæ. Eodem modo discurrendum videtur quotiescumque actus externi sunt materia propria,& per se ordinantur ad objectum formale talium virtutum,& nulla apparet virtus,aut habitus medius,à quo elicitivè procedant.

987 Respondetur secundo: Quod benè potest contingere vt habitus sit in vno solo subjecto, & operetur physicè,& elicitivè in alio,quoties operatur non immediatè per se ipsum, sed media virtute in aliud subjectum missa. Sic virtus generativa Patris physicè, & elicitivè operatur Filium in Matre, quia operatur medio semine immisso.Et Cœli in Mari,& cum Mari producunt Maris fluxus, & refluxus per virtutem missam,sicut & Sol generat metalla intra terram,quę omnia sunt elicitivè ab illis agentibus, sed operantibus media virtute immissa. Quod si aliquando actus imperati fiant media virtute immissa,& nihilominus adhùc maneant purè imperati,& non eliciti;non idem sequitur de adductis.Manebunt enim illi imperati;vel quia adhùc non ordinantur ex propria inclinatione ad objectum formale imperantis,sed purè extrinsecè:vel quia adhùc constabit de habitu, & virtute permanenti media, à qua eliciantur.

988 Nec tandem obest, quod multoties confessio Fidei procedit à non habente Fidẽ vt in Christo,& Angelis non habẽtibus interius habitũ, nec exercitium Fidei,& tamen Mysteria confitentibus.Secundo:In Hęreticis interius negantibus,& aliquando exterius confitentibus. Tertio:Negatio externa Fidei sæpè non est ab assensu interno contra Fidem, vt patet in Sancto

Mar-

Marcello, & alijs interius credentibus, & exterius metu tormentorum negantibus: Ergo nec confessio Fidei erit à Fide. Huic argumento respondet Pater Gonet generalitèr quod sententia Thomistica solum intendit confessionem Fidei esse à Fide, quando ista datur, sicut etiam negationē Fidei ab infidelitate quando datur. Ita respondet *disputat.3. artic.1. in responsione ad primum.*

989 Sed licèt doctrina solutionis vera sit, adhùc videtur aliquantulum diminuta, & insufficientèr explicata. Non enim explicat, tunc à quo procedant tales locutiones, an à sola potentia sensitiva locutiva, an ab ea cum influxu intellectus? In primis enim videtur in Christo, & Angelis in quibus præcedit assensus talium Mysteriorum, ab eo derivari ad potentiam confitentem Mysteria virtutem aliquam, per quam talis potentia confessionem illam eliciat. ¶ Sed quid si externa confessio, sive dictum disfidet ab assensu interno? Videtur quod cum semper locutio supponat in ore, pro aliqua cognitione quæ est in mente, & hoc indispensabiliter; & in mente hæretici præcedat judicium negans Fidem, & simul apprehensio repræsentans objectum illud quod ore confitetur, fortè tunc negatio interna Fidei non immittit virtutem vllam ad potentiam locutivam, sed sola apprehensio opposita immittit talem virtutem: & sic locutio, & confessio externa derivationem suam accipit ab apprehensione in ordine ad loquendum de objecto apprehenso, (licèt ex prava intentione loquatur quasi de judicato) Sicut autem voluntas est quæ movet intellectum ad credendum, vel discredendum, ita etiam movet ad loquendum creditum, vel ad occultandum. Et jus ipsa habet movendi intellectum, secundum quod illa vult manifestare; & juxta intentum manifestandi, intellectus natus est ex actu qui manifestandus est, derivare in locutivam potentiam virtutem proportionatam.

ARTI-

## ARTICVLVS II.

### DE OBLIGATIONE PROFITENDI EXTERIVS Fidem.

990 CIRCA 2. de præcepto quando obliget? Respond. 1. Professionem Fidei externam in voto inclusam esse in Baptismo; & sic est necessaria ad salutem vt medium, sed *in voto* tantum. Respond. 2. Aliquando esse necessarium *in re*; sola tamen necessitate præcepti. Hoc autem obligat sæpè, sed præcipuè ex obligatione ipsa Fidei, quando ex non profitenda Fide exterius resultaret injuria divinæ Veritati. Vt si quis à Tyrano interrogatus de Fide, eam externè non profiteretur. Obligat etiam ex Charitate, si silentium cedat in damnum spirituale proximi, qui ob id non convertitur ad Fidem, vel de Fide dubitat, vel titubat in tormentis. Tùnc enim tenetur Christianus in publico confiteri, & clamare pro sua Fide, vt fecit Sanctus Sebastianus.

991 Respond. 3. Non licet Christiano ob vitam tuendam, vel verbis amphibologicis, aut silentio, quibus se simulet infidelem, & credatur infidelis, quando de Fide interrogatur; tenetur enim expressè eam confiteri. Ita communis sententia. Probatur: Tùm quia tacere esset erubescere Christum, contra præceptum Christi, *Luca* 19. Tùm quia est magna injuria contra Christum, & Fidem illos erubescere, nam illi putabuntur mendaces. Nec obest, quod in alijs occasionibus, licita est pro vita amphibologia. Respond. quod in hac occasione agitur causa & honor Dei, pro cujus dictis & honore mori tenemur.

992 Illud quod dixi de silentio, non licere intelligitur, quando indicet negari Fidem, & erubesci Evangelium, sumpta præsumptione ex illo silentio, secus

cus si inspectis circunstantiis, silentium esset potius contemptus quidam interrogationis, vepotè Holidæ. Et sic, dicta intellige, quando interrogatur saltim ab habente authoritatem, v.g. à Iudice, (nam si à particulari interrogaretur, licèt non posset Fidem negare, posset ei respondere quin confiteretur: *Quid id ad te attinet?* Vel alia similia verba.

992 Respondetur vltimo: Non licet Christiano exercere actiones externas, quibus videatur cum infidelibus convenire in secta, id est in actionibus primariò institutis pro cultu Idolorum, vel professione sectæ. Vodè non licebit indui veste Sacerdotali idolatrica, vel hæretica, quia hoc esset Fidem negare factis, licèt non verbis. ¶ Nec obest 1. Quod Scriptura laudet Iehu dissimulantem, se velle colere Idolum Baal. 4. *Reg.* 10. Nam id fecit Iehu, vt summeret occasionem occidendi ejus cultores. Scriptura autem non laudat factum simulationis, sed laudat zelum occidendi eos.

993 Nec item 2. obest: Posse aliquem vti vestibus proprijs infidelium in terra eorum, ne cognoscatur vt Christianus, & oprimatur: ergo etiam exercere alias actiones, v.g. immolationem, &c. Nego consequentiam: quia ipsę ex sua institutione sunt cultus Idoli: vestes autem dictæ de per se sunt institutæ ad tegendum corpus, quod est quid naturale, & tales vestes ad summum significant nationem, non verò Religionem. Addunt aliqui, licere etiam si significent sectam, si fiant primario propter alium vsum tegendi corpus; inspectis enim circunstantiis, cum possint fieri propter vnum & aliud, non est determinatè protestare sectam, & multo minus ex fine.

994 Nec eandem 3. obest: Quod Christianus inter Hæreticos potest carnem comedere in die veneris ad se occultandum, licèt talis comestio non sit Catholica, sed hæretica: ergo etiam poterit vti prædictis

alijs

alijs actionibus, nempè ventibus Sacerdotalibus, idolatricis. Nego consequentiam: quia vestes Sacerdotales vt tales, institutæ, & destinatæ sunt ad talem cultum; ac comestio carnis in die Veneris habet alium vsum satis præcipuum, nempè se bene nutrire. Vndè tenet Pater Gonet, quod etiam si in Anglia comestio carnis sit protestatio libertatis conscientiæ, adhùc est licita Catholico se occultanti, (sed nota, quod non est signum determinatum sectæ, sicut tempore Machabeorum erat comestio carnis porcinę, sed libertatis generalis;) quia ex vno capite non est prohibita illi ex præcepto Ecclesiæ, non obligante cum tanto periculo: & ex alio capite non est protestatio sectę ex sua determinatione, cum habeat alium vsum satis pręcipuum.

## QVÆSTIO XVIII.

### DE REGVLIS FIDEI.

### ARTICVLVS I.

### QVID, ET QVOTVPLEX SIT REGVLA FIDEI.

995 ASSERO primo, regulam Fidei esse: *Quid sensibile, proponens vniversalitèr & infallibilitèr res credendas.* Debet esse *sensibilis*, vt accommodetur Ecclesię sensibili. *Vniversalis* quantum est ex se, vt sic differat à proponente specialitèr revelationem specialem. *Est infallibilis* ex Spiritus Sancti assistentia, ad quam spectat non permittere fallibilitatem in regula à qua hauriēda est Mysteriorum Veritas. *Proponens res credendas* est differentia in Regulis Fidei: quia propositio Ecclesiæ ad talem Regulam spectat.

996 Assero 2. Licèt Regula Fidei non sit absolutè

lutè necessaria ad actum Fidei, ( ex revelatione enim particularitèr proposita potest esse Fides: ) est tamen necessaria in Ecclesia. Est contra Hæreticos; est tamen certum. Tùm ex Tridentino *sessione* 4. Tùm quia Fides est vna ex D. Paulo ad *Ephes.* 4. & Ecclesiæ vnitas fundatur in vnitate Fidei, atque operationis, in credendis; non autem esset vna Fides, nec perseveraret vna absque Regula. Patet, nam cum jam Deus non revelet res Fidei, nec per se, nec per miracula (ea enim quę facit in confirmationem revelatorum facit) in dubijs de Mysterijs Fidei, quilibet posset summere pro Regula Fidei judicium suum, vt faciunt Hæretici: quod cum ita varium sit in hominibus, necesse esset, vt variaretur Fides, & daretur divisio & oppositio in doctrinis, sicut datur inter Hæreticos, eo ipso quod se separant à Regula Romana Fidei.

997 Assero 3. necessariam esse in Ecclesia Regulam sensibilem animatam, v.g. Papa. Est contra Hæreticos volentes, sufficere Scripturam Probatur: Tùm ex illo *Deuteron. cap.* 17 *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, & judicum intra portas videris verba variare, surge, & ascende ad locum, quem elegit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quaresque ab eis, qui judicabunt tibi judicij veritatem, faciesque quodcumque dixerint.* Tùm exemplo Apostolorum, qui *Actor.* 15. in determinatione gravis difficultatis non sunt ducti judicio proprio, sed illam definierunt simul humano sensibili, & animato modo, congregati in Concilio. Imò D. Paulus *ad Galat.* 1. priusquam Evangelium traderet toti Ecclesiæ, consuluerit cum D. Petro, vt constaret esse conforme Regulę animatę Ecclesiæ, nempè Papæ.

998 Tùm quia in controversijs quotidie excitatis per Hæreticos, non potest summi revelatio ex sola Scriptura, vel traditione: nam Scriptura est difficilis,

&

& vtramque vnusquisque potest in proprium sensum extorquere, ita vt quilibet dicere possit, illum esse verum sensum, qui conformis suo judicio: ergo necessaria est Regula animata, quæ judices de vero sensu, ne vnitas Fidei, per judicia propria, opposita judicantia, dividatur. Confirmatur: quia si Scriptura cum proprio judicio ex Spiritus Sancti inspiratione, (vt Hæretici dicunt) sufficeret, quilibet posset asserere sibi ita à Spiritu Sancto inspiratum, & contradictoria asserere; neq; inveniretur vna, & vera Fides. Vndè qui falsum defenderet, putando verum, quomodo sine vera Fide salvaretur, cum id sit contra Scripturam?

999 Nec obest 2. Quod Scriptura doceat, debere probari Spiritus. 1. *Ioann.4. & alibi* Item *cap.10.* promittens cognitionē veritatis volentibus facere voluntatem Patris. Ex quo inferunt, volentem facere eam, eo ipso habere cognitionem veritatis, & sic posse esse Iudicem de spiritibus. Fateor, probandos esse spiritus in rebus dubijs, sed tamen per Regulam infalibilem, qualis non est judicium vniuscuiusque. Posita ergo subjectione animi ad Regulam Fidei, illa voluntas proderit, vt disponatur quis ad cognitionem veritatis inventæ; inventæ tamen per Ecclesiam, & eius intervenzu.

1000 Dices 2. Ergo data Regula viva, superflua erit Scriptura Sacra, cum illa possit certificare nos de omnibus. Nego consequentiam: quia Scriptura requiritur ad hoc, vt ex illa tanquam ex deposito Spiritus Sancti, Regula viva eruat Mysteria illa tradenda quæ Regulæ vivæ non sunt immediatè revelata. ¶ Dices 3. Ergo sola viva est vera Regula, siquidem aliæ debent per illam regulari. Nego consequentiam: Tùm quia in his quæ constant evidenterè in Scriptura ipsa, jam est certa Regula ante declarationem Regulæ vivæ. Tùm quia non est contra naturam Regulæ infallibilis in evidentis, vt per alias ejus infallibilitas dignoscatur. Sicut in Civitatibus sunt quædam mensuræ reservatæ,

vt per illas aliæ mensuræ communes, (quæ etiam sunt mensurę) examinatæ,& approbatæ,officium mensurandi exerceant. Vel dic has Regulas habere inter se subordinationem in aliquibus.Multas autem Regulas subordinatas non repugnare.

1001 Assero 4. Regulas Fidei esse quinque, Scripturam, Traditionem, Ecclesiam, Papam, & Concilium Generale, non verò Provinciale,nec Patres Ecclesiæ, nec Scholasticos,& alia similia. Ita communior sententia contra Granado. Probatur: quia illæ proponuntur vt certæ sensibiliter & infallibiliter: de istis verò non constat certò habere infallibilitatem: ergo non sunt Regulæ Fidei. Vndè negare aliquid contra Patres, & Scholasticos non est hæreticum, licèt temerarium sit,& aliquando erroneum:ergo quia non sunt Regulæ Fidei.*Vide Quæst.2.de Attributis.*

## ARTICVLVS II.

### *DE ECCLESIA ROMANA.*

1002 ECCLESIA Vniversalis Militans, est *congregatio Fidelium Viatorum in vnam Fidem.* Hanc dari in mundo, nec Hæretici negant, constatque ex Symbolo Fidei: *Credo Sanctam Ecclesiam.* Ecclesia est quoddam corpus morale, seu politicum instar Reipublicæ, constatque materia, & forma. Nota contra Hæreticos, formam non esse prædestinationem, aut sanctitatem, quia Ecclesia etiam continet reprobos & malos, paleas cum tritico, vt expressè Scriptura docet.

1003 Nec obest: dici Sanctam & Immaculatam: ergo forma est Sanctitas. Respond. quod dicitur Sancta à Fide, Religione, Doctrina, & Cæremonijs, quas habet,& à præcipuis partibus, nempè justis: in aggre-

ga-

gato enim accidentali, non est verum: *Malum ex quocumque defectu.* Vndè si aliquibus Ecclesia summitur pro Iustis, non est sermo de Ecclesia generaliter sumpta, sed de præcipua parte ejus.

1004 Assero 1. & est contra aliquos Catholicos: formam Ecclesiæ consurgere ex Fide interna: (sive alio dono Theologico) & ex professione externa. Prima pars probatur: Tùm quia Ecclesia est congregatio fidelium; fidelis autem à Fide interna est talis. Tùm quia ista est fundamentum vitæ spiritualis, & est primum quod determinat hominem, vt vniatur Ecclesiæ: ergo est de ratione formæ Fidei. Secunda pars probatur: quia Ecclesia est corpus sensibile & visibile, debetque constitui forma sensibili, & non est alia, nisi externa vnio fidelium & professio, reddens internam Fidem sensibilem externè.

1005 Hinc sequitur 1. Non solam externam professionem esse constitutivum & formam, quia hæc est in hæretico occulto; qui tamen non est vnitus, nec membrum Ecclesiæ, cum nihil habeat spirituale supernum, per quod vniatur. Vnio autem debet esse superna, qualis non est externa professio pura. Nec obest August. aliquando docens, Hæreticos occultos esse in Ecclesia, nam solum vult esse in Ecclesia quoad externam apparentiam & subjectionem.

1006 Sequitur secundo: Nec solum characterem Baptismi esse formam. Tùm quia iste non est sensibilis. Tùm quia manet in Hæretico etiam manifesto, & in damnato. Nec obest 1. Ecclesiam punire Hæreticos, quod non facit Respublica, nisi de suis membris. Nego, quia etiam facit de his, qui cum sint ejus membra, recedunt à tali vnione cum injuria Ecclesiæ, & de alijs, si ei inferant injuriam. Nec 2. Hæreticos publicos exercere actum ordinis & jurisdictionis in aliquo casu: quod non præstarent, nisi membrum Ecclesiæ essent. Resp. hoc exercitium esse dispensatoris, quod potest in illis

conservari, ne pereant plures animæ, circa quas illud exercent, & sufficit ad hoc character.

1007 Nec obest 3. Baptismum esse Ecclesiæ januam: ergo effectus proprius ejus, qui est Character, erit constitutivus Ecclesiæ. Respondeo esse januam Ecclesiæ vt visibilis, & sic non quoad essentialia, & formalia; nam hæc est Fides, & potest dari ante Baptismum, (& Cathecumenus ante illum est Ecclesiæ membrum, teste August. *Tractatu 4. in Ioann. & lib. 4. de Baptis. cap. 2.*) Sed est janua quoad partem externam, aut integralia, nempè suscipiendi Sacramenta. Idem dic de Charactere, quod de Baptismo dictum est.

1008 Sequitur 3. Vnionem fidelium cum vno capite, nempè Papa, per obedientiam non intrare essentialem formam Ecclesiæ. Tùm quia obedientia ad Papam non constituit fidelem, sed supponit: sicut nec inobedientia in fidelem. Imò nec in obedientia ad Christum. Tùm quia illa obedientia non est vnio essentialis Ecclesiæ; nam hæc est Fides, sed solum accidentalis, sive integralis, & complexæ in ratione externa visibilis, & hæc non illa rumpitur, quoties per scisma dicitur destrui Ecclesiæ vnitas. Hæc intellige, dum non negatur Fides de potestate Papæ, quia tunc esse Hæreticus, quia negat quod est de Fide.

1009 Infero, materiam Ecclesiæ esse congregationem illorum hominum, qui interiùs, & exteriùs sunt fideles, v.g. Omnes Cathecumenos, & Baptizatos, nam in Baptismo externa Fides profitetur. Si aliquando Patres dicunt, non Baptizatos membra Ecclesiæ non esse, loquuntur de Ecclesia sumpta etiam integraliter, vt dicit jus Sacramentorum, per Baptismum, & alia hujusmodi adquisitum. Hæc tenenda sunt à nobis, quatenus non opponantur dictis *in Tomo de Incarnatione*, loquendo de Christo vt Capite.

1010 Affero 2. in hac Ecclesia Romana esse signa per quæ reddatur sensibilis. Est de Fide, nam con-

stat, in ea esse Prælatos visibiles, doctrinam, professionem externam, sacrificia, & alia signa visibilia. Nec obest, in multis locis Scripturæ dici, Ecclesiam esse internam, & Regnum Dei esse intra nos. Respond. loqui ibi de præcipuo Ecclesiæ statu, qui est internus, non de totali.

1011 Hæc Ecclesia incæpit in Adamo, & Eva; quia tunc extitit congregatio fidelium fundata in Fide de Deo, & Christo, qui eis fuit revelatus. Quando autem Patres dicunt, incæpisse in Abel, non loquuntur de esse, sed de fructu, & primo augmento; nam fuit fructus primus, qui moriens reddidit securam suã salutem. Ecclesia autem Sancta integraliter vt modo est, vt dicit Baptismum, incæpit à Christo Domino, vt per se claret.

1012 Assero 3. circa Ecclesiæ proprietates, esse perpetuam, quia vera Fides ab Adamo, & Eva usque ad finem mundi semper reperietur, saltim in aliquibus. Semper fuit vna numero, quia Fides est vna ex D. Paulo. Est autem Ecclesia vna vnitate aggregationis; & licèt tempore Synagogæ essent fideles Gentiles, & Ecclesia in illis non pertinens ad Synagogam, veraque Ecclesia erat substantialiter vna, quia eadem erat Fides de Deo Remuneratore, licèt quoad externum cultum, & cæremonias esset contingenter diversa; & licèt Pontifices, & leges essent diversæ, sicut hodie status Religiosus, & Sæcularis sunt vna Ecclesia, licèt detur diversitas contingens in multis rebus. In Ecclesia non omnia membra sunt æqualis potestatis, vt Hæretici volunt: nam sunt Hierarchiæ Apostolorum, Doctorum, Sacerdotum, & non Sacerdotum, &c. Alia diximus supra, vbi de signis veræ Ecclesiæ.

1013 Assero vltimo: Ecclesiam Vniversalem ita esse Fidei Regulam, vt non possit errare circa hæc. Primo circa res Fidei, per hæresim, quia eo ipso desineret Fides vera, & deficeret forma ejus, & portæ infe-

ri adversus eam prævalerent. Secundo, nec per ignorantiam invencibilem, circa substantialia, & necessaria in suo statu. Imò circa nulla, quæ vt credenda de Fide, aut moribus proponat. Tùm quia ei semper assistit Spiritus Sanctus, eam illuminans, Ioan. 14. *Alium Paraclytum dabit vobis, & manebit vobiscum in Æternum.* Tùm quia est *Columna Veritatis, ad Timoth* 3 Tùm quia ruerct firmitas Fidei; nam de omnibus quæ proponit, dubitare possemus, an erraverit ex ignorantia. Vndè Ecclesia in rebus Fidei proponit veritatem infallibilitèr; quia nec falli potest, vt probavi, nec fallere; quia peccaret gravitèr, & periret ejus Sanctitas.

1014 Addo vt probabilius: non solum Ecclesiam non posse errare, verùm nec omnes Prælatos simul, nec omnes Subditos simul; quia Ecclesia est corpus disimilare, constans membris & Capite, & si aliqua Hierarchia tota simul erraret, deficeret illud membrum principale, & Ecclesia esset corpus monstruosum, Providentiæ Christi indignum, & non tota Pulchra.

## ARTICVLVS III. & §. I.

### DE PAPA.

1015 IN Ecclesia esse vnam Supremam Potestatem, in vno homine, & Capite residentem, vt pezit Gubernatio Monarchica, (& non in pluribus vt volunt Hæretici,) est de Fide, vt videri potest apud Auctores. Nec enim sine illa possent tot fideles communicantes Sacramentis Ecclesiæ, Cæremonijs, & Cultui, ita benè gubernari. Quod si in lege naturæ non fuit, nihil mirum: cum tunc fideles non communicarent eisdem Sacramentis, & Ritibus; nec Ecclesia erat sic integra, & perfecta ac nunc. Hæc Supre-

ma

ma Potestas data est Divo Petro, & in illo omnibus Successoribus.

1016 Prima difficultas: An sit de Fide, Clementem Decimum esse verum Pontificem? Affirmo cum communi. Tùm quia Concilia, quæ sunt Fidei Regula, dum acclamant Divi Petri Successorem hunc numero hominem, absolutè acclamant Pontificem: ergo quia hic numero homo est verus Successor, juxta judicium Concilij. Tùm quia hæc numero Scriptura, hoc numero Concilium, hæc numero Ecclesia sunt tales de Fide: ergo & hic numero Pontifex, (nam alias nihil haberemus certum de Fide; nam posset quis dicere, Tridentinum esse verè Concilium ex suppositione, quod sit legitimè congregatum; de hac autem suppositione non constare: Idem de Scriptura, & alijs: quo tuerer tota nostra Fides? ergo & à paritate erit de Fide, hunc numero Episcopum esse absolutè Papam.

1017 Item: Tùm ab inconvenienti, quia dubium esset quidquid ipse definiret, si non esset de Fide, quod sit verus Papa Tùm quia in Bulla Martini Quinti mandatur, vt Hæretici volentes reconciliari Ecclesiæ interrogentur, an credant, quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuit, sit verus Successor Divi Petri; non autem id exigeretur credendum, nisi esset de Fide.

1018 Tandem, quia hæc propositio est de Fide: *Omnis verus Successor Petri, est verus Pontifex;* quæ propositio revelata est in promissione facta Petro, facta est enim ejus Successoribus etiam, vt docent omnes Catholici: ergo & hæc est de Fide. Clemens X. est verus Pontifex. Probatur consequentia: Tùm quia quæ evidentia morali constant esse revelata, eo ipso sunt de Fide credenda, quia eo ipso datur revelatio, & sufficiens propositio; sed id ita constat: ergo. Minor patet: quia constat ex consensu Ecclesiæ illum

approbantis, recipientis, & adorantis, quæ Ecclesia assistitur, detineturque à Spiritu Sancto ne erret. Tùm quia constat evidentia physica, quod sit adoratus ab Ecclesia vt Pontifex. Ecclesia autem est Columna Veritatis, & in hoc errare nequit.

1019 Nec dicas primo: Id numquam esse à Deo revelatum. Nego enim, quia est revelatum in dicta propositione universali, quod omnis ab Ecclesia adoratus vt Papa, est verus Petri Successor. Sicut te esse redemptum, est revelatum in illa universali: *Omnis homo est redemptus à Christo*, vt supra docui, quia maximè hæc quæstio ab illa pendet. ¶ Nec secundo: Si id esset de Fide, maximè quia Ecclesia id tenet: hæc autem ratio non sufficit ad Fidem, cum non sit revelatio. Item, quia non esset de Fide, antequam Ecclesia declaret, cum esse canonicè electum, quod est absurdum, nam Ecclesia non facit res de Fide.

1020 Nego antecedens, si *ly quia* sonet motivum Fidei, sed quia à Deo revelatum. Quod autem Ecclesia ita teneat solum est conditio proponens, & facit quod sit sufficienter propositum, & quod debeat credi. Vnde antequam Ecclesia declaret, jam erat revelatum, sed non proximè de Fide credendum, quia deficiebat conditio, nempè propositio Ecclesiæ. ¶ Nec obest tertio: Quod non sit de Fide, hanc numero Hostiam esse consecratam: ergo nec hunc numero hominem esse Papam. Nego consequentiam: quia hic adest per adorationem propositio Ecclesiæ, secùs pro tali Hostia. *Vide à num.* 402.

1021 Vnde etiam constat de Fide, eum esse canonicè electum, & esse baptizatum, & esse Papam, quia omnia illa proponit Ecclesia vt vera in illo subjecto, eo ipso quod per adorationem eum proponit vt verum Pontificem, & vt habentem omnia requisita essentialia; aliàs si hæc vere non essent de Fide, nec de Fide erit quidquid ipse definiat, vt benè arguit Suarez.

§. II.

## §. II.
## DE INFALLIBILITATE, ET CREATIONE PAPÆ.

1022 SEcunda difficultas: An Papa definiens possit errare in rebus Fidei, & morum? Nego etiam de absque Concilio propositis, quia illa Christi oratio: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, fuit efficax, & obtinuit pro ipso, quod petebat. Ex qua PP. colligunt, non posse errare, quia deficeret veritas Fidei. Eos citat Gaspar Hurtado: Tùm ex praxi Pontificum, qui sæpè definiunt soli. Tùm quia habet infallibilem assistentiam Spiritus Sancti detinentis ne erret.

1023 Vndè Papa Ioann. XXII definere volens: *Iustorum Animas non visuras Deum ante diem Iudicij*, ex divina providentia morte præventus est, ne erraret, vt refert Bellarm. Vndè addo, quod etiam absq; examine non potest errare, quia examen est conditio, vt prudenter agat, & non peccet: non vero vt non erret. Vel si requiritur examen, ad Providentiam Dei spectat non sinere eum definire, nisi faciat examen de rebus definiendis.

1024 Sequitur 1. Non posse errare quoad substantialia alicujus Religionis, dum illam approbat, (quidquid sit de circumstantijs, quas non intendit definire, vt notavit Bellarm. citatus à Suarez, nisi expressè eas declaret) nam erraret in rebus morum, proponendo illam Religionem vt salutis, & perfectionis viam, quod Ecclesiæ esset valdè perjudiciale. ¶ Sequitur 2. Nec in Canonizatione Sanctorum ob eandem rationem, quia proponit cultum illorum virorum vt infallibiliter honestum, & debitum, & obligantem, qui tamen talis non esset. Idem docent plures de Beatificatione eorum, licèt alij resistant dicti; quia in Canonizatione.

tione procedit vt Iudex præcipiendo Cultum; in Beatificatione, vt Princeps dando Privilegium permissivum cultus, sed non præceptivum.

1025 Tertia difficultas: ad quem spectet creatio Pontificis? Respondet, designare personam spectare ad eos Viros, quos Pontifex decrevit; dare autem Potestatem Pontificiam electo, ad solum Christum. Prima pars constat. Tùm quia creatio Pontificis est res gravissima, & toti Ecclesiæ convenientissima: ergo in Supremo Iudice debet esse Potestas disponendi illam, destinando Electores. Tùm quia in illo est Potestas decernendi Ritus, quibus Papa est eligendus. Vnde Gregorius XIII. in Cæremoniali, & in Bulla speciali decrevit modum perpetuò servandum. Secunda pars constat, quia Potestas Pontificis habet annexam assistentiam Spiritus Sancti, quæ à solo Christo dari potest designato ab Electoribus.

1026 Infero 1. cum Vazquez *de Ordine, disput. 144. cap. 3. & cum alijs*: posse Papam designare sibi Successorem. Tùm quia in eo residet Potestas nominandi Electores, & præscribendi modum: ergo multo melius eligendi. Tùm quia Divus Petrus elegit Clementem in Successorem suum, & si alij non fecerunt, non est quia non possent, sed quia non expediebat. Infero 2. Posse vni Electori relinquere potestatem eligendi ob eandem rationem, & quia si potest vnus Cardinalis eligere Papam, compromittentibus alijs, melius poterit sic disponente Papa, à quo Cardinales habent potestatem eligendi, & compromittendi. Infero 3. mortuo Papa, & omnibus Electoribus designatis, electionem pertinere jure naturali ad omnes Episcopos Orbis, quia ipsi sunt Primates, & ad eos spectat curare de Ecclesia Dei, & de provedendo et de Capite.

1027 Quarta difficultas: ad quem spectet privare Papam? Eum posse liberè renunciare Pontificatum, est certum; & ita fecit Cœlestinus V. Posse de-

po-

poni etiam est certum, vt si incideret in longam amentiam, quia tunc esset gubernandi incapax, & quasi civilitèr mortuus. Item quando duo sunt electi, & non est vndè convincatur quis sit verus Papa, deponendi sunt à Concilio ob Ecclesiæ commodum. ¶ Videatur Hurtad. *disputat.* 11. Respondeo ergo 1. propter Hæresim internam & externam; occultam tamen, non posse privari ab aliquo, ita Hurtad. citatus. Patet: quia nec Ecclesia, nec Concilium judicant de occultis. Respond. 2. propter Hæresim externam sufficientèr probatam, non est privatus ipso facto. Tùm quia eam pœnam incurrere ipso facto, non constat ex jure divino, nec ex Pontificio: imò istud non sufficeret, quia Papa non subjcitur ei. Vndè S. Marcellinus publicè incensum obtulit Idolo, & non fuit privatus.

1028 Nec obest: Papam Hæreticum non esse membrum Ecclesiæ, nec Caput. Respond. quod licèt non sit membrum substantialitèr, est accidentalitèr quoad potestatem, & jurisdictionem dispensatoriam, quæ per Hæresim Papæ non perditur, vt supra dictum est; nec est alia qua lex vnde colligatur deperdi.

1029 Respond. 2. Posse Concilium privare Papam Hæreticum, ferendo sententiam contra illum, quia esset res durissima, Papam Hæreticum non posse deponi, cum sit toti Ecclesiæ perniciosissimus: non autem est à quo deponatur, nisi à Concilio; quod licèt videatur non legitimum, si Congregatio ejus non sit à Papa esset in eo tunc à lege naturali legitimum, ob tantum excutiendum ab Ecclesia Dei malum. Adde ob alia peccata non posse deponi, vt communis sententia testatur.

1030 Si objicias: Concilium Generale non est supra Papam: ergo nequit illum privare. Anteced. patet ex illo dicto Concilij ad Marcellinum relato in Breviario: *Tu te judicio condemna, quia prima Sedes à nemine judicatur.* Item ex Lateranense Concilio,

quod

quod est quinctum Generale, *Sessione* 11. definiente: In solo Papa esse potestatem congregandi, transferendi, & absolvendi Concilium: ergo Papa est supra istud. Tùm quia Ecclesia est Monarchia, & in solo uno homine, sive Capite debet residere Suprema Potestas: ergo neqoit ab alio deponi. Respond. concesso antecedente, distinguo consequens: non potest privari in pœnam delicti, concedo consequentiam: quia punire est actio superioris, quale non est Concilium; retractando designationem personæ in ipso factam, & ex motivo defensivo vitandi tàm periculosum damnum, nego consequentiam: quia saltim ex vacua Christi concessione, potest hoc pacto deponi: Facta autem retractatione designationis personæ, Christus in eo tunc auferet ab illa persona potestatem jurisdictionis.

1031 Hæc intelligo si Papa possit esse Hæreticus. Satis enim probabile est, id esse impossibile, quod interius in mente admittat Hæresim juxta providentiam præsentem. Christus enim dum dixit: *Ego rogavi pro te Petre ut non deficiat Fides tua*; pro Successoribus rogavit in illo de Fide etiam personali. Videatur Bellarminus de Summo Pontifice.

## ARTICVLVS VLT.

### DE CONCILIO GENERALI.

1032 Circa Generalem Concilium affero 1. Nihil aliud esse quam Congregationem Episcoporum ad tractandas res Fidei, & morum. Si congregetur sine authoritate Papæ, non est legitimum: nam cum Papa sit Caput Ecclesiæ, ad solum ipsum spectat congregare: sicut & media disponere ad agendum de rebus Fidei. De per se congregatur ex Episcopis totius Orbis, si non sint legitimè impediti, quia ex D. Paulo

Spi-

*Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; ex concessione autem Papæ etiam congregatur Concilium, interantque in illud Cardinales non Episcopi, Generales Religionum, & Abbates Magnates.

1033 Affero 2. Concilium Generale, in quo præsident Legati missi à Pontifice, non posse errare circa Fidem & mores, etiam quando definivit aliquid, de quo eis non constat Pontificis mens, quod sentiat circa illud. Probatur: quia Concilium repræsentat totam Ecclesiam, & Pontificiam Authoritatem, habetque vera decisiva, & non solum consultiva: ergo habet infallibilitatem; nam si illam non haberet, solum consultaret Pontifici, & non decideret, quæ Concilio vera videbantur.

1034 Tùm quia communiter dicitur, esse Regulam Fidei Concilium Generale, quod non habet Provinciale Concilium. Tùm denique, quia semper Papa confirmavit Concilia Generalia, quod non facit de Provincialibus: ergo sentiebat habere infallibilitatem. Et si aliquod adducitur non confirmasse, non erat legitimum; & si aliquam partem alicujus non confirmavit, est quia non erat conciliariter determinata.

1035 Nec obest 1. Decreta Conciliorum postea approbari à Papa: ergo non erant infallibilia. Respond. non approbari ex necessitate, sed ex superabundantia approbationis, & vt ioti Ecclesiæ constet, non solum esse inceptum Authoritate Papæ, sed continuatum, & finitum, sicut approbat Libros Canonicos, vt constet esse tales, & sæpè approbata ab vno Papa, approbantur ab alio ex superabundantia. Insuper, quia non est omnino certa, & absque opinione in contrarium Authoritas infallibilis Concilij; ideò benè approbat, licèt sit probabilior ipsius infallibilitas. ¶ Nec secundo, illud judicium Concilij, non esse vltimum, quia postea approbat Papa: ergo non erat infallibile. Nego con-

consequentia: quia non esse vltimum non habet ex necessitate, sed liberè ex magna veritate.

1036 Circa traddisionem, & Scripturam assero, esse Regulas Fidei, quia traddisio, quæ est divina, est Verbum Dei non Scriptum, sed à Christo per Apostolos vsque ad nos missum. Scriptura verò est Verbum Dei scriptum. De Scriptura Sacra, & ejus sensibus, vide me *in Tractatu de Attributis, Quæst. 2.* Vtrumque est infallibile, vtpotè Verbum ipsius Dei. Et hæc sufficiant de Fide, ejusque tractatione, &c.

# APPENDIX

## *ad Tractatum de Fide.*

### QVÆSTIO XIX.

### *DE RESOLVTIONE FIDEI.*

1037 CELEBRIS est facta hæc Quæstio his temporibus, & quotidie fit celebrior propter aliquos modernos agentes de quærenda vera Religione, eaque amplectenda vim magnam faciendo in illo argumento supra adducto, *num* 109. nempè cur credis Incarnationem? Respondetur: quia Deus revelavit in Scriptura. Cur credis Deum revelasse in Scriptura? Quia Ecclesia, quę est Columna Veritatis proponit. Sed cur credis, quod Ecclesia non fallatur, & sit Columna Veritatis, & ei Spiritus Sanctus assistat? Sanè non alia de causa, nisi quia Scriptura dicit: Ergo committitur circulus ineptus, & vitiosus, credendo Veritatem Scripturę propter Ecclesiam, & Veritatem Ecclesię propter Scripturam. Sanè hic nodus semper est

dif-

difficilis. Et doctis subdelitous multum obstans suo videri, & retardans conversionem.

## ARTICVLVS I.

### NOSTRA SENTENTIA.

1038 NOTA valdè, pro duplici intento posse inquiri; in quo ster vltima Fidei resolutio? Primum est: quænam sit vltima resolutio pro practico Fidei exercitio? Secundum est: quænam sit pro speculativa disputatione sive pro reddenda vltima ratione apud Doctos, sive ratione convincenti de amplectenda, vel de jam amplexita hac Religione præ alia. Pro primo intento assero, quod vltima resolutio est: *Quia Deus dixit.* Vndè credo Incarnationem, quia Deus eam dixit, & Fide credo dixisse quia dixit. Pro Fidei ergo exercitio hic sistitur, & intra metas, & lineam Fidei, non est progrediendum vlterius. Ita docuimus supra à *num. 120.* & deinceps.

1039 Sic sæpè assentimur aliquibus, quia Pontifex dixit, vt v. g. falsas esse propositiones vt tales ab Alexandro VII. damnatas: *Quia Pontifex ita declaravit*, & hic sistimus. Et si aliquando volumus scire vndenam constet de declaratione? Hæc interrogatio jam est de alia linea. Sicut in Thomista assentiente firmiter propter D. August. & D. Thom. authoritatem, prædestinationem esse ante prævisa merita, & si hæsoriretur: An tales libri sint Augustini, & Thomæ? Hęc dubitatio jam esset de alia linea. Idem cernitur, dum jejunamus in Quadragesima, quia Ecclesia præcipit, licèt dubium subsoriretur quando, & vbi præcipit. Semper enim vltima resolutio jejunandi est quia Ecclesia præcipit.

1040 Certum autem est, semper pro exercitio Fidei requiri aliquam propositionem Mysterij vt dicti à Deo. Sed respond. quod sufficit propositio facta à Pa-

ro-

rocho,vel ab aliquo alio audita, & concepta bona Fide vt vera absque alio examine. Si enim sic concipiatur, & Mysterium verè à Deo sit alias revelatum, vel ab Ecclesia verè propositum, Fides superna influet, in assensum talis Mysterij absque alia vlteriori investigatione vt supra à *nu.*403.diximus de assensu Fidei circa hanc numero Hostiam consecratam; quia in hac conclusione solum est sermo de Fide exercenda, & non de Fide disputanda,vel per disputationem acquirenda.

1041 Quod si secundo dicas: talem Fidem inniti tunc in tali propositione Parochi, siquidem creditur Mysterium esse dictum à Deo, quia Parochus proposuit esse dictum à Deo: ergo si talis propositio sit fallibilis; saltim metaphysicè loquendo, ille Fidei assensus erit metaphysicè fallibilis,cum semper nitatur aliquo fallibili. Respondetur, negando exercitium Fidei niti propositione Parochi. Aliud enim est,quod requiras illam vt conditionem, sive vt propositionem proponentem Mysterium vt à Deo dictum tanquam vt motivum metaphysicè infallibile Fidei, & aliud quod nitatur illa. Primum est verum, sed non secundum. Solum enim nititur dicto Dei metaphysicè infallibili, vt motivo essentiali creditionis.Sic diximus Papam vt definiat rem de Fide requirere Theologorum consultationem proponentem rem definiendam, sed tamen in definitione, nec niti illa, nec definire propter illam vpotè fallibilem, sed niti,& definire: *Quia sic visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Vide à *num.*1304. *de Incarnatione*, & insuper vide hic Art.sequent.

1042 Nec obest 3.Quod sic sine vlteriori investigatione credens, saltim non excusabitur à circulo vitioso.Si enim interrogetur, cur credat vera esse nostra Mysteria, & esse dicta à Deo? Respondet: quia Ecclesia proponit. Si vlterius: Cur credat Ecclesiam proponere verum? Respondebit: quia Deus dicit,eam esse Columnam Veritatis.Et sic facit circulum de Deo dicente, ad

Ec-

Ecclesiam dicentem, & e contra. Respondeo: talē circulum pro disputatione fore vitiosum: at pro exercitio Fidei non fore vitiosum; imò satis laudatum in Fide Carbonarij, qui dum interrogatus, quid crederet. Respōdit Eremitēr: Credo, quod credit Ecclesia. Et insuper interrogatus, quid credit Ecclesia? Respondit: Quod credo ego. Et rursus dum vrgeretur: Quid credis tu? Respondit: Quod credit Ecclesia. Et non potuit ab hac circulari responsione dimoveri. Qui circulus in viro indocto, non vitio, sed laudi tributus est à Prudentibus.

## ARTICVLVS II.

### *ALIA ARGVMENTA, VBI DE PRÆcognitis.*

1043 OBijcies 4. Qui exercet Fidem de Trinitate, quia Parochus ei proposuit Deum summe veracem dixisse Trinitatem, nequit credere Trinitatem nisi credat Deum illam dixisse: Ergo non credit liberè Trinitatem. Consequentia probatur: quia quilibet scit evidenter, Deum non posse mentiri, nec fallere, aut falli, se i necessario esse verum, quod ipse dixit, nec potest intellectus sanus dissentiri: Ergo si semel assentiatur propter Parochi authoritatem, Deum dixisse Trinitatem, repugnat omnino, quod possit dissentiri Trinitati: ergo nec meritoriè, nec libere credit postea Trinitatem.

1044 Si respōdeas 1. licèt nō possit dissētiri, adhùc assentiri liberè, salum libertate contradictionis, sive libertate quoad exercitium. nam poterat suspendere conditionem & id sufficere. Sed contra: Quia nemo habet meritum Fidei, si solum credat quod non potest negare. Quis enim dicat aliquem habere meritum in assentiendo, quod si Sol lucet dies est? Tùm quia ex ne-

timonio Ecclesiæ: *Fides non habet meritum, ubi ratio humana præbet experimentum.* Tùm quia libertas, & meritum Fidei stat in eo, quod quis cum ab objecto non convincitur, fidat totum suum judicium in dicto alterius. Ad hoc autem libertas sola quoad exercitium non sufficit, cum jam supponatur intellectus de veritate convictus.

1045 Si respondeas secundo: Adhùc habere libertatem ad dissentiendum, & creditionem Trinitatis esse liberam; non quidem in se, sed in causa, nempè in assensu liberè facto de dicto Dei propter testimonium Parochi. Sed contra: Tùm quia illa Fides de Trinitate non haberet aliam libertatē præter naturalē quæ erat in assensu Fidei humanæ dato Parocho, & sic non posset habere nec libertatem, nec meritum supernaturales. Tùm quia ipse actus Fidei supernæ non procederet immediatè à pia affectione superna, imò nec ista requireretur pro assensu superno Trinitatis immediatè liberè eliciendo, cum post assensum datum Parocho nulla sit jam data libertas. Ex quo sequeretur, absque pia affectione superna exerceri totum negotium, & exercitium de Fide Trinitatis, siquidem pia affectio ad summum requireretur ad assentiendum Parocho dicenti Deum dixisse Trinitatem, qui assensus cum esset tantum entitativè probabilis & Fidei humanæ, omnino esset contentus pia affectione naturali ob veracitatem Parochi.

1046 Si respondeas tertio cum aliquibus, dictum Parochi esse dictum Dei, & assensum datum illi eo ipso esse Fidem divinam. Contra: quia illud dictum Parochi solum est propositio dicti Dei, & quidem entitativè fallibilis, ac per consequens licet sufficiens pro credulitate, sed non pro infallibili veritate. Si enim hodie post Bullam Alexandri VII. Parochus indoctus proponeret Rusticis inter Mysteria Beatæ Virginis credenda de Fide, Maternitatem, nempè & Virgi-

ginitatem, Conceptionis puritatem, nihil plus haberet dictum Parochi erga Virginitatem, quam erga Conceptionem, quantum attinet ad hoc vt Rusticus audiens moveatur ad Fidem. Si ergo respectu Conceptionis est purè propositio, & quidem naturalis, & ex se entitativè fallibilis, licèt sufficiens pro credulitate. Ergo idem erit de dicto Virginitatis, aut Maternitatis. Ergo assensus Rustici propter dictum Parochi nequit esse Fides divina, nec dictum Parochi esse dictum Dei, sed solum est pura propositio objecti materialis & formalis, nempè dicti Dei pro Fide divina.

1047 Quod si respōdeas, & recurras pro differentia dicti de Virginitate, & dicti de Conceptione, ad certitudinem locutionis moralitèr divinæ pro illo, & non pro isto, jam sæpè est impugnata, hæc certitudo. Et insuper impugnatur; quia cum hæc certitudo non sit physica, sed purè moralis, summenda est ab adminiculis prudentialibus facientibus locutionem Parochi de rebus Fidei certam, & prudenter innegabilem. Nulla autem sunt talia sufficientia adminicula pro Parocho loquente de Virginitate (aut de Canonizatione nuper facta alicujus Sancti credenda de Fide) quæ non haberent eandem vim ad convincendum vulgus Rusticum, si quando anno 1662. fiebant in tota Hispania magnæ Solemnitates pro declarato ab Alexandro VII. objecto Festi Conceptionis, Parochus indoctus persuaderet rusticæ plebi, definitam jam esse Puritatem Conceptionis, & Fide debere credi. Ille autem certitudinis internæ sapor, & securitas ad quam recurrere solet Pat. Antonius Perez, vel non datur semper ita sensibiliter, vt quivis credens, illum certo percipiat circa res Fidei, ita vt circa alias res veras & certas, non tamen de Fide, illum non percipiat. (Hoc enim est contra manifestam experientiam.) Nam Christianus Rusticus subjectivè, & experimentaliter equè certificatus est suo videri de Resurrectione Virginis, ac de Maternitate,

Non ergo hæc est via solvendi hoc argumentum, sed alia quærenda.

1048 Nota ergo pro solutione primo, ea quæ diximus supra à *numer.* 719. loquentes de habente de dicto Dei evidentiam in assentiente, nempè aliud esse accipere dictum Dei per modum dicti, & sine ponderatione de eo, quod nequeat esse falsum quod à Deo dicitur, & aliud accipere dictum Dei cum tali ponderatione, sive per modum connexi. Prima acceptio adhùc relinquit locum libertati strictæ credendi, & discredendi, secus secunda. Respond. ergo ad argumentum, eum qui assentitur Parocho, & accipit ab eo, Deum dixisse Trinitatem, accipere quidem tale dictum Dei, non per modum connexi, sed solum per modum dicti, & multo plus sine ponderatione, quam acceperit habens evidentiam in assentiente. Ac per consequens, nego; quod dum postea assentitur Trinitati, *quia Deus dicit*, talis assensus non sit omnino liber & meritorius, & cum facultate dissentiendi, quia dictum Dei per modum dicti non reddit intellectum convictum de veritate rei dictę.

1049 Respond. secundo: Cum Parochus proponit Rustico, Deum dixisse Trinitatem, & propterea credēdam propter dictum Dei; nego in Rustico dari duos assensus, unum quo Fide humana propter dictum Parochi credat Deum dixisse Trinitatem, & alium quo postea Fide divina propter dictum Dei credat Trinitatem. Regulariter enim non ita evenit. Sed homo audito Parocho, & formata apprehensione suasiva de relatione Parochi, qua refert, Deum dixisse Trinitatem, ipse piè afficitur circa rem relatam, & credit Trinitatem propter dictum Dei, de quo audivit relationem à Parocho. Sicut quando quis audit Prædicatorem dicentem, quod Divus Thomas asserat pœnam Purgatorij pro peccato quolibet mortali quoad culpam remisso, esse regulariter septem annorum, statim fertur in assen-

sensum pœnæ propter dictum Divi Thomæ, & in timorem illius, quin occupetur, & detineatur in alio assensu de dicto D. Thomæ propter authoritatem Prædicatoris. Imò regulariter potius attendit audiens ad rei dictas quam detineatur in dicente, sive referente. Igitur primus assensus audientis Parochum de Trinitate à Deo revelata, est regulariter de ea propter divinam revelationem.

1050 Quod si replices contra hanc solutionem, neminem posse credere Trinitatem propter dictum Dei, nisi præcognoscat Deum esse veracem, & Deum illam dicere. Ergo nequit primus assensus post auditam propositionem Parochi, esse assensus Fidei divinę à nobis assersus, sed debet alius præcedere: quo posito nequit assensus Fidei esse liber. Antecedens probatur: quia si credo Trinitatem, quia Deus est summè verax, & ipse dixit, cum hæc præcognita se habeant vt præmissę, debent necessario pręire in concipi. Confirmatur: quia licèt non deberent pręconcipi antecedentèr ad assensum divinum Trinitatis, saltem deberent concipi cum sint motivum, & ratio assentiendi: Atqui non possunt concipi per ipsum assensum Trinitatis, qui cum sit creditivus, solum id concipit, quod credit. Atqui non credit veracitatem Dei, quia cum illa lumine naturę pateat, debet esse assentita, sed non credita.

1051 Respondetur ex dictis à *num.* 197. negando debere pręconcipi veracitatem, & locutionem Dei. Sufficit enim concipi per ipsum assensum Fidei divinę, quia non est contra vnitatem actus, attingentia objecti materialis & formalis simul, quando non assentiuntur per modum discursus, & illationis, sed solum per modum simplicis judicij, vt patet in exemplis adductis. Debet ergo audiri propositio Parochi, & percipi relatio quam ipse facit, & apprehensio suasiva pro assensu rei & motivi ab ipso relatorum, secus alius

assensus. Ad confirmationem concessa majori, nego minorem: quia ex dictis à *num.*790. non omnium eorum quorum Fides est cognitio est creditio, sed solum illorum quibus assentitur propter dictum Dei.

1052 Objicies tandem, pro exercitio Fidei non instruunt pueros, & Rusticos à Parocho de dicto Dei. Instructio enim reperta in interrogationibus doctrinę Christianæ pro catechizandis pueris, & rudibus regularitèr solum est de Mysterijs ipsis: V. g. Quis est Christus? Respondetur: quod Deus & homo verus: & similiter fit in alijs Mysterijs: Ergo adhùc pro exercitio Fidei resolutio vltima non est in dictum Dei. Non est facilè mihi, istud argumentum, & præcipuè attenta experientia de eo quod pueri, & rudes etiam dum de Mysterijs expresè loquuntur, de dicto Dei ferè nullam faciunt mentionem. Respondetur tamen in ipsa instructione edoceri pueros, quod Doctrina Christiana sit illa, quæ edocta, & prædicata est à Christo, & ab Apostolis. In quibus verbis includitur, (licèt absque multa penetratione) ly, *quia Deus dixit*. Item dum edocentur Articulos Fidei, edocentur assentiri dicendo *Credo*. Non video, sed *Credo*. Insuper jam diximus supra à *numer.*135. assensus exprimentes Mysterium, & non revelationem etiam esse actus superiores Fidei.

## ARTICVLVS III.

### *DE RESOLVTIONE FIDEI PRO RELIGIONE per examen, & disputationem acquirenda, & pro jam acquisita conservanda.*

1053 HÆC Quæstio juxta dicta supra à *num.* 124. & 125. non pertinet ad *cur credis*; sed ad aliam quæstionem de *unde tibi constat*? Pro hac

hac ergo Fidei secunda resolutione jam non est vltima responsio,*quia Deus dixit*; sed quia vera Ecclesia proponit. Quod autem Ecclesia Romana præ alijs sit vera Ecclesia, veraque Magistra Fidei,probari debet: Tùm quia sola ipsa habet notas,& signa verę Ecclesię vt probavimus supra à *num.*465.Tùm etiam probandum est ex evidenti credibilitate prudenti Mysteriorum nostræ Fidei,quæ prudens credibilitas nequit in alijs sectis reperiri,vt latè probatum est hic *quæst.8. à num.* 425. Quæ signa ita convincunt convincentia morali,Mysteria non solum esse nimis credibilia,sed debere credi,vt illis positis,dici possit Deo ex *num.* 456.juxta Ricardum Victorinum:*Domine,si error est quod credimus, à te decepti sumus.* Est enim moraliter evidens,quod si Mysteria essent falsa,nec dicta à Deo,tenebatur ipse Deus non permittere quod tot magnificis signis assensum creditivum vrgentibus,illa circunvallarentur.

1054 Igitur pro Religione in vi disputationis, & controversiæ amplectenda, ratio vrgens intrinsecè probativa veritatis Mysteriorum nulla datur:quia non datur medium essentialiter connexum evidenter cognitum, cum intrinseca Mysteriorum veritate. Datur tamen vrgentissima ratio probativa extrinseca: Tùm faciens de Veritate evidentiam moralem: Tùm etiam obligationis credendi,vt jam est dictum.*Vide à numer.*132. Hinc diversitatem de amplectenda Religione media disputatione ab amplectenda pro solo exercitio Fidei valdè confirmant ea quæ adduximus supra *quæst.9.artic.2.à num.*474. Vbi de diversissima certitudine,quæ requiritur inter doctum & indoctum,circa judicium de prudenti credibilitate Mysteriorum Fidei.

1055 Objicies: Ecclesia circunvallata omnibus signis credibilitatis Mysterium à se propositum,solum facit certo,& evidenter credibile: ergo non certo verum.

sum. Consequent.patet:quia ex sæpe dictis prudens & evideos credibilitas,non est connexa cum veritate,sed comparabilis cum rei falsitate: Ergo pro dictis atque pro disputatione,propositio Ecclesiæ non facit Catholicam Religionem certo veram,sed adhùc manet incerta,& subjecta falsitati: Ergo nec facit certo amplexabilem.

1056 Si dicas: Ecclesiam utpote Columnam Veritatis non solum facere credibilia ea quę proponit, sed etiam certissimè vera. Contra: quia duplex est in Ecclesia Authoritas, divina nempè & humana. Sed solum per primam est ab assistentia Spiritus Sancti Columna Veritatis,faciatque res certissimas. Pro disputatione autem inter doctos sola humana est quę deseruit, quia sola est evideos. Divina autem cum sit Mysterium Fidei,& exercitè credita per Fidem,ęque non deseruit pro convincendo Docto,ac non deserviunt alia Mysteria,sola Fide cognita. Atqui Authoritas humana cum suis signis, non convincit veritatem, licèt convincat credibilitatem. Ergo ultima resolutio pro disputatione nequit esse in Ecclesiam, adhùc ut munitam omnibus signis credibilitatis. Confirmatur: quia adhùc pro disputatione manet Veritas Fidei incerta, cum illatio à credibilitate ad Veritatem sit fallibilis, & insecura.

1057 Nota 1. Ecclesiam secundum authoritatem humanam sumptam, respectu rerum Fidei solum se habere ut proponentem, sive ut conductum ad res Fidei introducendas. Securitas autem, & certitudo rei introductę non pendet, nec est de eodem gradu,ac linea,nec metiēda ex securitate conductus, aut propositionis introductivę,sed alias anchoras securitatis potest habere res introducta,valdè diversas à conductu introducētę. Sic ignis applicatus messibus,securissimè illas comburet, licèt valdè contingens in se fuerit applicatio. Similitèr licèt commestio,sive introductio cibi

in

in stomachum fuerit contingens, nutritio sive quod calor naturalis agat in cibum introductum, est quid necessarium, & certum.

1058 Nec quia contingens sit Columnam ponere in tali loco pro Domus sustentatione, desinet sustentatio Domus à Columna sic applicata, esse certissima & securissima. Eodem fere modo dictum Dei, licèt per conductum contingentè sit applicatum habitui superno Fidei, non desinet sustentare firmiter operationem ipsius. Eritque etiam vt cibus in quem certissimè agat, & nutriatur eo calor superne Fidei. Non ergo pēdet securitas assensus à securitate propositionis; sed ista posita, assensus Fidei innititur tanquam certissimis anchoris, & metaphysicè infallibilibus, dicto Dei tanquam objecto, & habitui Fidei tanquam principio.

1059 Nota secundo: Mysteria Fidei amplectendę, vel jam amplexę, non posse nobis esse evidentia quoad intrinsecam veritatē, ac per consequens, nec demonstrari. Ratio est manifesta, quia cum eorum veritas sit superna, non dantur in natura media connexa essentialiter, saltim cum pręcipuis Mysteriis: v.g. Trinitate, & Incarnatione: & sic de illis repugnat probatio positiva evidens. Solum enim potest dari negativa evidentia, quatenùs convinci nequeunt falsitatis. Omnia enim quæ objici possunt, solvuntur cum evidenti probabilitate. De quo à *num. 59 de Attributis.*

1060 Si ergo nec Catholica Religio, nec aliæ Sectæ possunt veritatem suam per evidentiam positivam demonstrare, quod earum Mysteria in re sint vera, vt prudenter sit Fides nostra amplexabilis, sufficit quod eas vocat in solius credibilitatis evidentia pro doctis, & pro disputationibus, relicta soli Fidei exercitio certitudine veritatis.

1061 Respond. ergo ad argumentum, concedendo authoritatem humanam, & visibilem Ecclesiæ esse,

esse, quæ quatenus munita sot signis credibilitatis, Mysterijs præbet prudentē credibilitatē. Concedo insuper solam præbere credibilitatem; non autem infallibilem physicè, aut metaphysicè, sed moraliter veritatē. Nego tamen quod ipsa non sit vltima resolutio pro disputatione, & pro amplexu Catholicæ Religionis præ alijs. Intrinseca enim Veritas Mysterij, vt jam probatum est, solum requiritur pro Fide exercenda, non autem pro prudenter amplexanda. Prudentissimè enim amplectitur quis quod docet, tanta, tantisque signis munita Ecclesia. Posito autem tali amplexu, & electione, talisque doctrinæ propositione, ad habitum ipsum Fidei spectat non se exercere, nisi circa verum prout in re, & exercitè tale. Maneat ergo, quod vltima resolutio in quæstione de *vnde tibi constat*, disputabilitèr & inter Doctos tenenda, est propositio Ecclesiæ prout talibus signis munitæ.

## ARTICVLVS IV.
### *ILLATIONES.*

1062 EX hucusque dictis sequitur 1: Aliquid debere præire quod sit visum, pro ipsa resolutione Fidei. Sed hoc sensibiliter visum, esse propositionem Parochis, vel Ecclesiæ, visibiliter intimantem Mysteria ipsa vt dicta à Deo. Sed si quis elicit Fidem divinam, quia illi dicunt, ly *quia* non sonat motivum, sed conditionem. Sequitur secundo: Fidei certitudinem non infirmari, nec ab infirmitate, sive fallibilitate entitativa propositionis, aut motivorum, quibus credibilitas innititur, nec ab incōnexione cum Veritate Mysteriorum. Ratio est: quia non ipsa sunt intrinsecę anchoræ securitatis Fidei, sed veritas intrinseca dicti Dei, & essentialis determinatio habitus, sive principij superni ad verum sub ratione talis.

1063 Infero 3. Tria requiri necessario pro Fi-

de

de superna exercenda. 1. Nempè veritatè intrinsecam. 2. Quod ipsa sit revelata. 3. Quod de ipsa vt revelata constet per propositionem prudentem, & actu indubiā, (id est conceptam sine actuali formidine.) Vndè aliqua sunt quæ à parte rei sunt essentialia Mysterio revelato, & tamen nequeunt credi de Fide divina superna, ob defectum expressæ revelationis, vel expressæ propositionis. Sic ex *num.* 414. licèt Fide superna creditur vnio hypostatica, sed quod sit modus superadditus, (licèt fortè à parte rei istud sit quid essentiale illi) non creditur Fide superna, cum hęc sit essentialitèr certissima, & ratio modi sit incerta, & cum id non propositum, nec revelatum sit.

1064 Hinc solvitur istud, & similia argumenta. Illud est essentiale vnioni hypostaticæ, quod potest sicut ipsa credi de Fide divina superna. Atqui quod sit modus superadditus nequit credi Fide divina superna: Ergo non est illi essentiale esse modum superadditum. Major probatur: quia formalissimè idem omnino est res, & essentialia ipsius; sicut formalissimè idem est homo, ac animal rationale. Si respondeas: quod dum creditur res, essentialia ipsius creduntur implicitè, & sic implicitè creditur, quod sit modus superadditus. Sed contra: quia Fides divina superna est essentialitèr connexa cum implicitis, sive cum implicitè inclusis in objecto credito. Non autem est essentialitèr connexa cum vnione vt modo superaddito; nam etiam si vera esset sententia Thomistarum de non modo superaddito, Fides de vnione hypostatica adhuc manet essentialiter vera & certa independentèr à modo, vel non modo: Ergo non est connexa cum ipsa vt modo, adhùc connexione essentiali implicita.

1065 Ideò pro solutione notandum primo: Fidem cum sit actus intellectus esse præcissivam, & revelationem cum sit locutio etiam esse præcissivam. Si enim quis dicat Corpus Christi vt tale est in Eucha-

ristia,

upna Universidad Pública de Navarra Nafarroako Unibertsitate Publikoa

ristia, non ideò dicit quod materia informata forma corporeitatis sit in Eucharistia: sed præsciudit à forma corporeitatis, vel à solis accidentibus corporis. ¶ Nota secundo: quod vt aliqua res specialitèr sit revelata, non requiritur, quod sit revelata quoad essentiam, sed sufficit quod revelatur quoad aliquam proprietatem, vel munus specialissimum ipsius, & aliquando quoad solam externam figuram dimanantem à re vt tali. Vt cum viso homine, quia video, tentire, aut discurrere, per solam externam figuram cognosco vere esse hominem.

1066 Nota tertio: Non valere argumentum ab esse rei, sive à Constitutione ipsius, ad esse cognitum, sive ad esse creditum: quia fit transitus de vna linea ad aliam, (imò nec valet de cognosci ad credi juxta dicta à *num* 800. & *n.*790.

1067 Hinc respondetur ad argumẽtum, negando majorem, quia potest res quoad speciale munus esse revelata, quin essentialia ipsius sint revelata. Igitur revelata est à Deo vnio hypostatica, & etiam proposita ab Ecclesia, quatenus nectens physicè Humanitatem, & Verbum. Non autem est revelatum, nec propositum, an stet essentialitèr in modo, an in ipsis extremis. Vide pro hoc intento, quæ diximus de continentia particularis in vniversali, à *nu.*394.

1068 Præter illa igitur tria, quæ diximus requiri pro Fide exercenda, sequitur ex dictis, quod aliquid aliud requiratur pro Fide amplexanda media disputatione, scilicèt quod propositio veritatem revelatam proponens, sit non vt cumque prudens, & actu indubia, sive absque formidine, sed vlterius sit certa, & evidens positivè, saltim moraliter, & cum ponderatione positiva fundamẽtorum reddente moralitèr certam à signis talem propositionem (quatenùs incredibile est, quod Deus permitteret Fidem nostram talibus signis muniri, nisi vera esset in re.)

Du-

1069 Duplex autem est propositio, supra bonam Fidem addens evidentiam moralem, vt contraposita propositioni prudenti, & actu indubiæ. Vna est propositio Mysterij revelati. Alia est propositio continentiæ alicujus veritatis etiam revelatæ, in Mysterio ipso revelato, vt v. g. Quod Petrus sit redemptus à Christo, & quod Tridēntinum sit infallibile in suis definitionibus, sicut est omne Concilium legitimè congregatum. De his enim continentijs particularis in vniversali pro disputatione etiam requiritur evidentia continentiæ, vel physica, vel moralis, vltra evidentiam de propositione Ecclesiæ circa vniversale continens: at pro Fide exercenda absque disputatione, sufficit propositio prudens, & actu indubia continentiæ, vt diximus de hac Hostia particulari solum prudentèr contenta in vniversali consecrata, à *num.* 402.

1070 Infero tandem, neminem teneri amplexari Fidem Catholicam relicta sua secta, donec in ipso cesset assensus probabilis de veritate suæ sectæ, etiam si ei videatur probabilior, (non tamen certa prudentèr) Religio Catholica. Est contra quemdam Summistam asserentem teneri, ita vt oppositum improbabilitatis censura inurat. Sed liberè & sine fundamento talem apposuit censuram, vt constat ex dictis à *num.* 474. Quia res tam gravis qualis est mutatio Religionis paternæ, & amplexus novæ pro tota vita cum proposito firmo potius perdendi illam, quam dimittendi novam Religionem, imprudentèr decerneretur, & valdè volubilitèr, durante judicio probabili, ac per consequens prudenti, (licèt minus prudenti) & non præeunte judicio, absque vlla formidine incertitudinis concepto; quale non posset habere, qui adhùc probabilitèr post factum examen, judicaret Religionem Catholicam esse falsam, licèt probabilius judicaret esse veram.

1071 Si autem dicas sequi, quod infideles fere

num-

numquam obligarentur amplecti Fidem, quia ferè semper in ipsis permanet assensus probabilis de sua secta. Respondetur negando assumptum. Tùm quia sæpissimè talis assensus non est probabilis, nec prudens, sed vel cœcus, & crassè & vincibiliter erroneus, procedensque ab animo per passionem, & tenacitatem proprij judicij obstinato. Si autem sic obcœcatus non esset, sed sincere procedendo, per ignorantiam invincibilem maneret speculativè dubius, & judicaret, quod in dubio permanendum est in possessione antiquæ Religionis, iste non peccaret contra Fidem. *Vide supra à nu 954.* Vbi sermo est de Hęresi invincibili. Si autem iste damnaretur, erit propter alia peccata, & nõ ob id.

## QVÆSTIO XX. OBVIA, & VLTIMA.

### & ARTICVLVS I.

### *CIRCA DICTA DE NECESSITATE MEDII in Eucharistia, à num. 913.*

1072 Licèt hic punctus non sit hujus loci, quia tamẽ occasione necessitatis fidei, de illo egimus à *num.* 913. & quia post illa typis mandata novæ se obtulerunt difficultates, ideò satius judicavi illum examinatum radicitus, hic concludere. Ibi ergo satis insinuavimus Eucharistiam tripliciter summi posse in ordine ad causalitatem primæ gratię, sive gratię simpliciter necessariæ ad salvationem. Primò, per modum principij vniversalis, fontalis & mediati, quatenùs ipsa licèt non causet primam gratiam, est depositaria virtutis prębens eam alijs Sacramentis, & sic ab ipsa provenit, quod prima gratia causetur per alia Sacramenta; & in hoc sensu est non solum necessaria per se, sed simpliciter & in re, & per modum medij instri-

stituti. Secundò potest sumi, vt huis quasi universalis; quia est finis propter quem, & propter cujus fructum & operationem institutæ sunt alia Sacramenta. Si enim fructus proprius ipsius est spiritualis vnio animæ cum Christo, & quod anima maneat in Christo, & Christus in anima, omnia alia Sacramenta propter hanc vnionem consequendam, aut conservandam, aut perficiendam tãquam effectum proprium Eucharistiæ institutæ sunt. Baptismus etenim institutus est vt det vitam animæ, vt ipsa possit digne per Eucharistiam cibari. Vndè sicut Deus non alia ratione dat hominibus auxilia gratiæ nisi propter finem gloriæ, (etiam his qui eam non sunt consecuturi.) Sic etiam propter Eucharistiam, ejusque fructum vt finem, instituit, & præbuit alia Sacramenta, pro casu nempè quo illa recipienda sit, etiam si non recipiatur.

1073 Tertiò, summitur Eucharistia vt Sacramentũ speciale, & per modum principij specialis, nempè vt cibus, sive vt principium immediatum gratiæ cibativæ. Quo pacto diximus, eam in re pro prima gratia non esse per se necessariam necessitate medij, siquidem sine ipsa in re salvantur pueri baptizati, & etiam ægroti vomitum patientes, & similiter peccatores infirmi post Viaticum mortaliter peccantes. Et confirmatur: quia ipsa in re est Sacramentum vivorum, & ita supponens vitam assecuratam, vt ex præcepto divino habeat, quod post peccatum mortale non sufficiat contritio, sed requiratur confessio. Et tandem quia non est causativa primę gratię per se, sed ad summum per accidens: Ergo nec Eucharistia est necessaria per se vt causet primam gratiam.

1074 Diximus tamen esse necessariam in voto necessitate finis, vt recipiendã quando obliget. Et contra hoc vltimum, quod ægre ferunt Recentiores, (fortè ex aliqua equivocatione; & quia aliam necessitatem medij non agnoscunt, nisi solam de activo principio

spe-

speciali cautione per se primam gratiam) ideò præter alia multa alibi objecta.

1075 Vrgentissimè objicies: Ideò restitutio non est necessaria necessitate medij, nec requiritur adhuc in voto, quia ipsa non est instituta, nec per se in re causativa primæ gratiæ. Atqui nec Eucharistia in re, ergo. Major patet: Tùm ex dictis à *numer* 907. Tùm etiam, quia necessitas præcepti est omnino distincta à necessitate medij. Necessitas autem præcepti est non pro 1. gratia causanda, sed pro conservanda, aut non destruenda. Necessitas autem medij est pro causanda, sive adquirenda prima gratia. Tùm etiam, quia in hoc differt Baptismus à restitutione. Sed resp. distinguendo majorem: ideò præcisè restitutio non est necessaria necessitate medij, quia non est causativa per modum principij 1. gratiæ. Nego majorem: Ideò quia nec est causativa per modum principij, nec est instituta vt fons pro virtute vt alius causet juxta dicta à *numer.* 909. Nec item est finis propter quem prima gratia causatur. Concedo majorem, & minorem, & nego consequentiam.

1076 Cum enim triplicitèr aliquid sit necessarium necessitate medij: nempè vel per modum principij vt causans, sicut Baptismus: vel vt fons deribans virtutem: vel vt finis propter quem causatur; & restitutio careat his omnibus; ideò non est necessaria necessitate medij: non solum medij simplicitèr, & indispensabiliter, sed nec medij per se, & supplebiliter per substitutum, nempè votum sicut Baptismus; at licèt Eucharistia nõ sit necessaria per modum principij per se causantis primam gratiã, adhùc est necessaria alijs duobus modis. Solum autem de illo, quod est necessarium per modum principij, verificari debet major propositio argumenti, nempè quod ad hoc vt sit necessarium in voto, (in voto inquam principij, non autem finis) tale Sacramentum debeat esse institutum, vt peg

se

se ipsam efficienter immediate causæ primam gratiam non autem quando est necessarium per modum finis.

1077 Objicies 2. Quod est necessarium necessitate finis, debet poni ab intendente finem, si potest. At qui Eucharistia in peccante mortaliter post Viaticum, non debet poni, etiam si possit: ergo non est intenta vt finis, nec necessaria necessitate finis. Major probatur: quia non potest negari, quod licèt statim non debeat finis poni in re, debet per nos poni in voto, & sic debet poni postea in re si potest. Patet, nam votum istud debet adimpleri, quia de omni voto adimplendo datur præceptum obligans sub mortali, etiam si fuerit tantum implicitum, & virtuale, vt in contritione in eo, qui ignorat Baptismum, aut Pœnitentiam. Vnde, qui justificatur per contritionem nolens illico confiteri; ideò est, quia tale votum quoad temporis determinationem habet latitudinem, ita vt non obliget statim, debet tamen adimpleri aliquando ante mortem, vel in periculo mortis, si non adimpleatur antea: ergo idem esset de Eucharistia commendanda exercitè in vita, si esset res vovata (parcat claritati Grammaticus); vt finis. Nam licèt non obligaret vt præceptum Eucaristiæ, obligaret vt præceptum voti.

## ARTICVLVS II. ET §. I.

### *NOTABILES ADVERTENTIÆ PRO isto argumento.*

1078 NOta. 1. Finem posse summi dupliciter. 1. exercitè, & executivè 2. signatè, & intentivè, sive affectivè. Vt autem finis causet more causæ finalis, sufficit eius bonitas sumpta signatè apprehensè, & intentivè. Sic Deus à salute Iudæ intenta vt fine, motus est ad ponenda in re media sufficientia propter illam, licèt in re non esset ponenda illa.

1079 Vnde sequitur, bene posse aliquid intendi vt

finem propter quem alia fiant, ita vt aliter non fierent; quin propterea finis ipse p[illegible]ni debeat in re, nec extrahi à statu signato, in statum exercitum etiamsi possit; quia à fine inefficaciter & signatè intento, provenire potest causalitas mediorum, vt se habentium ad finem, non quidem executivè, sed tenditivè. Sic provenit emptio Breviarij à non Beneficiario, nec Ordinato in sacris, pro recitatione quando obliget; quin propterea status obligatorius recitandi, ponendus in re sit, etiamsi possit.

1080 Nota. 2. In medijs ad finem posse dari, vel sufficientiam puram ordinatam, & tenditivam ad illum, vel vltra illam, inductionem ipsius; sive physicam vt in medijs physicè connexis, vel fol[illegible]m moralem, sive obligatoriam. Vndè vt explicemus quomodo Eucharistia sit Sacramentorum finis; propter quem instituta sunt Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, eorumq; prima gratia; consideranda est ipsa in medio Ecclesiæ, vt lignum vitæ in medio Paradisi, & vt conviviũ Regis Assueri, atque vt cœna magna ad quam invitantur peccatores, debiles, claudi, &c. Ita tamen vt se prius induendo veste nuptialem primæ gratiæ propter accessum ad illam, dignè postea ad illam accedant. Alias, nec vocandi, nec induendi essent, nisi propter illã.

1081 Nota. 3. Quod sicut in contritione imbibitur votum implicitum (non explicitum, vt patet in efficiente illam, quando est immemor confessionis) Baptismi, & pœnitentiæ; ita in horum Sacramentorum susceptione, votum Eucharistiæ duplex, verumque implicitum, & virtuale. Vnum est promissionis, & dicitur tale quia æquivalet voto expresso in obligando. Aliud solius ordinationis, & tenditionis ad illam, ita vt istud secundum importet quidem præparationem, & dispositionem ad illam recipiendam, sitque propter illam, sed non importet connexionem per modum inductionis physicæ, nec ijdem per modum obligationis moralis,

lis, sed adhuc susceptio eius omittiti valet impunè. Plura enim facere solemus moti aliquo fine, vel ordinata ad talem finem, nec propterea ad finē illum cogimur eo ipso exercitè ponendum. Vndè in voto virtuali diversa est habitudo promissionis ab habitudine solius tenditionis, quia prima supponendo præceptum (propter quod æquivalet voto promissionis) obligat ad Eucharistiam suscipiendā exercitè: Secunda verò solum signate. Sicut enim licèt Episcopi comparati cū perfectione, obligati sint esse perfecti, Religiosi verò non obligantur esse perfecti, sed tendentes ad perfectionem (non enim debet finis legis cadere sub lege.) Sic fideles aliquando obligantur cibari Eucharistia, semper verò obligantur esse tendentes ad eam, sed non semper cibati. His positis.

1082 Respondetur ad argumentum distinguendo maiorem: quòd est necessarium necessitate finis, debet poni si potest, si necessitas finis est exercita, & efficaciter intenta, concedo: si solum est signata, sufficientiæ, & ordinationis, & tenditionis, nego maiorem; nam causalitas propria finis solum est, quod causet, vt apprehensus, & alliciens, & volitus, sive ineficaciter sive efficaciter; non autem vt in re.

1083 Ad probationem distinguo maiorem: votum etiam virtuale debet impleri, quando est solum ordinationis sive tenditionis, nego maiorem. Quando est votum promissionis, concedo maiorem; votum autem Eucharistiæ vt finis inclusum in medijs, licèt sæpè sit promissionis, tamen aliquando solum est ordinationis, & sic bene cohæret quod Eucharistia sit finis Baptismi, & Pœnitentiæ, & primæ gratiæ vt ordinatæ ad Eucharistiam pro casu, quo sit recipienda sicut diximus *à num.* 1079. de emptione Breviarij: & non vt inductivæ, aut inducentis efficaciter, aut obligantis semper ad manducationem in re, vt contingit in pueris in primis annis vsus rationis, & in aliquibus alijs.

1084 Replicabis fortiter. Ergo sumptio Eucharistiæ nullo modo erit necessaria necessitate finis. Probatur consequentia, quia nec est necessaria necessitate sui in re; Nec item necessaria in voto adhuc virtuali, sive necessitate morali adhuc promissionis. Nec item necessitate incertionis, siquidem potest esse à pueris, & à peccante post Viaticum non solum non volita, sed omnino nolita. Ergo nullo modo est necessaria necessitate finis. Respondetur negando consequentiam. Ad probationem permisso antecedenti nego consequentiam, quia adhuc manet aliud membrum, nempe quod sit necessaria necessitate virtuali tendentionis, & ordinationis à Christo. Quia cum propter illam saltim signate sũptam, alia Sacramenta eorumque gratiæ instituta sint (aliàs non instituẽdæ in hoc ordine rerum) necessitas finis sive causæ finalis reperitur in ipsa.

## §. II. ILLATIONES.

1085 EX quibus sequitur 1. Quod necessitas finis asserta de Eucharistia eiusque manducatione, specialissimaque effectu transmutationis cum Christo per cibationem, non stat in eo quod ipsa exercite comedatur (quia hoc pacto potiùs est effectus mediorum quam causa) sed in eo quod propter ipsam comedendam, alia Sacramenta instituta sint, & in eo quod ipsa in ratio motiva propter quam sint omnia alia instituta. In hoc enim stat dignitas finis, à D. Thoma, & aliis Theologis celebrata, & prædicata.

1086 Si replices 2. Si tantam habet rationem finis illud Conuivium, quomodo potest libere non poni, cum possit poni? Hoc enim incredibile est. Sed replico. Si tantam habet rationem finis respectu Dei salus omnium hominum, ita vt obligaverit ipsum ad tot media sufficientia, quomodo potuit libere ab ipso non po-

poni per auxilia efficacia (nec enim à solo ipso pendebant) cum poterit iam facile poni? Respondetur tamen in primis, persistendo, in eo quod ad rationem finis non requiratur eius positio exercita; sed sufficit signata. Secundò Eucharistiæ susceptionem non esse finem Baptizati, vel confitentis, sed Christi instituentis. Quid mirum si respectu illorum possit non esse volita, nec intenta, quando non apparet obligare?

1087 Respondetur 3. Quando finis intenditur ita non apparato mediorum, & dispositionum, incredibile esse, quod intendens illum non curet de eius positione exercita, sed non de exercita in omni subiecto capaci eius; & si in omni, non in omni tempore, sed suffert dilationem vsque dum vrgeat per præceptum, vel alia via vrgeat. Sic videmus Patrem prudentem pro dando filijs statu, multa prævenire pro dote, & pro nuptijs, sine tali fine non preventurum: & tamen sæpè differt, & differt, nec exequitur, nisi quando, vel obligatur, vel ei bene visum est: sic Christus habens pro fine, Eucaristiæ convivium, tanto præventum apparatu, in multis subiectis finem assequitur, in alijs verò non, nec nititur assequi per præceptum nisi quando obliget.

1088 Replicas 3. Ergo morietur sine fine obtento & salvabitur, ille, qui iam pervenit ad statum obligationis, & accepit Viaticum, & peccavit post illum confessus tamen est. Posset permitti consequentia. Nego tamen illam, quia finis obtentus est gratia cibativa Viatici, & non morietur sine illa, sine illa inquam per Pœnitentiam strictè recuperata, licèt moriatur sine illa denuo acquisita.

1089 Sequitur 2. Hanc finis necessitatem non solum competere Eucharistiæ, vt continent merita Christi, & virtutem pro alijs (hæc enim est necessitas illa Principij instituti, & fontalis, de qua *nu.*1072.) nec solum ratione effectus, qui est vnio Christi cum anima

(hæc enim videtur effectus generalis cuiusibet Sacramenti) sed competere ei, quatenus tale Sacramentum speciale manducabile est, & vt convivium est, per quod anima specialissimè intraneatur cum Christo, & impinguatur pro mensa cœlestis beatitudinis. Est enim Eucharistia sic, Sacramentorũ cõsumatio, cum Baptismus fuerit, eorum, gratiæque initiatio. Hæc specialitas est contra Ioannem à Sancto Thoma, tomo de Sacramentis, *quæst.73. disp.26 art. 4. §. ad secundam confirmationem.* Sed patet ex dictis, quia licet vt tale Sacramentum speciale est, solum possit esse principium augmenti gratiæ, & non primæ gratiæ cum sit Sacramentum viuorum; id est verũ, si summatur in genere causę efficiẽtis, & vt principiũ immediatũ effectiuũ gratiæ, secus si summatur in ratione finis propter quẽ prima gratia sit instituta, vt per alia Sacramenta dãda efficiẽrer, & per cibum postea augẽda consumativè, & finaliter.

1090 Sequitur tandem: quòd licèt in Summa de Arana ex professo solam necessitatem medij fontalis, & institutiui tribuerimus Eucharistiæ, negantes ei necessitatem finis, id inteligendum est de necessitate finis executi, sive (vt ibi loquebamur) de necessitate medij executi, & recepti. Modò tamẽ astruimus necessitatẽ finis instituti quidẽ, atque signate, apprehensè, & finalizaliter causãtis, sine receptione in re, in quo nulla datur contrarietas, sed potius maior explicatio.

## ARTIC. VLTIMVS.

### *ALIA ARGVMENTA SOLVVNTVR.*

1091 ARguitur 3. S.Thom. 3. *part. quæst.65. art.* 4. Expressissime docet ex Ecclesiæ Sacramentis, solum Baptismum, & Pœnitentiam esse necessaria singulis hominibus. Pro Ecclesiæ autem gover-

na-

natione necessarium esse Sacramentum Ordinis (quod intelligi debet de necessitate medij nam de præcepto etiam est Eucharistia.) Reliqua autem non requiri simpliciter ad finem, sed ad commodius. Ergo exclusit ab Eucharistia necessitatem finis. Istud argumentum valdè magnificat P. Bazquez *disp.* 169. *cap.* 4. Et sanè valdè difficile est. Respondetur tamen concedendo totum: si sermo sit de necessitate in sensu principij effectivi suæ gratiæ. In hoc enim sensu Eucharistia non est necessaria pro prima gratia, nec simpliciter & insupplebiliter, sicut est Sacramentum Ordinis pro tota Ecclesia. Nec item per se licèt supplebiliter, sicut Baptismus, & Pœnitentia pro singulis. Non enim est per se, & ex se principium effectivum immediatum primæ gratiæ, licèt sit fontale, & radicale. Est tamen finis omnium signate modo iam explicato.

1092 Objicies 4. Illud Ioannis 6. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis, &c.* Non probat necessitatem medij aut finis, sicut ly *nisi* probat in Baptismo, & Pœnitentia. Ergo nullum est fundamentum solidum ex scriptura, ad probandam necessitatē medij aut finis. Anteced. prob. 1. Quia ibi æqs loquitur de sanguine, ac de carne, & tamen sanguis est prohibitus laicis. 2. Quia omitti potest sæpè etiamsi possit sumi. 3. Quia Augustinus, & alij PP. interpretantur textum de manducatione spirituali, id est per solam gratiā: & hanc Baptismus, aut quodlibet aliud Sacramentum confert. Ergo non loquitur de speciali Eucharistiæ manducatione.

1092 Respondetur distinguendo antecedens. Non probat necessitatem medij, aut finis ex solo cortice Verborum, permisso. Adiuncta interpretatione, & intelligentia Patrum, subdistinguo. Non probat eandem specificam necessitatem in omnibus, concedo; diversam, nego. In Baptismo enim, & Pœnitentia probat necessitatem per modum principij immediati effecti-

vi, In Eucharistia verò per modum principij fontalis, & mediatè cuiusumque gratiæ (ita vt sicut omne ignire, etiam factum à principijs diversis participatis ab igne, est fontaliter ab igne, ita omne vnire Christo per gratiam, etiam dum est per Baptismum, & Pœnitentiam est fontaliter ab Eucharistia per virtutem derivatam ab illa.) Vel probat rationem finis instituti, & satis signatè summendi, modo explicato.

1093 Ex quo, meo videri, verus sensus illorum verborum: *Nisi manducaberitis, &c.* hi est. *Nisi fueritis de Ordinatis & tendentibus sive facultatem habentibus ad manducandum carnem filij hominis tanquam ad finem, non habebitis vitam in vobis.* In ipsa enim suscepticne Baptismi, & positione intra Ecclesiam, imbibita est ordinatio, & tenditio ad Eucharistiam, tanquam initiatio ad consummationem: & carent illa, qui non tendit ad istam, & propter istam. Sic Eva dixit Genes. 2. *De omni ligno Paradisi vescimur*, id est *facultatem habemus vescendi.* Qui autem intra Ecclesiam non est per Baptismum in re, hanc facultatem vescendi de Eucharistia non habet, nec pro nunc est in statu Ordinationis, & tenditionis ad eam.

1094 Ad probationes autem respondetur, & ad primam, tàm laicos, quàm Sacerdotes esse iuxta institutionem Christi, ordinatos, sive de ordine, & tenditione ad convivium corporis, & sanguinis Christi signatè sumptum; exercite autem summendum absolutè à Sacerdotibus; à laicis autem conditionatè, nempè si legitimè non impediantur. Ex quo patet ad secundam. Omitti enim sæpè, non est omittisemper. Omittitur autem à si possit sumi, solum impedit rationem exercitium finis vt effectus, secus signatam, & essentialem finis vt causæ finaliter.

1095 Ad tertiũ respondetur. In Eucharistia duplicem dari rationem causæ. Nempè causæ sive principij efficientis, & etiam causæ sive principij finalis. In ratio-

zione efficientis, adhuc potest summi dupliciter, nempè vt principium proximum, & immediatum, & hoc munus de per se solum exercet respectu augmenti gratiæ, vt remotum autem, & fontale exercet munus efficiendi, etiam primam gratiam, per virtutem suam derivatam ad Baptismum, & Pœnitentiam. Hæc præstat in via causæ efficientis. Cum autem sæpè, quæ dimanant ab vno tanquam à principio fontali, redeant, & ordinentur ad illud tanquam ad finem, vt explicuit Ioannes à S. Thoma, citatus in illo, 4 *art 5 secundò id deducitur*, in via causæ finalis ipsa Eucharistia, eiusque sumptio, est propter quam talis primà gratiâ instituta est, sequè habet ad illam tenditivè, & ordinativè. In hoc vltimo sensu intelligendam existimo spiritualem manducationem à Patribus de necessitate medij assertam: qui enim recipit per Baptismum primam gratiâ, ab Eucharistia accipit eam fontaliter, tanquâ à principio; ordinativequè, & tenditivè propter ipsam Eucharistiam. Sicut autem desiderium fide viva informatum propter anxietatem ad Eucharistiam, appellatur spiritualis communio, & manducatio à Tridentino, ita & hæc à Christo instituta distinatio tenditivæ ad Eucharistiam, propter intrinsecam ordinationem ad illam, est etiam quidam modus spiritualis manducationis; & propterea Eucharistia necessaria simpliciter necessitate finis signatè.

1096 Ex his sequitur 1. quãcumque primam gratiam insupplebiliter requisitam necessitate medij simpliciter ad salutem, esse efectum Eucharistia fontaliter, importareque in se ipsa quamdam analogiam specialem ad effectum Eucharistiæ specialissimum. Si enim hæc est gratia sanctificans prove vnient animam cum Christo sibi verè sub speciebus incorporato, ita vt ipsa in Christo maneat, & Christus in ipsa, & tribuens speciale ius tàm ad vitam æternam, quàm ad corporis resurrectionem iuxta illud, Ioannis 6. *Qui manducat*

*eat hunc panem vivet in æternum, & ego resuscitabo eum in novissimo die*, ita prima gratia per Baptismum collata importat spiritualem incorporationem, & unionem cum Christo, Christique spiritualem induitionem, cum iure ad vitam æternam, corporisque resurrectionem. Per hæc manet explicata veraque Eucharistiæ necessitas, nempè & principij fontalis (atque per suum effectum effectivè ab illa derivatum, ab eius quæ præcipuo & spirituali cibi effectu effigurarum, & exemplarum) & simul ratio finis ad quem tendit, & ordinatur prima gratia.

1097 Objicies tandem. Nullus finis intenditur, nec de eo est necessaria intentio aut Votum, nisi propter assecutionem realem eius. Etenim si assecutio salutis necessaria non est, nec eius desiderium erit necessarium. Ergo nec intentio aut votum de sumptione Eucharistiæ, si ipsa sumptio necessaria non est. Confirmatur, quia si esset necessaria signatè, & vt finis, maximè, ex Div. Thoma, quia reliqua Sacramenta ordinantur, & disponunt ad ipsam. Quod tamen falsum est in Extremavnctione quæ est post ipsam. In Matrimonio, quia æque beatè, vel melius reciperetur sine ipsa. Respondetur ad intentionē & votum (saltim ordinationis) vt sint necessariæ, sufficere assecutionem signatam vt iam dictum est, & exemplis probatum. Et confirmat desiderium ipsum sanitatis, quod in scientia certo hanc non esse assequendam, est necessarium pro applicatione medicamentorum, quæ tunc tendunt, non ad sanitatem exercitam, sed signatā. ¶ Ad confirmationem respondetur etiam illa Sacramenta esse institutā propter Eucharistiam tanquam speciale Sacramentum, & ob eius specialissimum effectum vt finem. Ratio est, quia vt aliqua sint propter aliquid vt tale, non est necesse, quod sint propter illud acquirendum, sed sufficit quod sint vel propter illum acquirendum, vel propter illud specialiter conservandum, recuperandum, ornandum,

dum, vel augendum. Patet in Beatitudine superna Patriæ, propter quam vt finem specialem dantur à Deo omnia alia superna, taliter quod merita & gratia sanctificans dentur propter illam acquirendam. Gaudium autem beatificum aliæque scientiæ, & virtutes, dotesque corporis gloriosi, dantur tanquam propter finem, propter illam complendam ornandam, & perficiendam. Sic Pœnitentia de peccato post Viaticum est pro gratia cibativa recuperanda. Confirmatio propter Eucharistiam tanquam panem belicum contra inimicos spirituales, à milite Christiano magis roborato suscipiendum. Extremaunctio propter gratiam Eucharistiæ augendam, & tenacius in illa hora contra dœmonis infestationē defendendam, & fortè vt auxilia Viatici securiorem fortiantur effectum. Matrimonium autem gratiam vnitivam præbens, faciensque vt sint duo in carne vna, quasi similariter gratiam cibativam incorporationis Sacramentalis repræsentans, & quasi augens. Sicut autem in celebri convivio plura præcedunt, & plura subsequuntur dissimiliaria convivio, specialissimè tamen pro ipso præventa, similiter dici debet de Sacramentis alijs, comparatis cum Eucharistia specialissimè sumpta vt convivio.

1098 Ex quibus 2. sequitur, quod Eucharistia tripliciter accipitur, 1. Vt institutra & præbenta præcisè, 2. Vt comesta, & recepta, 3. Præcisè vt finaliter comedenda & recipienda, 1. Modo, est necessaria vt medium remotum & fontale, 2. Modo, est principium immediatum, & effectivum, sed hoc pacto est necessaria ex solo præcepto, non autem vt medium, nec in re, nec in voto promissivo, quia vt principium immediatum effectivum, media receptione causans, non est institutum pro prima gratia, sed pro augmento.

1099 3. Modo, signate & intentive, atque tenditive sumpta, est necessaria vt finis, & sic necessaria in voto implicito, & virtuali solius tenditionis, & ordi-

nationis. Vnde dũ sæpè diximus Eucharistiam esse necessariam necessitate medij in voto, intelligendum est de isto Voto implicito tenditionis, non de promissivo receptionis (quia vt recepta, solum est necessaria necessitate præcepti.) Dum item diximus alibi, eam causare primam gratiam per Sacramentum mortuorum vt substitutum, intelligendum est de substituto ipsius, vt principij remoti & fõtalis, suplẽs non pro eo, quod Eucharistia factura erat (non enim ipsa erat factura per se primam gratiã, etiam si recipereturr) sed pro eo, ad quod Eucharistia habebat ius fontale vt alius faceret pro ea, sicut tutor pro pupilo. Vide in Arana in frag. à nu. 99.

1098 Maneat ergo conclusa necessitas simpliciter Eucharistiæ vt principij fontalis. Item vt finis omnium Sacramentorum & ratione sumptionis specialissimè sumptæ (signate tamen) pro specialissima incorporatione Christi cum anima, & animæ cum Christo simpliciter requisita pro vita æterna modo iam explicato, & iuxta præsentem Sacramentorum institutionem iuxta quam Baptismalis ablutio, & vestis nuptialis ex Pœnitentia, omnia hæc, & alia plurima, pro convivio vt tali digne celebrando instituta sunt. Ex quibus sequitur, 3. quod si comparatio fiat inter exercitam susceptionem Baptismi cum exercita manducatione, ille necessarior est ad salutem. Si vero cum institutione Eucharistiæ in fontale principium, & in finem signate sumptum, ista simpliciter necessarior. Et hæc de digressione ad Eucharistiã, & de tota materia de Fide.

# FINIS.

QVÆ-

# QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM INDEX.

## NVMERVS DENOTAT MARGINALEM.

PROOEMIVM, Num. 1.

QVÆSTIO I.

De Objecto Formali Fidei, à num. 5.

Art. 1 & 3. Aliqua præmittuntur. Ibid. §. 2. Alia Advertentia, à num. 16.

Artic. 2. An Obiectum formale Fidei sit aliquod intrinsecum Dei, à num. 22.

Artic. 3. Argumenta contraria solvuntur, à num. 28.

Art. 4. Quodnam sit hoc intrinsecum Dei, à num. 37.

Artic. 5. Argumenta contra primam partem Conclusionis, à num. 48.

Artic. 6. Argumenta ex P. Ripalda contra secundam partem Conclusionis, à num. 56.

Artic. 7. De veritate in essendo in ordine ad obiectum formale fidei, à num. 66.

Artic. 8. An Deitas vitalis partialiter intret in obiectum

ctum formale Fidei, num. 78.
Artic. vltimus, & §. 1. An veritas in essendo sit obiectum formale Quod, n. 87. §. 2. Altera sententia, n. 92.

QVÆSTIO II.

De Revelatione in ordine ad obiectum formale Fidei, à num. 68.

Artic. 1 & §. 1. An ingrediatur in illud? Ibidem.
§. 2. Argumenta, à num. 103.
Artic. 2. In que stet vltima credendi ratio, à nu. 113.
Artic. 3. Reliqua de Resolutione Fidei, à nu. 125. Vide omnino Quæst. 19.
Art. 4. An assensus exprimens mysterium, & non revelationem sit Fides divina, à num. 135.
Artic. 5. & §. 1. Opposita sententia, & nostra, à n. 144.
§. 2. Argumenta, à num. 154.

QVÆSTIO III.

De Obiecto Materiali Fidei, à num. 158.

Artic. 1. & §. 1. Nostra sententia de Habitu, à nu. 161.
§. 2. Solvuntur argumenta, à num. 173.
Advertentia, num. 183.
Artic. 2. & §. 1. An possibiliter revelatum possit esse obiectum proximum Fidei actualis? à num. 185.
§. 2. Argumenta, à num. 191.
Artic. 3. Aliquæ Quæstiones de obiecto materiali proximo credendi §. 1. An inter obiecta credenda sit aliquod quod debeat determinare primo, & ante alia credi, à num. 197. §. 2. An materia Fidei creverit cursu temporis? à num. 204.
Artic. 4. An Materia Fidei bene disponatur in symbolo, à num. 218.

QVÆSTIO IV.

De Divina Authoritate.

Artic. 1. An Deus possit mentiri per se, vel per aliud? à num. 226.
Artic. 2. & §. 1. An Deus possit facere vera miracula

in

in confirmationem falsæ doctrinæ? à num.242.
§.2. Argumentum ex P. Oxea, à num.251. §.3 An possint fieri miracula in aliquo casu pro doctrina falsa, à num.262.
§.4. Alia probationes ab inductione, à nu.269.
Artic.3.& §.1. An Fides possit esse falsa de per accidens? vbi argumenta pro parte affirmante, à num.278. §.2. Alia argumenta, & præfertur pars negans, à num.285.

QVÆSTIO V.

An Deus possit esse specialis causa deceptionis.
Artic.1. Notabilia valde necessaria, num.290.
Art.2. Proponuntur sententiæ, & eligitur negans, à numer.3 4.
Artic.3.& §.1. Proponitur quintum argumentum ab apparitionibus vbi doctrina notanda pro locutionibus, à num.312. §.2. Duo argumenta à Gratia per Christum, à num.2 8.
§.3. Argumentum sumptum aberrore causato per actum supernum volitivum, à nu.326.
Art.vltimus, & §.1. An præmissa Fidei superna possit concurrere ad conclusionem falsam vbi sententia proponuntur, à num.337. §.2. Vera sententia, num.349.

QVÆSTIO VI.

De Revelatione divina.
Artic.1. Notantur aliqua de divina locutione, à numer.359.
Artic.2. An publica Revelatio sufficiat ad Fidem? sententia Hæreticorum reiicitur, à num.369.
Artic 3. An saltem sufficiat ad Fidem privata revelatio, à num.380.

QVÆSTIO VII.

De continentia vnius obiecti in alio in ordine ad fid. m.

Artic.1. *Verum particulare contentum in universali revelato sit de fide eo ipso à num 394.*
Art.2. *Alia difficultates de continentia, n.406.*
Artic.3. *De Conclusione deducta ex premissis Fidei, numer.417.*

QVÆSTIO VIII

*De Signis Credibilitatis, num.425.*

Artic.1. *An mysteria sint evidenter credibilia, & qua evidentia? num.426.*
Artic.2. *De signis huius credibilitatis, nu.450.*
Art.3. *Argumenta: vbi an sit evidens mysteria esse fide divina credibilia, num.459.*
Art.4. *De signis sivi notis vera Ecclesia, num.465.*

QVÆSTIO IX.

*De Iudicio Credibilitatis.*

Art.1. *An requiratur? num.470.*
Artic.2. *De talis iudicij certitudine, & evidentia, num.474.*
Artic.3. *An tale iudicium debeat esse supernum & à quo habitu procedat? num.483.*
Artic.4. *Solvuntur argumenta contra secundam partem, nu.493.*

QVÆSTIO X.

*De pia affectione.*

Art.1. *An requiratur pro interno actu Fidei? n.499.*
Artic.2. *Requiritur pia affectio, num.510.*
Artic.3. *Illatio notabilis nu.517.*
Artic.4. & §.1. *An talis pia affectio debeat esse superna, num.523. §.2. Argumentum difficile P. Antonij Perez, num.531.*
Artic.5. & §.1. *De Principio elicitivo pia affectionis, nu.536. §.2. Argumenta solvuntur, n.543.*
Artic.6. & §.1. *Verum pia Affectio superna possit fieri ex imperio malo, aut ex naturali, numero 549.*

§.2.

§.2. Argumenta solvuntur, vbi alia notabilia num.563 §.3. Aliquæ replicæ, & advertentiæ valdè notabiles pro susceptione Sacramentorum, num.575.

EPILOGVS

Substantialis, & brevissimus (vbi sunt stellæ additionem indicant) vtriusque Quæstioni, 9. & 10 de Iudicio Credibilitatis & Piæ Affectione. § 1 De Actu Intellectus, num.583. § 2. De Piæ Affectione num.596. § 3. De supernaturalitate, & imperabilitate piæ affectionis, & cuiusvis actus superni. num.608.

QVÆSTIO XI.

Prævia ad Definitionem Fidei de aliquibus communibus Fidei, & lumini gloriæ.

Art.1. De habitu Fidei quoad influxum effectivum: vbi aliqua de lumine gloriæ num 616.

Art.2. De excessu eorum supra naturam, num.626.

Art.3. & §.1. An actus naturalis, & supernus possint habere idem omnino obiectum, num.633.

§ 2. Solvitur istud argumentum, & alia, 644.

Art.4. & §.1. Illatio de Supernaturalitate, aut Naturalitate, connexione & certitudine Fidei, n. 655. §.2. De connexione, & veritate Fidei: vbi & de veritate testimonij Dei, num.663 § 3. De certitudine & connexione Fidei, num 671. §.4. Aliqua de ratione quæ, & sub qua, & de duplici connexione, num.678.

QVÆSTIO XII.

De essentia, & obscuritate Fidei, num.681.

Art.1. De Essentia Fidei præsentis, eiusque obscuritate, num 682.

Art.2. Solvuntur alia argumenta, num.691.

Art.3. Quid de habitu? num 698.

Art.4. (prævius ad quæst. seq.) de unitate Fidei, num.702.

QVÆSTIO XIII.

*De Incompatibilitate Fidei cum alijs evidentijs, num.710.*

Art.1.& §.1. *An evidentia in Attestante Divino, impediat Fidem de re attestata? num.711. §.2. Nostra sententia, num.719.*

Art.2 & §.1. *Solvuntur alia argumenta, num.724. §.2. Celebrior alia responsio, num.730.*

Art.3. & §.1. *Cum evidentia dicti Dei per modum connexi non est compatibilis Fides obscura, nu. 738. §.2. Solutio argumenti numeri 730. vbi an sit possibilis Fides de obiecto secundario, viso iam primario, num.750.*

Art.4. *An cum evidentia rei sit compatibilis Fides lata de ipsa, num.759.*

Art.5.& §.1. *Probationes alia huius sententia, 769. §.2. Argumenta hæc solvuntur, num.774.*

Art.6.& §.1. *Opposita sententia, & nostra num.781. §.2. Illationes ex quæstione 12 & 13. & alia notabilia, num.790.*

QVÆSTIO XIV.

*De necessitate Fidei.*

Art.1.& §.1. *Quando habitus sufficiat, & quando requiratur actus ad salutem, num.802. §.2. Duæ solutiones, num.808.*

Art.2. *An hæc Fides necessaria debeat esse stricta, vel sufficiat lata & §.1. Fertur iudicium de ea, num 816 §.2. Argumenta solvuntur, num 826.*

Art.3. & §.1. *Aliqua inferuntur de Fide lata, & alia notantur, num 843. §.2. Vera sententia, num 855.*

Art.4. *De necessitate Fidei ad operandum honestè naturaliter, num 861.*

QVÆSTIO XV.

*De Articulis necessario credendis.*

Art.1. *Proponuntur sententia, num.874.*

Art.

Art.2. *Nostra sententia, num* 887.
Art.3. *De credendis post Evangelium promulgatum, num.* 900.
Art.4. & §.1. *Pro sententia de Fide explicita Christi, & Trinitatis; explicatur necessitas medij, & præcepti, num.* 906. §.2. *De Eucharistia necessitate vt medij num* 913. §.3. *Nostra conclusio, num.* 920. *& vide infra quæst.* 20.

QVÆSTIO XVI.

*De subiecto Fidei.*

Art.1. *In quibus subiectis detur, num.* 933.
Art.2. & §.1. *An dissensus vnius articuli expellat ex natura rei Habitum Fidei, num* 942. §.2. *De secundo sensu, num.* 949.
Art.3. *De Hæresi invincibili in habente Fidem, num.* 954.
Art.4. *De subiecto Fidei in habente, aliàs opinionem circa idem obiectum, num.* 960.
Art.5. *Aliæ quæstiones & Illationes de subiecto Fidei, num.* 965.
Art.vltimus: *De infusione, perfectione, & causis, atque effectibus Fidei, num* 973.

QVÆSTIO XVII.

*De externa Fidei professione, num.* 979.

Art.1. *An externa professio Fidei procedat elicitivè ab Habitu Fidei? num* 980.
Art.2. *De obligatione profitendi exterius Fidem, num.* 990.

QVÆSTIO XVIII.

*De Regulis Fidei.*

Art.1. *Quid, & quotuplex sit Regula Fidei, nu.* 995
Art.2. *De Ecclesia Romana, num.* 1002.
Art.3. & §.1 *De Papa num* 1015 §.2. *De Infalibilitate, & creatione Papæ, num.* 1022.
Art.vltimus: *De Concilio Generali, num.* 1032.



upna Universidad Pública de Navarra Nafarroako Unibertsitate Publikoa

QVÆSTIO XIX.

*Appendix ad Tractatum de Fide.*

*De Resolutione Fidei, num.1037.*

Art.1. *Nostra sententia, num.1038.*

Art.2. *Alia argumenta: vbi de præcognitis, num. 1043.*

Art.3. *De Resolutione Fidei pro Religione per examen, & disputationem adquirenda, & pro iam adquisita conservanda, num.1053.*

Art.4. *Illationes, num 1062.*

QVÆSTIO XX. OBVIA, & VLTIMA.

Art.1. *Circa dicta de necessitate medij in Eucharistia, à numero 913. num.1072.*

Art.2. & §.1. *Notabiles advertentiæ pro isto argumento num.1085.*

§.2. *Illationes num.1085.*

Art. vltimus: *Alia argumenta solvuntur, num.1091.*

RE

# RERVM IN HOC TRACTATV NOTABILIVM ALPHABETICVS, ET ACCVRATISSIMVS INDEX.

NVMERVS DENOTAT MARGINALEM.

## A

*Actus.*

ACTVS triplicem specificationem habere potest: & vnde num.36. Quid sit habitum, & actum tendere in rem existentem signatè, & in rem existentem exercitè tanquam in specificativum sui? nu. 163. Firmatur, & explicatur distinctio multis exemplis, à num.164.

Actus essentialiter verus potest affirmare sui dura-

tionem in æternum, num.302. Actus falsus quousque imperari possit, & oriti ab affectu re ipsa supernaturali? à num.326. Vbi subtilis doctrina pro similibus toto articulo 3. quæst.5.

Actuum supernorum multiplicitas valdè notanda, n. 550. Actus superni, & meritorij nō possunt in hoc rerum ordine imperari ex motivo inhonesto, seu imperio etiam leviter malo, à num. 558. In alio rerum ordine possent, nu.576. & 577. Vide verb. *Affectus*.

Actus naturalis, & supernus licèt differant in ratione formali *sub qua*, convenire possunt in ratione formali *quæ*: & cur? à num.644. & à nu.678. An possint habere idem omnino obiectum? à nu. 635. Negantis sententiæ satisfit, à num.637. Authoris Iudicium, & sententia affirmans, nu.654.

In actu vitali duplex connexio est possibilis cum obiecto: Intentionalis, & entitativa, num.678. Explicantur singulæ. Ibidem, & num.679. Distinctionis utilitas, & vsus. Ibidem.

Actus Fidei omnes sunt eiusdem speciei in linea Fidei, à num.705.

*Adoratio.*

Hostiæ propositæ debet esse absoluta adoratio, licèt Fides sit conditionata, num.280.

*Adquisitio.*

Quantum sit discrimen inter physicam adquisitionem, & physicam possessionem ex vna parte: & ex altera intentionalem adquisitionem, & possessionem? Vbi multa subtiliter à num.762.763. & seqq.

*Affectio.*

Quid sit affectio pia in negotio Fidei? num. 499. In quo differat ab imperio? num.510. De eius necessitate sententia negans arguit à num.500. & examinatur per doctrinas utilissimas. Ibid. Eius necessitas asseritur, à num.510. Et ostenditur multiplicitèr, à num.513.

Est

Est à Deo insupplebilis in œconomia Fidei, & cur? num.518. De facto supernaturalis est, num.529. In alia lege posset esse naturalis, num 526.

Pro elicientia præ affectionis, habitus specialis requiritur, à num.537. Nec contradicit S. Thomas, ibidem, & seqq. Hic habitus est virtutis moralis infussæ: & permanet etiam in peccatore cum habitu Fidei, num.544. & 545. In quo sensu dicatur à S. Thoma pia affectio se habere per modum dispositionis, & non per modum habitus? num.547.

Affectio pia an fieri possit ex imperio malo, & inhonesto, à num.549 Vide verb. *Affectus*.

*Affectus.*

Quousque imperari possit, & oriri error, aut actus falsus ab affectu re ipsa superno? à num.326.

Affectus superni, & meritorij non possunt in hoc rerum ordine imperari ex motivo inhonesto, seu imperio etiam leviter malo, à num.558. In alio rerum ordine possent, num.576. & 577. Discrimen inter vtrumque ordinem: & quomodo Deus nunquam cooperaretur ad malum, aut honestas superna tribui nō deberet alteri quam Deo? ibid.

*Amphibologia.*

Quid sit, & quotuplex amphibologia? num.240. Quænam Deum dedeceat, & quænam deceat? ibidem, & num.241.

*Amor.*

Amor, & dilectio Dei etiam superna an possit componi cum volitione efficaci peccādi mortaliter? n.947

*Approbatio.*

Quam habet vim Ecclesiæ, aut Pontificis approbatio, & laus super alicuius Catholici doctrina? n.213.

*Apparitio.*

Apparitiones quæ fieri solent in Eucharistia sub repræsentatione Christi patientis, vel pueri, quo-



upna Universidad Pública de Navarra Nafarroako Unibertsitate Publikoa

modo intelligendæ,& explicandæ ne sint falsæ? à num.312.vbi multa satis vtilia.

*Appetitus.*

Non datur in natura appetitus innatus ad fidem supernam,num.626. Vbi pulchra pro Materia de Visione. Quousque ex eo quod ens sit de perfectione naturæ, deduci valet quod cadat in appetitum innatum ipsius naturæ? Ibidem.

Cur non cadat in appetitum innatum naturæ visio Beatifica, licèt in ea quiescat vltimo? num.629. Vbi explicatur acuta doctrina pro hac,& proMateria de Visione.

*Arausicanum.*

Quid sit apud Concilium Arausicanum cogitare vt expedit? num.484.

*Articulus.*

Articuli Fidei benè disponuntur in Symbolis,num.220 & cur? Ibidem.

Quinam articuli necessario necessitate medij credendi ante Evangelium promulgatum sufficientes? à num.874 Authorum sensus, cum fundamentis,à num.878.ad vsque 886.Authoris opinio trimembris,à num.887.

Quinam necessario credendi post Evangelium promulgatum? à nu.900. Aliorum opiniones,ibidem. In sententia Authoris explicita Fides de Christo,& Trinitate, est medium necessarium per se ,.licèt supplebile per accidens in impotente, sive in eo, cui Evangelium promulgatum alijs,non innotuit. Vnde necessitas medij per se, simpliciter non est necessitas,num.920. Acutæ,& accuratæ notationes ad Authoris sententiam,à n.906. Eius ostensio,à num.920.

Quinam necessario credendi necessitate præcepti? nu. 932.

Dis-

Dissensus vnius Articuli quando,& quousque expellat ex natura rei habitum Fidei, etiam alijs Articulis non negatis? & quando non? num.951.

*Assensus.*

Assensus inuitens authoritati purè promissoriæ nempè Decreto,& promissione Dei, non est assensus Fidei,num.44. & latius 58. Non tamen ex deffectu certitudinis, ibidem. Vbi multa subtilia de specificativo Fidei,à num.43.& à num.58. Solvuntur argumenta difficilia,à num.56.

Quam inter se sint diversæ ratio essendi,& ratio assentiendi? à num.84. Explicatur differentia pro luce plurium quæstionum: maximè pro resolutione Fidei, Ibidem,& seqq.

Motivum assentiendi constitutivè dicit connexionem obiectivam obiecti formalis cum materiali,num. 99.In quo sita sit ista connexio? Ibidem.

Assensus niteus in intrinseca veritate Misterij,nec tamen exprimens Divinam revelationem, sed supponens per alios actus ante factam, an actus Fidei,à num.135. Qui negent,& eorum motiva, à n. 138. Qui affirment,& ob quæ? à num.144. Meus Authoris,à num.148.

Assentiri nitendo, & assentiri fidendo, quam diversa sint? à num.774.

*Assuefactio.*

An assuefactio in potentijs necessarijs operetur aliquid in illis? Et quo debet reduci illa quasi emollitio, qua potentiæ iam assuefactæ, operantur? à num. 529. & 520. Satius est reducere ad voluntatem. Ibidem.

*Augustinus.*

Augustini gratias visi agere pro certo genere erroris, locus difficilis explicatur,num.320. Eiusdem loci difficilis illustratur pro necessitate Fidei, à num. 837.

Aug.

*Authoritas.*

In quo differat authoritas testificativa, & authoritas vulgaris? & in quo consistat vtraque, num. 48.

Authoritas Dei quomodo sit præcognita ad Fidei assensum? num. 35 In quo Dei prædicato consistat authoritas necessario motiva Fidei? à num. 37. Authorum sententiæ. Ibidem. Singularis Ripaldæ opinio distinguentis promissoriam, & assertoriam, num. 38. Quid vtraque? Ibidem. Mens Authoris, num. 39. & 43.

Cur Authoritas Dei non claudat in suo conceptu omnipotentiam, media qua loquitur Deus ad extra? num. 49. Quomodo attingatur ab actu Fidei, nu. 50. & 51.

Quænam Dei scientia in authoritatis Divinæ constitutivum ingreditur? num. 52. Quomodo resolvatur in authoritatem Dei dicentem tanquam in cognitionem vltimam Fidei? n. 53. Veracitas non sufficit se sola constituere authoritatem testificativam Dei, & cur? num. 54. Deitas, seu Dei maiestas auget authoritatem testificativam Dei non formaliter, sed vulgariter sumptam. Vide *Deitas, Deus, &c.*

*Auditio.*

Divinæ loquutionis auditio, in quo consistat, à n. 365.

# B

*Baius.*

Michaelis Baij, & Iansenij error de necessitate Fidei ad operandum honestè naturaliter, num. 861. Fundamenta erroris convelluntur, à num. 862. ad vsque 868.

*Baptismus.*

Solus character Baptismi non est forma Romanæ Ecclesiæ, num. 1006.

Ben-

*Beatitudo, & Beati.*

Quantum differant Beatitudo, & Fides in obiecto formali *quod*, num. 91. In Beatis non datur Fides, num. 934.

*Beatifica Visio.*

Qua ratione affirmet suam durationem sine vllo periculo falsitatis? num. 665. & 302 Quid si non affirmaret? num. 670. Cur non cadat in appetitum innatum naturæ, licet in ea quiescat vltimo? num. 629. Vbi explicatur acuta doctrina pro materia de Visione.

C

*Certitudo.*

Certitudo duplex: qualis in actu Fidei? num. 639. Iterum triplex, num. 671. Explicantur singulæ. Ibidem. Decretum Dei certificare potest de effectu futuro, per modum medij visi, non per modum testificati, num. 62. & 64. Vbi acutè multa pro discernendo motivo Fidei.

Fides est essentialiter certa: idque certum est, & de Fide, n. 672. Est certior quovis actu naturali, n. 674.

*Character.*

Solus Character Baptismi non est forma Romanæ Ecclesiæ, num. 1006.

*Charitas.*

Charitatis Theologicæ actus quousque possit componi cum volitione eficaci peccandi mortaliter, nu. 947.

*Christianus.*

Quid liceat, aut non liceat Christiano circa externam Fidei professionem? à num. 991.

*Circulus.*

Vitiosus circulus quid sit? num. 510. Quousque vitandus? Ibidem. Quomodo, & vbi vitari potest? n. 111.

Con-

*Connexio.*

Duplex est possibilis in actu vitali. Vide verb. *Actus.*
Connexio quoad esse, seu entitativa, & quoad cognosci, seu intentionalis omnino diversa, num. 408. & 412.

*Cognitio.*

Supernaturalis cognitio nequit movere ad malum, nu. 568. Veritas, quæ 1. cognoscitur mediatè, & per aliam, potest 2. cognosci immediatè, & in se, num. 121. & 122. Et explicatur qualiter id contingat in œconomia mentis nostræ. Ibidem.

*Conclusio.*

Potest esse præmissis certior ex nobilitate, & excessu principij, num. 126. Præmissæ Fidei supernæ, neque per se, neque per accidens, vt causa proxima, influit in conclusionem falsam, à num. 337 præsertim num. 351. & 352. Æquivocè tamen, quasi remotè, & indirectè, semper tamen per accidens influere potest, à num. 353.
Formalis conclusio, innixa in revelatione vt medio verbo, non est Fides, num. 418. Multo minus illata ex præmissis non innixis revelatione, vel veritate rei revelatæ, num. 419. Imo, & si virtualiter sic innixa revelatione: & cur? num. 420.
Conclusio obiectiva ex præmissis Fidei deducta, quousque sit, & vadat materia Fidei? num. 422. & seqq.

*Concilium.*

Concilij generalis descriptio, num. 1032. Discrimen à Provinciali, num. 1034. Eius infallibilitas, nu. 1035.

*Consequens.*

Axioma Logicum: ex oppositis consequentis valet ad oppositum antecedentis, quo sensu sit vtile, & verum, num. 447.

*Conscientia.*

Quæ conscientiæ securitas sit nota veræ Religionis? à num. 958.

Con-

*Continentia.*

Particularis in vniversali quid sit? num. 394. Quotupliciter constare potest? Ibidem. Revelato vniversali quæ continentia particularis in illo, sufficit vt particulare sit de Fide? à nu.396. Non sufficit probabilis tantum continentia, num. 399 & seqq.

Continentia virtualis vnius in altero, duplex modus, num.407. Neuter sufficit, vt obiectum virtualiter contẽtum in alio revelato maneat revelatum, à num.407. ad vsque 413. Vbi multa valdè vtilia pro misterijs Fidei internoscendis.

*Credere.*

Quomodo, & in quo sensu potest quis dici aliquid credere propter miracula? num.28. & 29: Vbi qua ratione conducant miracula ad *quare* credendi? num.29.

Quatenus omnia possibilia sunt credenti? num. 798. Non est de essentia Fidei credentem reddere peregrinum à Domino, num.801.

Materia necessario credenda. Vide verb. *Articulus.*

*Credibile.*

Verum & credibile quantum differant? num.425. Misteria Fidei quousque sint credibilia? Vide verb. *Mysterium.*

*Credibilitas.*

Duplex, num.14. Et explicatur vtiliter vtraque. Ibidem, & num.15.

Signa credibilitatis qualiter se habent ad Fidem? nu. 119 Explicatur doctrina, per argutam, & aptam similitudinem. Ibidem, & num.120. Quot, & quænam sint signa credibilitatis, à num. 450. Explicantur. Ibidem. Formatur argumentum ex ipsis, nu.456. Elevantur signa quæ pro suis sectis obijciunt Sectarij.

Credibilitatis Iudicium. Vide verb. *Iudicium.* Evidentia

tia credibilitatis. Vide verb. *Mysteria*. Verb. *Evidentia*.

# D

*Decretum.*

Decretum Dei certificare potest de effectu futuro per modum Medij visti, non vero per modum testificati, num. 62. & 64. Vbi acutè multa pro discernendo motivo Fidei. Assensus innitens decreto, & promissioni Dei, id est authoritati purè promissoriæ, non est assensus Fidei, num. 44. & latius num. 58. & seqq.

*Deceptio.*

Deceptio quotupliciter accidere potest? Et quantum differat à mendatio? num. 290. Non sufficit ad positivam deceptionem ocultatio veritatis, nu. 294. Deceptio dupliciter induci, vel intendi potest: directè, & in se: indirectè, & in alio, num. 295. Directè, & in se nequit à Deo intendi: bene tamen indirectè, & in alio, nu. 295. & 296. Cui virtuti, vel perfectioni opponatur deceptio? num. 309. & 310.

*Deitas.*

Deitas, seu Dei veritas in essendo, se præcisè sola non sufficit ad movendum assensum Fidei, à num. 69. Ripalda contrarium adstruit. Ibidem. Arguenti satisfit, à num. 71.

Qua ratione Deitas in conceptu suo pugnet cum omni imperfectione, tam physica, quam morali? num. 72. Aliorum mens examinatur, & reijcitur, num. 73. & 74. Mens Authoris, num. 75. & 76. Neque partialiter constituit formale constitutivum authoritatis testificativæ divinæ, num. 78. & seqq. Auget tamen authoritatem testificativam Dei, non formaliter se vulgariter sumptam, num 80.

An sit obiectum formale *quod* Fidei? num. 87. Duplex

sen-

sententia. Ibidem. Defenditur veraque problematicè. Negativa, à nu. 87. Affirmativa, à nu. 92.

*Deus.*

Tripiex in Deo veritas, num. 27. Enucleantur singulæ. Quanta sit necessitas ad Fidem Theologicam nitendi in aliquo intrinseco Dei? num. 34. Deus omnipotens, & auxilians, qualiter præsuponitur, & requiritur ad actum Fidei? num. 52.

Dei Maiestas quousque cohibeat, præcisim ab attributo scientiæ, irreverentiam ipsi discredendi? num. 71. Inutiliter tamen ad novendam fidem. Ibidem.

Deus, neque per se, neque per alium mentiri potest. etiam inspecta absoluta potentia, à num. 229. ad vsque 240. Explicantur Scripturæ loca, quæ videntur in oppositum posse torqueri, num. 235. & 236. Mentiri, & falsum dicere non est diversum in Deo, & cur? num. 226. & 227.

Nequit Deus patrare miracula in confirmationem falsæ doctrinæ, stante præsenti miraculorum institutione. Vide de his multa verb. *Miracula.*

Directè, & in se nequit à Deo intendi deceptio, bene tamen indirectè, & in alio, num. 295. & 296. Tripliici modo comparari potest ad Deum falsitas: & explicatur triplex hic modus per notationes doctrinæ pervtilis, à num. 299. Error, seu actus falsus nequit à Deo specialiter, & directè causari, à nu. 305. Quousque possit Deus esse causa omnium principiorum ex quibus error provenit? num. 311.

Triplex volibilium genus acutè distinctum: & quomodo comparetur ad affectum, & causalitatem Dei, num. 335. & 336.

Deus vt Author naturæ loqui non potest de rebus supernis, num. 657. De alijs potest, num. 656.

Vide verb. *Authoritas, Testimonium, Locutio.*

*Deuteronomium.*

Deuteronomij locus difficilis explicatur, num. 277.

Dis-

*Dissensus.*

Dissensus vnius Articuli, quando, & quousque expellat ex natura rei habitum Fidei, etiam alijs non negatis? Quando, & quousque non expellat? n.998.

*Divinum.*

Quodnam discrimen sit inter divinum transcendentaliter, & divinum formaliter? num.79.

*Doctrina.*

Quam vim habet Ecclesiæ laus, & approbatio super alicuius Doctoris doctrina? num.213.

Doctrina Thomistica de evidentia in attestante proponitur, à num.730. Et repellitur, à num.738. Vide verb. *Miracula.*

*Dæmon.*

De fide dæmonum, locus Beati Iacobi explicatur, à n. 938. & 939.

# E

*Ecclesia.*

Qualiter dissentiens Ecclesiæ proponenti existentiam divinæ revelationis sit Deo iniurius, & discredat? num.130. & 131. Quare Ecclesia sit, & dicatur regula Fidei, & columna veritatis? num.132. & seqq.

Ecclesiæ status triplex, num.204. explicatur. Ibidem. Veræ Ecclesiæ signa, vel notæ. Quot, & quænam, à num.465. Et explicantur. Ibidem, & num. seqq.

Ecclesia Romana quid sit, num.1002. Quænam sit eius forma, à num.1004. Materia, nu.1009. Signa, nu. 1010. Initium, num.1011. Habet de proprietate esse perpetuam, num.1012. Est regula nequiens errare, num 1013.

Neque omnes Prælati Ecclesiæ simul: neque omnes subditi Ecclesiæ simul, errare possunt, nu.1014. Vide *Propositio.*

Error.

*Error.*

Erroneus Habitus potest à Deo specialiter infundi, negato concursu ad actum falsum, num.291. Error, seu actus falsus nequit a Deo specialiter, & directè causari, à num.305. Quousque possit Deus esse causa omnium principiorum ex quibus provenit error? num.311.

Error, cui virtuti, vel perfectioni opponatur? n.309. & 310. Nequit esse favor, aut gratia per Christũ, num.318. Vbi multa acutè dicta pro casu conscientiæ invincibiliter errantis. Augustini pro certo genere erroris gratias Deo agentis locus difficilis explicatur, num.320.

Error, seu actus falsus quousque imperari, & oriri possit ab affectu re ipsa superno? à num.326.

*Essentia.*

Essentia Dei, seu veritas in essendo, præcisè non sufficit ad movendam Fidem, num.69. Vide *Deitas.* Quam inter se sint diversæ ratio essendi, & ratio assentiendi, num.84.

*Eucharistia.*

An Eucharistia contineatur in Symbolo? num.223. & 224. Hostiæ propositæ adoratio debet esse absoluta, licet Fides sit conditionata, num.280. Quomodo intelligendæ, & explicandæ sint apparitiones, quæ fieri solent in Eucharistia? à num.312. An ve causes sumptæ augmentum gratiæ, saltim post primã vicem requiratur actualis fervor. Vide à nu.553. & 578. & infra, verb. *Sacramentum.*

Eucharistia quousque dicenda sit necessaria necessitate medij? à num.913. Vbi multa rem in hanc pulchra, & iterum in Appendice, à num.1072. per totam quæst. vbi gravia argumenta solvuntur, & in artic.2. necessitas finis radicitus enucleatur.

*Evidentia.*

Evidentia credibilitatis quæ sit? num.428. Ea eviden-

tia credibilitatis, quæ misteria Fidei dicuntur credibilia, non solum est moralis, nec solum physica, sed etiam metaphysica, à num. 428. & qua ratione? num. seqq. Vbi plura pro quietando intellectu in œconomia Fidei. Huiusmodi evidentia cur non obstet merito Fidei nostræ? num. 433. Misteria Fidei non sunt evidenter possibilia, licet evidenter credibilia, à num. 446. Vbi solvuntur ingeniosi parologismi. Vide *Misteria*.

Evidentia in attestante quid sit? num. 710. & 711. Possibilis est. Ibidem. An possit cum Fide componi? à num. 713. Sententiæ Authorum cum suis fundamentis, à num. 713. ad vsque 718. Mens Authoris cum doctrinis valdè subtilibus, & vtilibus. Quæstiones male confundi solitæ de compositione evidentiæ cum Fide, num. 710.

In Philosopho Christiano quomodo concilientur evidentia de existentia Dei, & Fides? à num. 691. & præsertim num. 694. Vbi singularis de hac re mens Authoris. Actus Fidei, & evidentia physica circa idem obiectum directè tactum, incompatibiles, num. 697.

Cum evidentia dicti Dei per modum connexi nequit stare obscuritas Fidei, à num. 738. ad vsque 754. Talis assensus esset evidens quoad an est, à num. 744. Argumentum celebre contra doctrinam Authoris, num. 725. An viso primario obiecto formali Fidei, possit dari Fides obscura ratione secundarij? à num. 754. An sit compatibilis cum rei eiusdem evidentia, Fides etiam lata, à num 759. Sententia negãs arguit. Ibid. & seq. Fit satis. Ibid.

Evidentia, & Fides, nec ex obiecto, nec ex modo tendendi precisè pugnant ex natura rei; regularitercamen, præcedente evidentia rei, non est compatibilis Fides de ipsa re, n. 784. & n. 787. Fides videns in attestante nullam trahens obscuritatem,

com-

componi optimè potest cum evidentia. Ibidem.
Obiectum Fidei simpliciter obscuræ, potest esse ex parte evidens, num. 790. An ex illa parte simul creditum? Ibid. Vbi singularis discurrendi modus, & num. 791. Pro mysterio demonstrato ex evidentia in attestante, medium in quo consistat? num. 792.

*Exercitium.*

Pro exercenda Fide tria requiruntur: quænam hæc sint? num. 1063. Diversa resolutio Fidei fieri debet pro exercenda, ac pro defendenda, vel amplexanda Fide, num. 1038. Distinctionis vtilitas, & applicatio pro luce difficultatis, à num. 1039.

# F

*Falsitas.*

Falsum dicere, & mentiri longè diversum in nobis secus in Deo: cur? num. 226. & 227. Falsum dicere est intrinsecè malum, num. 228.
Falsitas essentialiter repugnat Fidei Divinæ supernæ, etiam ex parte credentis, num. 288. & 289. Vide etiam à num. 278. Vbi rationes dubitandi acutè vrgentur, & solidè dissolvuntur.
Triplici modo comparari potest ad Deum falsitas. Et explicatur triplex hic modus per notationes doctrinæ pervtilis, à num. 299. Vide verb. *Error.*

*Fides.*

Cur à Fide inchoatur tractatio de virtutibus? num. 1. Multiplex Fidei acceptio, à num. 2. Qualis in hoc tractatu intenta? num. 2. & 4.
Duplex Fidei obiectum. Materiale, & formale, num. 6. Explicatur vtrumque. Ibid. Obiectum formale Fidei est innegabile, num. 22. Quis negare visus, aut ausus? Ibid. Impugnatur, num. 23. Necessario intrat in obiectum formale Fidei aliquod prædica-

tum Dei, à num. 24. Difficultates in oppositum diluuntur, à num. 28. Discrimen inter intrinsecos, & extrinsecos fines Fidei, num. 33. Quanta sit necessitas ad Fidem Theologicam nitendi in aliquo intrinseco Dei? num. 34. Vide verb. *Authoritas. Obiectum.*

Quomodo resolvatur in authoritatem Dei dicentem, tanquam in rationem vltimam? num. 53. In quo differat a Prophetia, num. 55. Motivum Fidei sumitur disputatiuè, & dogmaticè: Vsus, & vtilitas distinctionis, num. 77. Vide verb. *Assensus, Decretum, Deitas.*

Quantum differant Beatitudo, & Fides in obiecto formali *quod*? num. 91. Quomodo revelatio ingrediatur in obiectum formale Fidei, à num. 68. Diversitas specifica revelationum non facit actus Fidei specie diversos, num. 107. & cur? num. 108. Vide verbo *Revelatio, Locutio, Testimonium.*

Fidei resolutio quid sonet? num. 112. Quanta difficultas? Ibid. Sententiæ variæ, num. 113. Examinantur, à num. 113. ad vsque 119. Authoris sententia, num. 120. & iterum in appendice, à num. 1038. Vbi distinguitur duplex Fidei resolutio, nempè pro exercenda, vel pro defendenda Fide. Ibid. Eius distinctionis vtilitas, & applicatio, à num 1039. Aliquid præire debet pro resolutione Fidei, quod sit visum, num. 1062. Quodnam hoc sit. Ibid. Quid pro exercenda Fide, num. 1063. Quid pro amplexanda Fide requiritur? à num. 1070.

Qua arte respondendum sit quærenti resolutionem Fidei? num. 128. Vbi plura pro tollendis æquivocationibus, & fallacijs, subtiliter notata, & distincta. Pro solida Fidei resolutione distingui debet duplex quæstio: altera de linea virtutis obiectivę, & motivæ: altera de linea aproximationis, num. 128. Explicatur vtraque. Ibid. Non est petenda Fi-

dei

dei resolutio ex eo quod Deus dicat se dicere, & cur? num.129.

Fidei Habitus non specificatur ab obiecto possibiliter revelato: requirit saltem pro specificativo rationem actualiter revelati, saltem ignatè, num.167. Quare obiectum pure revelabile non potest dici obiectum Habitus Fidei. Ibid. ad vsque num.184. & iterum à num.185. ad vsque num.196. Actus Fidei quousque requirat ex parte obiecti rationem revelati, seu dicti, num.185.

Fides implicita, & explicita quid vtraque? num 204. Implicita subdividitur in formalem, & interpretativam. Ibidem, & num. 205. Implicitæ materiæ non crevit cursu temporis, num. 206. Bene tamen explicitæ: sed tamen ad vsque tempora Christi, & Apostolorum: non postea, à num. 211. Quid interest inter propositionem de Fide, & subiectum de quo credit Fides, num.214. Quæ sint necessaria materia Fidei, aut necessario credenda, vide verb. *Articulus*, *Symbolum*.

Fidei Divinæ superæ repugnat essentialiter falsitas, etiam ex parte credentis, num.288. Fides nostra de facto existens an essentialiter Catholica? num. 386. An repugnet Habitus Fidei essentialiter Catholicæ? Ibid. Requisita ad Fidem necessario duo, & quænam? num.395. Quæ regulatio sufficiat ad exercitium Fidei, vide verbo *Continentia*, *Inclusio*, *Conclusio*.

Fides Divina, alia obiectivè, alia exercitè, num.462. Explicatur vtraque. Ibid. Mysteria Fidei esse credibilia Fide obiectivè Divina, est evidens: non verò Fide exercitè Divina, à num.462. Vbi explicantur hi termini, & alia valdè vtilia, vide verbo *Mysteria*.

Fidei Habitus concurrit actiuè, vide verbo *Habitus*.

Fides non est supernaturalis ex solo motivo quod exprimit, num.655. Possibilis est quæ nitatur testimonio naturali Dei, num.656. Theologica de facto supernaturalis est, num.658. Et necessario vera, & conexa cum obiecto credito, à num.663 Quam certa sit? Vide verbo *Certitudo*.

Fidei deffinitio: ea nempè, quam Paulus tradidit, explicatur vberrimè, num.682. Aliæ deffinitiones clariores, num.684. An fides sit essentialiter obscura? num.685. Authorum sententiæ. Ibid. Sententia Authoris trimembris, à num 686. Qua ratione intelligendum, quod Fides sit de obiecto non viso, vide verbo *Obscuritas*. Fides quousque componi possit cum evidentia, vide verbo *Evidentia*.

Fides lata quid sit? num.759. Expressius, num.775. An fides lata sit compatibilis cum rei eiusdem evidentia? à nu.759 Quæ fides dicatur ab Apostolo pignus? n.771. & 778. Fidei regulæ. Vide *Regulæ*.

Fides quoad habitum est necessaria necessitate medij absoluta, & in re ad justificationem, & salutem in parvulis, secus quoad actum, num.804. & 805. In adultis verò peccatoribus est etiam necessaria quoad actum ne essitate medij simpliciter, & absolutè, num.806. Fides in voto non sufficit ad justificationem adulti, num.808. Quinam oppositum senserint? Ibidem. Periculosè tamen. Ibid. Iterum, num.823.

Fidei divisio in strictam, & latam ex mente Authoris, num.775 & num 816. Ex mente, & calamo P. Ripaldæ, nu.816. Huius singularis doctrina de necessitate Fidei, num.817. Reijcitur operosè, à nu. 819. Vide verb. *Necessitas*, *Justificatio*, *Gentilis*.

Fidei subiectum quodnam sit, à num.933. Datur Fides in omnibus fidelibus in via, num.933. In Beatis

934. In animabus Purgatorij, num. 935. Non datur in damnatis, num. 936. Neque manet in Hæretico. Vide verb. *Hæreticus, Dissensus.*

Fides in habente opinionem de obiecto credendo possibilis est, à num. 960. Quo sensu negaverit S. Thomas? num. 961. Fidei Theologicæ perfectio, nu. 974. Causæ, num. 977. Effectus, num. 978. Vide verb. *Habitus, Professio.*

*Fidelis.*

Qui veniant nomine fidelium? num. 933. Vnio fidelium cum vno capite non intrat in essentialem formam Ecclesiæ, num. 1008. Omnes fideles Ecclesiæ simul errare non possunt, num. 1014.

Fideles iusti regulariter, & de lege ordinaria non eliciunt opera honesta superna, nisi ex Fide stricta, num. 860. In omnibus fidelibus in via datur Habitus Fidei, num. 933.

*Finis.*

Discrimen inter intrinsecos, & extrinsecos fines Fidei contra Durandum, num. 33.

*Forma.*

Quænam sit forma Romanæ Ecclesiæ? à num. 1004. Neque sola externa Professio est eius forma, nu. 1005. Neque solus character Baptismi, num. 1006.

*Formale.*

Vide *Obiectum.*

*Fortitudo.*

Vnde nascitur communiter inæqualitas in actu fortitudinis elicito potius a viro quam a fœmina, potitis tamen æquali habitu? num. 623. & seqq.

# G

*Gentilis.*

Ante Evangelium quæ dispositio requiratur in Gentilibus

libus regularitei? num.653. An habeant Gentiles ante rigurosum negotium Fidei strictę vllam cognitionem entitativè supernam? Aliorum iudicia, à num.846. Repelluntur. Ibidem. Mens Authoris, num.653. & à num.855.

Cur Gentiles excusari non possint ab amplexanda vera Fide? à num.828. & iterum, à num.841. Pauli locus de inexcusabilitate Gentilium. Illustratur, à num.828. Non probat aliam Dei cognitionem in illis præterquam naturalem ex creaturis. Ibidem, & num. seqq.

*Gratia.*

Nequit esse gratia per Christum error, aut actus falsus, num.318. Vide *Iustificatio.*

*Gonetus.*

Goneti doctrina proponitur de evidentia in attestante, à num.730. Repellitur, à num.738.

# H

*Habitus.*

Habitus dupliciter sumi potest, nempè quoad essentialem specificationem speculativè, vel quoad exerceri, seu practicè: Quid verumque sit, num 162. Quid sit habitum, & actum tendere in rem existentem signatè, & in rem existentem exercitè, nu 163. Firmatur, & explicatur distinctio, à n.164.

Habitus Fidei non specificatur ab obiecto possibiliter revelato, num.167. & iterum, à nu 185. Ad quem habitum pertineat actus assentiens existentiæ rei quæ est possibiliter revelata, num.193. Habitus erroneus. Vide *Error.* An repugnet habitus Fidei, essentialiter Catholicæ, num.386.

Habitus Fidei concurrit activè, num.616. Et quidem

vt tota ratio agendi, num. 621. Perfectior intellectus cum æquali habitu fidei non elicit perfectiorem fidei actum, num 622.

Fides quoad habitum componi potest cum habitu scientiæ, num. 699. Imò cum visione beata transeunte, num. 701.

Quinam fidei habitus maneat in Hæretico? num. 695 In quo subiecto sit, aut possit esse, à n. 933. Quomodo desinat esse, num. 940. & 951

Habitualis fidei incompatibilitas cum statu beatifico non est essentialis, num. 657. Vnde sit? Ibidem. Habitus fidei remanens in peccatore est vera virtus, num. 972. An aliquando infundatur ante gratiam, & quando id sit, num. 973.

*Hæresis*

Hæresis in Magistris raro invincibilis, à num 954. An possit esse invincibilis in habente fidem. Ibidem, & num. 957. & eandem num. 970.

*Hæreticus.*

Cur esset Hæreticus qui negaret obiectum, quod revelari potest à Deo esse verum? num. 196. Signa credibilitatis quæ pro suis sectis objiciunt Hæretici, eventilantur, à nu. 459. An Papa maneat privatus ipso facto ob hæresim sufficienter probatam? num. 1027. Forte non potest esse internè Hæreticus, num. 1031.

In Hæretico non manet fidei habitus, à nu. 940. Quinam fidei habitus maneat, num. 965.

*Homicidium.*

Dispar ratio inter mendacium, & homicidium quoad conceptum illiciti, num. 237.

*Hurtadus.*

Patris Gasparis Hurtadi consideratio de obiecto formali reijcitur, à num. 19.

Ia-

# I

*Iacobus.*

Iacobi Apostoli locus de fide dæmonum, explicatur, à num.938.

*Iansenius.*

Iansenij error de necessitate fidei ad operandum honestè naturaliter, num.861. Fundamenta erroris convelluntur, à num.862.ad vsque 868.

*Identitas.*

Identitas perfectionum secundum se, & cum distinctione finitarum, plerumque evadit infinita, vel impossibilis, num.632.& 633.

*Imperium.*

In quo differat pia affectio ab imperio, nu.510. Ex imperio etiam leviter malo non possunt induci affectus superni meritorij in hoc ordine rerum, à n. 558. Possent in alio, num.576. & 577. Principia superna causativa effectus superni non pro ipso operante, sed pro alijs, subduntur in vsu imperio voluntatis etiam malo, num.551. Ad imperium voluntatis reduci debet emolitio qua potentiæ assuefactæ operantur.

*Inclusio.*

Metaphysica vnius in altero inclusio duplex, num.414 Quæ sufficiet vt obiectum metaphysicè inclusum maneat revelatum, revelato iam includente? Ibidem.

*Infidelis.*

Omnes Infidelium actiones non esse peccata quam certum sit contra Baium, & Iansenium? à num.835. Iterum, num.864.& 866.

*Intellectus.*

Quodnam inter potentiam intellectivam, & volitivam dis-

discrimen sit in modo tendendi ad obiectum? nu. 288. Et exinde inter virtutes morales, & intellectuales. Ibidem, & num. 278. & 279.

Dependentia intellectus à voluntate in his, quæ evidenter non apparent, subtiliter explicatur, & ostēditur, num. 501. & seqq. Motivum intellectus sufficiens, & determinans valdè diversa, num. 511.

*Intentio.*

Mala intentio alioquin etiam levis, impedit augmentum gratiæ in administratione, & susceptione Sacramentorum, num. 553. Et magis ex professo, à num. 568. Sacramentorum administratio, seu susceptio, ex mala intentione etiam levi, an sit inordinatio graviter peccaminosa? num. 553. Quænam ordinatio ad finem alioqui malum impediat, aut fructum Sacramentorum, aut meritum operum? Vbi doctrina pervtilis, num. 581.

*Ioannes.*

Ioannis XXII. mors ex qua occasione præsumitur accelerata, num. 1023.

Ioannis Martinez de Ripalda singularis opinio, num. 38 Doctrina singularis de necessitate fidei, à nu. 817. Singularis distinctio fidei, num. 816.

Ioannis Cardinalis de Lugo laus, num. 761 & 768. Subtilitas pro incompossibilitate fidei cum evidentia, num. 760. & 766. Subtiliter solvitur ab Authore, à num. 761.

*Iudicium.*

Iudicium credibilitatis quid sit? num. 430. Quousque necessarium sit pro eliciendo assensu fidei, à nu. 470. Eius necessitas non videtur par pro adulto, sapienti, & pro rudi, à num. 474. Pro convertendo adulto alioquin rudi sufficit subiectivè certum, & firmum, licet entitativè probabile: Evidens pro convertendo adulto sapienti, & docto,

num.

num.476. Duplex iudicium credibilitatis in rusticis practicum, aliud absolutum, respectivũ aliud, num.482. Explicatur vtrumque, & quodnam in ipsis communius? Ibidem.

Iudicium credibilitatis potest esse supernum, nu.486. Non debet semper esse, à num.483.

Iudicium credibilitatis, si supernum sit, à quo habitu fiet? à num.488. Authorum sententiæ, à nu.488. ad vsque 490. Authoris opinio quadrimembris, à num.490.

Vltra iudicium credibilitatis in œconomia creditionis, requiritur aliud iudicium de convenientia rei credendæ, à num.517. Quod sit huius iudicii munus? Explicatur specialissimè. Ibidem, & n.518

*Iustificatio.*

Quæ fides, & quantum necessaria sit ad justificationem in parvulis, & in adultis, à num.804. & 806. Fides in voto non sufficit ad justificationem adulti, nu. 808. Per opera solum naturalia nemo vnquam justificatus est, aut potest, num.415.

Inter justificationem, seu vltimam dispositionem ad illam, & inter alia opera adulti mediatè antecedentia, grande discrimen, & observandum, num. 818. Quæ fides necessaria sit ad justificationem adulti, à num.819. Non sufficit fides lata in sensu Ripaldæ, à num.819. ad vsque 823. Neque fides in voto, à num.823.

# L

*Lex.*

Quam aliter se habet ad actum obedientiæ promulgatio legis, ac revelatio ad assensum fidei? nu.105. Vbi qualiter se habeat ad legem, ipsius promulgatio; & multa valdè vtilia. Ibid. & seq.

*Locutio.*

Quod iudicium prærequirat in Deo loquutio, & pro quo supponat? vbi doctrina valdè subtilis, & notanda, num.47.& 67. Quid sit testimonium sumi per modum testimonij? num.69.& 70.

Locutio quid sit, num.68. Duplex dici solet, num.102. Qualis sit de qua disputatur, an sit de constitutivo obiecti formalis fidei. Ibidem. Est obiectum partiale movens, à num.68. vsque 102. Argumenta solvuntur, à num.103.

Locutiones in duplici genere, vel asserentes, vel purè enuntiantes. Earum discrimen, & vsus, num.314. Qualiter ipsis vtantur Sacræ Scripturæ, nu.315. Quod genus signi requirat locutio, num.359.

Divina locutio multiplex, à num.360. Stricta, & impropria: explicatur veraque. Ibidem. Stricta etiam duplex, num.361. Et interna etiam duplex. Ibid: Explicantur singulæ veriliter pro studiosis Sacræ Scripturæ, à num.361. Quænam sit mediata locutio, & quænam immediata? num.364. Divinæ locutionis auditio, in quo consistat? nu.365.& seqq. Vide *Revelatio*, *Testimonium*, *Testificatio*.

Locutio Dei naturalis non repugnat, num.656. Deus vt Author naturæ loqui non potest de rebus supernis, num 657 Locutio externa quomodo pendeat ab interno iudicio loquentis? num.982. Quid in casu mendacij, num.989.

*Lugo.*

Vide *Ioannes*.

*Lux.*

Qua ratione possit lux dici ratio sub qua visus, nu.21.

# M

*Maiestas.*

Quousque Dei Maiestas, præcisim ab attributo scientiæ

tiæ cohibeat irreverentiam ipsi discredendi? nu. 71. Inutiliter tamen ad movendam fidem. Ibid.

*Maria.*

Beata Virgo Maria vidit divinam essentiam sæpè, dum vixit, num. 689.

Venerabilis Mariæ de Agreda laus, num. 834. & 689. Eius iudicium de visione Deiparæ in hac vita mortali, nu. 689. Et de peccato Luziferi, nu. 726.

*Materia.*

Ecclesiæ Romanæ materia, num. 1009.

Materia fidei implicitæ non crevit cursu temporis, nu. 206. Bene verò materia fidei explicitæ: sed tamen ad vsque tempora Christi, & Apostolorum: non postea, à num. 211. Vide verbo *Articulus*, *Credere*, *Symbolum*.

*Materiale.*

Vide *Obiectum*.

*Mendacium, & mentiri.*

Quid sit? num. 226. Mentiri, & falsum dicere longè diversum in nobis. Ibid. Secus in Deo, & cur, nu. 226. & 227.

Deus, neque per se, neque per alium mentiri potest, etiam inspecta absoluta potentia, à num. 229. Explicantur Scripturæ loca, quæ videntur in oppositum posse torqueri, num. 235. & 236.

Dispar ratio inter mendacium, & homicidium, quoad conceptum illiciti, num. 237. Quomodo deceptio differat a mendacio, num. 290.

*Motivum.*

Motivum fidei sumitur disputativè, & dogmaticè: vsus, & vtilitas distinctionis, n. 77. Vide *Obiectum*.

Motivum sufficiens, & determinans, valdè diversa, num. 511. Actus naturalis, & superni possunt convenire in eodem. Vide verbo *Actus*. Inter motiva

va virtutum magna diversitas,& valdè notanda, num.946.& num.947.

*Miraculum.*

Quomodo,& in quo sensu potest quis dici aliquid credere proprer miracula,num.28.& 29.Qua ratione conducant miracula ad quare credendi? Ibid.

Quænam sit causa miraculorum, num.242. Sumi possunt entitativè,& institutivè, num.245. Explicatur veraque acceptio.Ibid.De facto sunt instituta in Dei locutiones,num.246.

Nequit Deus patrare miracula in confirmationem falsæ doctrinæ, stante præsenti miraculorum institutione, à num.253. ad vsque num.261. Potest in alio rerum ordine,& cessante præsenti institutione miraculorum,à num.262.Quænam tunc adhiberi deberet à Deo cautio, ne deceptionis foret causa moralis? à num.264. Etiam cessante institutione,& præcedente cautione alicuius præconij non possent à Deo fieri miracula,quæ essent locutiones ipsæ doctrinæ falsæ,nu.275.& 276.

*Mysterium.*

Mysteria fidei non vtcumque, sed etiam sunt evidenter credibilia,num426.& 427.Ea evidentia non solum est moralis, nec solum physica, sed etiam metaphysica,à num.428.

Mysteria fidei non sunt contra lumen rationis, num. 445. Nec evidenter possibilia, licet evidenter credibilia,num.446.Vbi solvuntur ingeniosi paralogismi.

Mysteria fidei esse credibilia fide obiectivè divina, est evidens: non verò, esse credibilia fide exercitè divina,à num.462. Vbi explicantur hi termini, & alia valdè vtilia,

# N

*Natura.*

Non datur in natura appetitus innatus ad fidem supernam, num.626. Vbi pulcra pro materia de visione. Ibid. & seqq. Quousque ex eo quod aliquod eius sit de perfectione naturæ, deduci valeat, quod cadat in appetitum innatum ipsius. Ibidem.

Cur non cadat in appetitum innatum naturæ visio Beatifica, licet in ea quiescat vltimo? num.629. Vbi explicatur acuta doctrina pro hac, & pro materia de visione.

Naturalis actus, & opera naturalia. Vide *Actus, Opus.*

*Necessitas.*

Necessitas altera medij: altera præcepti, explicatur vtraque, num.802. & nu.803 Et specialissimè ex mente Authoris, à num.906. Et iterum in appendice, à nu.1072. per totam quæst. vbi multa notatu dignissima.

Fides quoad habitum est necessaria necessitate medij absolutè, & in re ad justificationem, & salutem in parvulis, secus quoad actum, num.804. & 805. In adultis verò peccatoribus est etiam necessaria quoad actum necessitate medij simpliciter, & absolutè, num.806.

Quæ fides necessaria sit ad justificationem adulti, à num.819. Non sufficit fides lata in sensu Ripaldæ, à num.819. Neque fides in voto, à num.823. Fides stricta, tam in adulto infideli, quam in peccatore fideli necessaria est ad justificationem, nu. 843. Vide verbo *Eucharistia.*

*Nicænum.*

Symbolum Nicænum quodnam sit, nu. 219. & nu.225.

*Notæ.*

Vide *Signum.*

Obiec-

# O

*Obiectum.*

Obiecti vt sic multiplex diuino, & species, num. 5. remissiuè. Illustrata denuò, & explicata, à num. 5. ad vsque 21.

Duplex fidei obiectum: materiale, & formale, num. 6. Explicatur verumque. Ibid. Materiale potest esse subiectum, & obiectum, num. 7. Quænam sit differimnis ratio? Ibid.

Obiectum formale etiam duplex, nu. 8. *Quod*, & *quo*; seu propter *quod*. Communis explicatio. Ibid. Accurata Authoris consideratio vtriusque, & explicatio, à num. 9. Quomodo obiectum formale *quo*, seu ratio *sub qua* det essentialem specificationem actui? nu. 10. & seqq. Qui differant? nu. 12. Et circa diferimen mens Authoris, num. 13. Quomodo verum sit quod immediatè, & formaliter attingatur aliquid diuinum ab actu fidei, tanquam obiectum formale? num. 50. Vbi quid sit immediatio terminativa, qua nostri actus tendunt in Deum, & qualiter accidat. Ibid. & nu. 51. Obiectum formale in quo differat ab obiecto attributionis, num. 93 Obiectum motiuum assentiendi constitutiuè dicit connexionem obiectiuã obiecti formalis cum materiali, num. 99. Explicatur subtiliter in quo sita sit ista connexio Ibid.

Obiectum formale duplex: terminatiuum, & impulsiuum. Explicatur verumque, nu. 136. Impulsiuum dupliciter exercere potest vim suam, actualiter, & virtualiter. Ibid. fin. Quid requiratur vt obiectum formale dicatur virtualiter attingi per actum? num. 145. & 146. Actus naturalis, & superbus ab posteriori habere idem omnino obiectum, à n. 635. Negantis sententiæ satisfit, à n. 637. Autho-

ris judicium,& sententia affirmans,num.654.
Obiectum materiale,vide *Materia*. Inter obiecta materialia fidei, seu credenda nullum est, quod necessario debeat determinare, & primo ante alia credi,nu.197. Quoduam debeat necessario præcognosci,num.203.& 1043.

*Obedientia.*

Quam aliter se habeat ad actum obedientiæ promulgatio legis, ac revelatio ad assensum fidei,num. 105. Vbi qualiter se habeat ad legem ipsius promulgatio:& multa valdè vtilia. Ibidem,& seqq.

*Obligatio.*

Obligatio profitendi externè fidem quanta sit, & ad quid extendatur, à num. 909. Quid liceat, aut non liceat Christiano circa externam fidei professionem,à num.991.

*Obscuritas.*

An fides sit essentialiter obscura, à num.685. Authorum sententiæ. Ibidem. Sententia Authoris trimembris,à nu 686. Qua ratione intelligendum quod fides sit de obiecto non viso,num.689.
Cum evidentia dicti Dei per modum connexi nequit stare obscuritas fidei, à num.738. ad vsque 754. An viso primario obiecto formali fidei, possit dari fides obscura ratione secundarij, à nu 754.
Fides evidens in attestante nullam trahens obscuritatem,componi optimè potest cum evidentia,à nu. 787. Obiectum fidei simpliciter obscurè potest esse,ex parte evidens,num.790. An ex illa parte simul creditum. Ibidem. Vbi singularis discurrendi modus,& num 791.

*Opinio.*

Fides in habente opinionem de obiecto credendo possibilis est,à num.960. Quo sensu id negaverit S. Thomas,num.961.

*Oppositum.*

Axioma illud : *ex opposito consequentis*, &c. Quo sensu sit verum, & vtile, num. 447.

*Opus.*

Per opera solum naturalia nemo vnquam justificatus est, aut potest, num. 815. Omnes infidelium actiones non esse peccata quam certum sit, à num. 835. Iterum, num. 864. & 866. & 869.

Ad opus honestum naturale non est necessaria fides superna: neque ex eius defectu omnia opera infidelium sunt peccata, à num. 869.

# P

*Papa.*

Eius descriptio, num. 1115. Necessitas in Ecclesia, & existentia de fide. Ibidem. Præsentis Papæ Pontificatus de fide, à num. 1016. Papa definiens errare non potest in rebus fidei, & morum, à num. 1022. Neque in Canonizatione Sanctorum, num. 1024. Neque quoad substantialia alicuius Religionis. Ibidem.

Papæ creato ad quem spectet, num. 1025. Licet designatio personæ fiat ab homine: à Christo est potestas Pontificia. Ibidem. Papa potest sibi eligere successorem, num. 1026. Papa qualiter deponi potest à Concilio, num. 1029. & num. 1030. Et ob quæ crimina. Ibidem, & à num. 1027. Non est privatus ipso facto etiam ob hæresim sufficienter probatam, num. 127. Papa forte non potest esse interne hæreticus, num. 1031.

*Particulæ.*

*Ideo*, & *quia*, & particulæ reduplicantes *vt*, & *quatenus* non semper denotant, aut sonant rationem formalem, num. 708. & illustratur exemplis.

*Particulare.*

Revelato vniversali quæ continentia particularis in illo sufficit vt particulare sit de fide? à num.396. Non sufficit probabilis causã continentia, n.399.

*Particularis.*

In vniversali continentia quid sit, num.394. Quotupliciter constare possit? Ibidem.

*Patres.*

Modus compendiosus explicandi argumenta aliquando petita à SS. PP. authoritate, num.834.

*Paulus.*

Pauli locus celebris singulariter expensus, n.796. Quę fides dicatur ab Apostolo pignus? nu.771. & 778.
Pauli locus de inexcusabilitate Gentilium, illustratur à num.828. Item locus: *quod non est ex fide peccatum est*, illustratur, à num.857.

*Philosophus.*

In Philosopho Christiano quomodo concilientur evidentia de existentia Dei, & fides? à n.691. Singularis de hac re mens Authoris præsertim, n.694.

*Pia affectio.*

Vide *Affectio.*

*Potentia.*

Cur habitus, & potentiæ specialiter coarctatæ, non specificantur à sola ratione sub qua, num.17.
Quod discrimen sit inter potentiam intellectivam, & volitivã in modo tẽdendi ad obiectum, n.288. fin.

*Pontifex.*

Vide *Papa.*

*Prelatus.*

Omnes Prelati Ecclesię simul errare nõ possunt, n.1014.

*Præmissa.*

Præmissa fidei supernæ, neque per se, neque per accidens vt causa proxima influit in conclusionem falsam, à num.337. Vide *Conclusio.*

Prin-

*Principia.*

Principia superna causativa effectus superbi non pro ipso operante, sed pro alijs, subduntur imperio mali, & inhonesto voluntatis, num. 551.

*Pignus.*

Quæ fides dicatur ab Apostolo pignus, nu. 781. & 788.

*Profectus.*

Vnde in tanto vsu Sacramentorum oriatur tam parvus profectus in multis? num. 553. & 578.

*Professio.*

Sola externa professio fidei non est forma Romanæ Ecclesiæ, num. 1085. Quousque, vel quomodo pendeat ab habitu fidei, à num. 980. Præsertim nu. 983. Quid in casu mendacij, num. 989.

Obligatio profitendi externè fidem quanta sit, & ad quid extendatur? à num. 990. Professio externa fidei est in voto inclusa in Baptismo, num. 990. Aliquando est necessaria in re necessitate præcepti, & quando. Ibid.

*Promissio.*

Promissoria authoritas quid sit, num. 38. Vide verbo *Assensus.*

*Promulgatio.*

Promulgatio legis qualiter se habeat ad legem, num. 105. Aliter se habet ad actum obedientiæ, ac revelatio ad assensum fidei. Ibidem.

*Propter quod.*

Vide *Obiectum.*

*Propositio.*

Propositio Ecclesiæ non gerit vicem Premissæ ad eliciendum actum fidei, num. 126. Vide *Ecclesia.*

Quid interest inter propositionem de fide, & subiectum de quo credit fides, num. 214. Propositiones asserentes, vel purè enuntiatiuæ. Vide verb. *Scriptura.*

*Prophetia.*

In quo differat fides à Prophetia, num.55.

*Prudentia.*

Prudentia infusa, an, & quousque dici possit manere in peccatore, n.545.

Q

*Quare.*

Qua ratione conducant miracula ad *quare* credendi, num.29.

*Quæstio.*

Quæstiones malè confundi solitæ, num.710.

R

*Ratio.*

*Qua*, & *sub qua*, num.10.& 12.

*Regula.*

Fidei regula quid sit, & quotuplex, à num.995 Est necessaria in Ecclesia, num. 996. Et quidem sensibilis animata, num. 997.

*Religio.*

Cur Theologica non evadat licet Deum attingat? nu. 90.& à num.145.

*Resolutio.*

Fidei resolutio. Vide *Fides*.

*Restitutio.*

Cur restitutio non sit dicenda necessaria necessitate medij, per comparationem ad Eucharistiam, iuxta doctrinam Authoris, num.1095.& 1096.

*Revelatio.*

Quid sit, num.68. Ingreditur in obiectum formale fidei, non vt pura conditio, seu applicatio, sed vt par-

partiale movens, à num.68. ad vsque 102. Solvuntur argumenta, à num.103. Quodnam munus præstet circa obiectum materiale fidei, & ipsam fidem? num.99. Qualis sit, de qua disputatur an sit de constitutivo obiecti formalis fidei, num.102. Diversitas specifica revelationum non facit actus fidei specie diversos, num.107. Et cur, Ibidem, & num. 108. Qui credis existentiam revelationis, quia Deus dixit, exercet actum fidei, num.130.

Revelatio potest sumi, vt medium connexionis, vel vt testimonium, seu per modum dicti: quid intersit inter vtrumque. nu.193. Vide *Testimonium, Loquutio.*

Revelatio, & privata, & publica, nu.369. Publica sufficit ad fidem, nu 370. & seqq. Vbi extricantur loci difficiles Scripturæ contra Hæreticos, à num. 373. An privata, & quousque sufficiat? à num.380. Authorum sensus, & distinctiones, nu.380. & 381. Mens Authoris quatuor assertis explicata cum doctrinis vtilibus à num.382. ad vsque 393.

Revelatio facta Divæ Theresiæ de his qui damnantur, num.956.

*Revelatum.*

Quousque requirat actus fidei ex parte obiecti rationem dicti, & revelati, à num.185. Quid intersit inter obiectum possibiliter revelatum, & obiectum revelabile.

Revelato includente, vel continente, vel vniversali quid sufficiat vt contentum particulare, vel inclusum maneant revelata? Vide *Continentia, Inclusio.*

Obiectum solum indirectè revelatum manet de fide, num.406. Et qua ratione? Ibidem.

*Revelabile.*

Obiectum purè revelabile non potest dici obiectum habitus

bitus fidei, num.167. ad vsque num.184. & iterum à num.185. ad vsque num.196.

*Rusticus.*

Pro rustico, & rudi quam sit necessarium iudicium credibilitatis, à num.474. Duplex iudicium credibilitatis in rusticis practicum; aliud absolutum, respectivum aliud, num.482. Explicatur vtrumque, & quodnam in ipsis communius. Ibidem.

S

*Sacramentum.*

Sacramentorum administratio, seu susceptio ex intentione etiam leviter mala, an sit inordinatio graviter peccaminosa? num.553. Mala intentio, alioquin etiam levis, impedit augmentum gratiæ in administratione, & susceptione Sacramentorum, num.553 Et magis ex professo, à num.578.

Vnde in tanto vsu Sacramentorum oriatur tam parvus profectus in multis? num.553. & 558. Quænam ordinatio ad finem, alioqui malum, impediat fructum Sacramentorum? Vbi doctrina peruijli, num.581.

*Salus.*

Inter ea, quæ ad salutem pertinent, sunt quæ pertinent remotè, sunt quæ proximè, num.484. Nomine salutis quid veniat in Concilijs? num.802.

*Sectarij.*

Vide *Hæreticus.* Elevantur, signa quæ pro se obijciunt, à num.459.

*Scriptura.*

Quomodo nunc de præsenti propositiones Scripturæ prolatæ, cum alioquin sancta de futuro, maneant veræ? nu.664. Scriptura est regula fidei, n.1036.

Qua-

Qualiter explicare soleat Scriptura permissionē per verba consilij? num.236. Pro studiosis Sacræ Scripturæ doctrina perutilis, à num.361.

*Signa.*

Signa credibilitatis quot, & quænam sint? à num.450. Explicantur. Ibid. Formatur argumentum ex ipsis, num.456. Qualiter se habeant ad fidem, num. 319. Explicatur doctrina per argutam, & aptam similitudinem. Ibid. & nu.120. Veræ Ecclesiæ signa, vel notæ quot, & quænam, à num.465. & explicantur. Ibid. & num.seqq.

Signum in duplici genere: nempè quod ex primaria sui institutione rem significat: & quod secundario, & per accidens, num.293.

*Species.*

Relinquitur in intellectu species impressa mysterij cogniti primo per revelationem, num.135. Explicatur qualiter id contingat. Ibidem.

Species naturales quomodo concurrant ad actus supernos? num 534. Aliquando sunt supernaturales. Ibid. Si supernaturales sint, quando infundantur à Deo, num.535.

*Specificatio.*

Specificationem triplicem habere potest actus: & vnde? num.16. Cur habitus, & potentiæ, specialiter coarctatæ, non specificantur a sola ratione sub qua? num.17. De quaenam ratione sub qua intelligendi Theologi, cum doceant actū supernum specificari ab obiecto superno, vt superno, num. 18. Quid sit habitum, & actum tendere in rem existentem signate, & in rem existentem exercite, tanquam in specificativum sui? num.163. Firmatur, & explicatur distinctio multis exemplis, à num.164. & nu.107. Vide *Habitus*.

Sub

*Substantia.*

Substantia ex se superne creditiva, repugnat, num. 631. remissivè. Vbi argumentum pro affirmanti parte solemne solvitur, num. 632. & 633.

*Subiectum.*

Subiecti, & obiecti quodnam sit discrimen, num. 7. Fidei subiectum quodnam sit, à num. 933.

*Supernaturalitas.*

Vide *Actus*, *Fides*, *Iudicium*.

Supernaturalitatis nova distinctio in entitativam, & derivativam, nu. 641. Distinctionis vtilitas. Ibid. Quæ supernaturalitas colligatur in actu ex obiecto formali superno. Ibidem.

*Symbolum.*

Quotuplex sit Ecclesiæ Symbolum, num. 218. Elucidantur singula quoad originem, Authores, & excellentiam. Ibidem, & n. seqq. In Symbolis Ecclesiæ, bene disposita est materia fidei, & cur? n. 220.

Symbolum Nicænum quodnam sit? num. 219. & num. 223. & 224.

Symbolum Eucharistia continetur in Symbolo, nu. 223. & 224.

# T

*Testimonium.*

Testimonium Dei dupliciter accipi potest, num. 31. Explicatur vtraque acceptio. Ibid. Quid sit Testimonium sumi per modum Testimonij? num. 69. & 70. Vide *Locutio*, *Revelatio*.

*Testificatio.*

Dupliciter considerari potest testificatio Dei, vt divina, obiectivè, & exercitè: explicatur distinctio, & eius vtilitas, num. 638. Naturalis testificatio Dei non repugnat, num. 656.

Theo-

*Theologica.*

Vide *Virtus.*

*Theresia.*

Revelatio facta Divæ Theresiæ de his qui damnantur, num. 956.

*Timor.*

Duplex, num. 978. Explicatur vterque. Ibidem.

*Traditio.*

Est Regula fidei, num. 1036.

# V

*Veritas.*

Triplex in Deo veritas, num. 27. Enucleantur singulæ. Ibidem. An veritas in essendo sit obiectum formale quod fide? num. 87. Defenditur problematicè, à num. 87. & à num 92.

Veritas quę primo cognoscitur mediatè, & per aliam, potest secundo cognosci immediatè, & in se, num. 121. & 122. Et explicatur qualiter id contingat in œconomia mentis nostræ. Ibidem.

*Veracitas.*

Se sola non sufficit constituere authoritatem testificativam Dei, & cur? nu. 54. Constituit tamen inadæquatè, num. 39. & 43.

*Virtus.*

Virtus Theologica quæ? num. 1. & 25. Eius dignitas, & excellentia, nu. 1. Ei non officit pro partiali obiecto formali aliquid creatum, num. 103.

Inter motiva virtutum magna diversitas, & valdè mirandа, num. 945. & 947. Discrimen inter virtutes morales, & intellectuales, num. 278. & 279. & 288.

Vir-

*Virtualis.*

Vide *Continentia.*

*Vitiosus.*

Vitiosus circulus quid sit? num.110. Et quousque vitandus. Ibid. Quomodo, & vbi possit, num.111.

*Visio.*

Cur non cadat in appetitum innatum naturæ, nu.629.

*Vniversale.*

Vide *Continentia.*

*Vnio.*

Vnio fidelium cum vno capite non intrat in essentialem formam Ecclesiæ, num.1008.

*Voluntas.*

Discrimen eius ab intellectu in modo tendendi, num. 288. Huius ab illa dependentia, num.501.

Triplex volibilium genus acutè distinctum, num.335. Explicantur singula: & comparantur ad affectum, & causalitatem divinæ voluntatis. Ibid. & 336.

# X

*Xarque.*

Patris Antonij Xarque laus, num.834.

# FINIS.

upna

upna
Universidad Pública de Navarra
Nafarroako Unibertsitate Publikoa

upna
Universidad
Pública de Navarra
Nafarroako
Unibertsitate Publikoa

upna
Universidad Pública de Navarra
Nafarroako Unibertsitate Publikoa

upna
Universidad Pública de Navarra
Nafarroako Unibertsitate Publikoa